62491/B

D
6.6

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

GIORGI, M.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30544555

58

IESV CHRISTO DOMINO LUCI VERÆ DEO OPTIMO MAXIMO

Haſce hummillimas Lucubrationes

MATTHÆUS GIORGI

Tremens, procidens, & adorans reddit.

MATTHÆI GIORGII

SUMMA INSTITUTIONUM RATIONALIS MEDICINÆ,

ALIAQUE OPERA MEDICA

Quorum hæc ſeries eſt.

1. Medicinæ definitio, ſanitatis idea, & hygienes ſummarium. 2. Pathologia generalis. 3. Recenſio ſemejotices. 4 *Epiſtola de febribus*. 5. *Summa Pyretologiæ, aliorumque morborum febres comitantium*. 6. Methodus theoretica tutò curandarum febrium, aliorumque morborum curabilium certitudini ſcientiæ innixa, etiamſi abditæ cauſarum differentiæ nos lateant. 7. *Apologia pro ſanguinis miſſione*. 8. His accedit etiam italicè ſcripta *L' Arte piccola del medicare*.

LONDON MEDICAL SOCIETY

GENUÆ 1722.

Typis Jo: Baptiſtæ Caſamaræ. In Platea quinque Lampadum.
Superiorum permiſſu.

ILL.^{MO} DOMINO DOMINO

PETRO FRANCISCO GRIMALDI PATRITIO GENVENSI

MARCHIONI CAMPOTHECÆ &c.

RAtionalis Medicinæ Summam, Opuſque de febribus, & aliis morbis una cum tutiſſima curandi methodo tibi nuncupo Illuſtriſſime Domine; magno enim Patrocinio indiget ſecura illa medendi ratio Præceptorum Veterum ab opinionum ambagibus omninò præciſa, & certitudini quidem ſcientiæ innixa, nunc autem a multis arbitratu ſuo medentibus obnubilata. Jam non pauci ex optimis Reipublicæ Sereniſſimæ Patritiis hanc ſine fuco praxim, quam profiteor, elegerunt. Supereſt modo ut lucubrationes iſtas eo, quo me ſemper proſequutus es, favore ſuſpicias, & nomine tuo me decorare permittas; hoc ſiquidem ſolo magnum, quod a me nullatenùs habent, ornamentum aſſequantur, geminum indè ſplendorem præſeferentes, clariſſimi nimirùm gene-

ris,

ris; geſtorumque tuorum. In primis enim, vel me ſilente, manifeſta eſt Regia Grimaldæ Gentis origo a Grimoaldo Pipini Craſſi filio, Caroli Martelli fratre, & Caroli Magni Patruo deducta; undè Lucchettus, tui Rami Author, prodiit de Armeniæ Rege, ac de Venetis triumfator; tum Petrus Piſanorum domitor; Angelinus Neapolitani Regni Prorex, & ſummus Armorum Præfectus; Borgogninus qui quatuor triremibus ſuis Reginæ Joannæ contra Hungariæ Regem ſuppetias tulit; Anſaldus Magnus qui opes immenſas Reipublicæ, pauperibus, litteris, vobiſque ab ipſo natis, & naſcituris reliquit. Porrò indoles tua, res geſtæ, animi mores omne decus, & Proavorum tuorum, & Sereniſſimi Alexandri Patris tui Ducis Optimi, complectuntur; In omnibus enim Sereniſsimæ Reipublicæ ſublimioribus Magiſtratibus ab ineunte ætate uſque ad grave ſenium, Juſtitia, Longanimitas, compoſita cum humanitate Majeſtas, Virtuteſque omnes in te floruerunt; ſed & animi generoſa fortitudo tua in armis enituit, cum triremium Præfectus Generalis barbaros Piratas fælicisſimè ſemper propulſaveris. Vale diù Emerite Domine, dum tibi, & Illuſtriſsimæ Domui tuæ perpetuam fælicitatem a Deo O. M. enixè præcatur.

Dominationis tuæ Illuſtriſsimæ

Humillimus Cultor

Matthæus Giorgi.

Præfatio ad Lectorem, & ſynopſis totius Operis.

PHYſiologiam, quæ prima Medicarum Inſtitutionum eſt, in tractatu de Homine ſcripſi, & elementa ſcientiæ naturalis præmiſi conſona quidem veritatibus à Deo revelatis, quæ mentes noſtras ineffabili claritate perfundunt; puram ideò veritatem in Philoſophorum Veterum monumentis quæſivi, & ab erroribus Epicuri, aliorumque Antiquorum, nec non a ſubdolis Recentiorum novitatibus, miſeratione divina inſtructus, breviter, & ſine fuco ſejunxi. Hoc ſtudium quoque in Medicina, quam Iuvenis excolendam ſuſceperam, adeò mentem occupavit, ut ab omnibus philologicis lucubrationibus, quæ aut Philoſophiæ, aut Medicinæ non inſervirent, omninò abductus, cogitationibus magis quàm eloquiis aſſueverim. Nunc tandem, quæ de præciſa medendi certitudine diutiùs cogitavi, conſueta brevitate conſcribere aggredior. Miraberis equidem benigne Lector, perpendens mecum quam ingens onus, quam difficile periculum ſubeam! Naturalem enim, & non naturalem ſtatum Hominis perſpectum habere, ac omnia, quæ tùm in terris, & atmoſphera, tùm in univerſo Mundo ſunt, ad eius naturam conferre: quid ſecundam, quid adverſam valetudinem faciat diſtinguere: morborum origines, rectamque medendi rationem ex his deducere, quiddam procul dubio eſt tenuitate mea longè maius; cumque de iſtis rebus nec inter Veteres, nec inter Neotericos conveniat, profectò vereor ne in tanta vaſtitate, atque diſcordia ſenex ego deficiam. Verumtamen quam proſperè meus levatur animus tàm gravi difficultatum, quæ obverſantur, ſpecie preſſus? Nonnè rationalis Medicinæ inſtitutiones a controverſiis præciſas meditor, quas a firmis tantummodò præceptis didici, quæque longa ſæculorum experientia ratæ, neutiquam in opinionum ambages vagantur, ſed ab his abſtractæ, atque incon-

cuſſæ manent? Si ergo meum hoc ſtudium eſt, ſemperque fuit veritatem a dubiis cautè diſcernendi, idque operis mihi præſtandum eſt poſtquam diſciplinæ omnes medicam ſcientiam componentes a celeberrimis viris jam excultæ fuerunt, cur adhuc hæſito? Propitius ſit mihi Deus, & perſpicua ſanè fient, quæ nunc aſſumo probanda.

Primò ſcilicet Medicinæ rationalis inſtitutiones eſſe ſcientiæ fundamentis innixas.

Secundò praxim tutiſſimam a ſolis hiſce fundamentis certis proficiſci, ac ſi alias prætereà cognitiones abditarum rerum ſola coniectura comparet, hanc illos neutiquam fallere Medicos qui cautiones hypocraticas tenuerint, nec quicquam, vel ipſius dubia certæ curationi obſtare.

In primis autem quanta inter generalis phyſices, & jatrices neceſſitudo ſit neminem latere arbitror; nam in eadem ſcientia motus, & quietis, ortus, & interitus vtramque verſari palam eſt; hoc vno intercedente diſcrimine, quod phyſice, axiomata ſua, & ex his neceſſariò illata theoremata, irrefragabilibus experimentis firmata, præcisè conſiderat, nil de uſu, & praxi ſollicita; Medicina verò, in humani corporis divino opificio, ceù Mundi ſummario, hæc eadem omnia, quæ phyſice protulit, certa, & a dubiis præciſa primum aſſumit, conſenſumque vitæ hujus cum univerſa natura corporea tota mentis acie contemplatur, deindè verò ad omnia, quæ noſtram hanc naturam lædere quocumque modo poſſunt, inveſtiganda ſcientiam ſuam extendit, ut denique vitam incolumen ſervet, ac ab ægritudinibus [quantum nobis datum eſt] liberet; hac enim ratione circa iſtud obiectum ſuum verſatur; & Medicus, qui phyſices axiomata, firmaque inde illata theoremata norit, quique ſolidis rationibus inniti aſſueverit, rectam præſervandi, ac medendi viam, remediorum inventionem, delectum, & adminiſtrationem, per conſequutiones neceſſarias ab iis, quæ rata ſunt, progreſſu ſcientifico deducit.

Sed Pyrrhonicæ Sectæ curioſos ita me obiurgantes audire mihi videor: ubinam ſunt iſta theoremata phyſica, quibus innitatur Medicus a dubiis liber? Si monumenta Veterum perluſtremus, eos in varias, circa elementa naturalia, opiniones abiiſſe cernimus, aliis atomorum per inane congeriem, aliis pamſpermiam, aliis unum, aliis duo, aliis quatuor elementa, aliis innumera, omnigenas facultates habentia ſupponentibus. Cum ergò ne de primordiis quidem rerum naturalium inter Philoſophos conveniat, quid eſſe poterit in eorum doctrina ratum? Quidve a dubiis liberum? Ubi eſt igitur Medicina rationalis ab opinionibus diſcreta, & ſcientiæ fundamentis innixa? Annè poſt nova inventa orta eſt? Videmus tamen fluctuantes adhuc nihilominus opiniones, & ubique majora ſemper diſſidia inſurgere.

Hæc,

Hæc, & alia hujuſmodi obtrudunt Medicinæ rationalis Contemtores ingratiſſimi nebulis ignorantiæ obruti, audacter loquaces abſque ullo ſapientiæ lumine; quos inter diſertiſſimus ille nebulo Capuanus tanto flamine ingenii contra Phyſicos, & Medicos Auctores quoquoverſum nititur, ut conferta ipſorum doctrina, quam impugnat, circumdatus, quodammodò per Antiperiſtaſim [ſi hoc uti vocabulo liceat] deſipere deprehendatur.

Intellexiſti benigne Lector quid ponderis habeant plebeia hæc multiloquia; ſcilicet: nil certi de re phyſica, per tot ſenſatos, & ſapientes viros compertum eſt adhuc! nihil, quod ratum ſit, tot ſeculorum experientia tulit quia inſenſibilia rerum primordia ſenſu ipſo non attingimus! ergo actum eſt. Cum tam efferis adverſariis, qui omnia tanto impetu deſtruere conantur, de meis propoſitionibus certare non potero. Bona tamen cum venia duo illis poſtulata ſubmittere Operæ pretium arbitror, quæ proculdubio concedent, ne palam in delirio deprehendantur. Poſtulo itaque ſenſus noſtros obvia tantummodo repræſentare nobis obiecta, quæ attingunt. Poſtulo inſuper nos ea ſaltem per ſenſus clarè cognoſcere quæ attingimus, prout attingimus; præciſa videlicet ab iis omnibus, quæ clarè non diſcernimus. Equis autem non videt per ſenſatas haſce cognitiones, omnia quæ certa ſunt, quæ rata, quæ clara verè diſtingui ab iis, quæ incerta, quæ dubia, quæ obſcura manent? Quis de primis dubitare poteſt abſque delirio? Nobis enim omnibus inditum eſt communi notione veritatis diſcerniculum, ſi de iis tantummodò judicemus, & neceſſariò tunc intellectus ad aſſenſum rapitur, & hæc ipſa neceſſitas inconcuſſæ veritatis regula eſt a Veraciſſimo Auctore Deo nobis conceſſa. Sic Hadrianam Molem a longè ſpectantes generatim dicimus nos videre corpus firmum, & immotum nil de figura, & aliis differentiis judicantes, antequam propiùs acceſſerimus, & omnes neceſſariò in iſtius evidentiæ præciſæ judicium communi conſenſu venimus, cui propterea contradicere, idem omninò eſt ac palam delirare: Sic diſcurras de omnibus corporum affectionibus, quæ clarè ſub ſenſum cadunt, ut de ſenſibili mixtorum analyſi, & ſyntheſi, de ortu, & interitu, de motu, & quiete, aliiſque hujuſmodi generatim perceptis, & præciſis ab omnibus differentiis, quas clarè non attingimus.

Jam verò ex ſenſibilium perceptione gradatim univerſalia omnia, circa quæ verſatur ſcientia, intelligimus; & pronunciata communi conſenſu notiſſima, quæque ex his neceſſariò deducta ſunt ſcientiæ naturalis theoremata, ſenſatus, atque ſtudioſus Medicus a Phyſicis habet, quibus tuto innitatur. Quinimmò, in admirabili ſuo Microcoſmo, quaſi dixerim univerſitatis rerum locupletiſſimo Muſeo, tenet quicquid neceſſarium eſt, ut naturalem ſcientiam, legeſque mo-

tus per intima experimentâ diſcat; omneſque inſuper ad practicam Medicinam pertinentes diſciplinas aſſequatur. In hoc enim totius naturæ compendio, quod ipſi gerimus, quodque non modo ſublimioris Phyloſophiæ, ſed etiam Iatrices obiectum eſt, in primis abſtractas veritates, & noſtræ Auctorem originis contemplamur; in quem finem data nobis eſt hæc ſcientia; tum [quod ad Medicinam pertinet] experimur quicquid valetudinem integram ſervare, atque labentem reparare valet.

Quamobrem Hippocrates hac ratione phyſices doctrinam in humani corporis natura potiſſimum inveſtiganda perſtrinxit, ac Medicinam rationalem ſolidiſſimis fundamentis ſuperextruxit. Quód autem noſtra intereſt, mirum eſt ſané ita illum dubias opiniones omiſiſſe, ut ne própriam quidem hypotheſim tamquam neceſſariam aſſumpſerit; ſed ea tradd derit præcepta, quæ contemporanei ſui Democriti, quæ Anaxagoræ, quæque cunctis aliorum hypotheſibus quadrarent, ut notum eſt iis, qui libros ipſius, atque aphoriſticam ſententiarum omnium dictionem rité animadverterunt.

Perſpexerat Inſtaurator optimus humanum corpus continentibus contentis, & impetum facientibus conſtitui; ab his, qui Spiritus appellantur, motus muſculorum, & actiones organorum omnium proximé proficiſci; unum eſſe confluxum, actionumque conſenſum, conſpirationem unam, conſentientia omnia. Vitam, ſeu calidum innatum, ineſſe univerſo corpori, continentibus videlicet contentis, & impetum facientibus; conſervari alimentis, & pneumato; illis calore nativo concoctis refici ſolida, & reparari, quæ deteruntur; hoc materiam Spirituum ſuppeditari, vitalemque calorem foveri, quo chilus in ſanguinem derivatus, quotidie nova regeneratione, ac naturali mixtione vertatur in ſanguinem. Superfluentia indé recrementa per ſuas vias, per conſpicua ſcilicet emiſſaria, & per inſenſibiles meatus excerni. Morbos fieri ſi aut vitæ pabula iſta deficiant, aut quid præter naturam emergat, quod vel contrario motu, vel improba quiete, ac reſiſtentia præfatis actionibus adverſetur, laborem ac ne læſionem inferens. Naturam [quam ideó morborum Medicam appellavit] tunc ſuas exerere vires, ut vitæ uſibus incumbat, & contraria lædentia vincat; ſæpé tamen in conflictione deficere aut languore proprio, aut contrariis viribus prævalentibus, niſi Medicus opportunæ eurationis auxilium afferat. Eum veró recté curaturum, qui naturæ vires conſervare ſimilibus, atque contraria lædentia cauté auferre aſſueverit.

In hiſce ſummis inſtitutionibus, Phyſiologiam, Pathologiam, ac Therapeuticam generatim comprehendentibus, quid eſt, quod re ipſa manifeſtum non ſit? quod experimentis omnium Seculorum non inno-

innoteſcat? quod ab opinionibus incertis præciſum non ſit? quod pyrrhonica dubia non deludat? Analyſis illa generalis *continentium* vaſorum, & ſolidorum omnium, in iiſque *contentorum* humorum, & *impetum facientium* ſpirituum; tandemque præfata vitæ noſtræ phyſiolog ca ſummula perſtringit profectò quicquid circa tranſpirationem ſtaticis experimentis detexit Sanctorius, quicquid Anatomicorum emerita ſolertia circa ſolidorum ſtructuram, & liquidorum omnium motus invenit, immò quicquid amplius Poſteri detegere, aut dilucidare poterunt; ſiquidem in hoc ſemper argumento, & in eadem generaliſſima analyſi omnes neceſſariò verſabuntur.

Ex iſtis verò phyſiologiæ ratis fundamentis luculenter etiam Hygiene deducitur, quæ hac potiſſimum ſententia omninò concluditur: quod videlicet noſtrum ſanitatis ſtudium ſit *non ſatiari cibis*, *& impigros eſſe ad laborem*; undè prȩclara Nobiliſſimi Ludovici Cornelii monumenta, & antiquæ artis gymnaſticæ aliorumq;commentaria prodierunt.

Pathologica deinde doctrina in libris acutorum in Epidemiis, in Aphoriſmis, in Coacis, & alibi tradita, ex lege contrariorum patet, ac manifeſtiſſimè re ipſa innoteſcit; hanc enim uno univerſali theoremate comprehendere obvium eſt, videlicet: naturam ægrotare, ſi aut vires propriæ langueant, aut ipſis extraneæ ita adverſentur, ut ejus actiones lædant. Indè autem tota infertur Medicina, quam perſpicua definitione perſtrinxit idem Præceptor docens eſſe *adiectionem*, *& ablationem*, illam quidem ſimilium, hanc verò contrariorum; quamobrem neceſſaria conſequutione totam terapeuticam, & omnia praxeos præcepta in hunc finem dirigit Medicus, ut languentes naturæ vires citrà oppreſſionem reficiat, & contraria, vel opprimentia, vel quomodolibet lȩdentia tutò auferat.

En ars maxima, quam Cous Præceptor a pura contemplatione Philoſophiæ ad munus vitæ humanæ adeò neceſſarium dedux t; ſuperſtruxitque phyſices fundamentis communi notione ratis, & experimentali ſcientia perſpicuis, & quam denique omni cautione munitam inſtituit naturæ non tantummodò imitatricem, ſed miniſtram auxiliariam. En rationalis Medicinæ praxis in iis comparandis auxiliis poſita, quæ naturæ, pro valetudine tuenda, vel reparanda, neceſſaria ſunt. Anne de his ambigere quis poterit? procul dubio neceſſaria eſſe ad conſervationem alimenta ſimilia ſcimus omnes evidentiſſimè, non opinamur; eademque ratione notiſſimum eſt, pro ſanitate tuenda, vel reparanda, opus eſſe contraria, quæ lȩdunt auferre.

Videamus jam quomodo rationalis ars naturæ miniſtra in hiſce adimplendis tutò verſetur. In primis nos victum ægrotantibus ea ratione adminiſtrare docet, qua nedum virium langueri proſpicia-

mus,

mus, verùm etiam opprimentes reſiſtentias ſenſim adimamus, ut prævalens interim natura ſenſim illas quoq; morbum conſtituentes vincat, deſtruat, diſſipet, eliminet, ſiquidem hoc naturæ opus illud artis miniſterium eſt, quod ab ipſa quidem natura diſcimus evidenter, videmus enim hanc morbi oppreſſione laborantem alimentum plenum renuere, ut expedita magis ad expugnanda contraria ſe ſe convertat. Quod ſi copioſa, vel vitiata materia morbum fovens adeò reluctetur, ut ſola victus ratio curationi non ſufficiat, chirurgica, & pharmaceutica remedia tutiſſima, & efficacia nobis ars adhibenda proponit, ac in acutis potiſſimum, ubi ſtatim labores magnos morbi cauſa infert, confeſtim offert magna præſidia, quæ citò, tutò, & jucundè (juxtà veterum Aſclepiadarum adagium) periclitanti naturæ ſuccurrant.

Notiſſimum eſt vel ipſi vulgo quam facile naturam gravamine, vel acumine morbi laborantem ſublevet univerſale venæ ſectiones remedium, quod [ut experientia ſęculorum pluſquam viginti docuit] plenitudinem, & congeſtas reſiſtentias morboſæ materiæ imminuit, inflammationes tollit, æſtum febrilem compeſcit, vias, & meatus liberat, omniaque ſine violentia diſponit ad naturales motus, quibus noxia quælibet per emiſſaria propria evacuentur, & ſanitas recuperetur. Quanta inſuper ſunt auxilia pharmaceutica, quæ non exiguam naturæ opem ferunt! ut alexiteria, cardiaca, cephalica, & cætera hujuſmodi; quæ dolorem mitigant, ut anodina; quæ Spirituum enormes motus compeſcunt, ut paregorica; quæ vias obſtructas liberant, ut aperientia; quæ contrarias qualitates immutant, ut intemperiem corrigentia; quæque tandem vel evacuationes manifeſtas tutò promovent, vel ſpecificas reſolutiones, ac tranſpirationem inſenſibilem moliuntur? omnia verò pura hujuſmodi auxilia in praxi Medicinæ rationalis jam ſunt noſtris temporibus adeò fęliciter ad Aſclepiadarum mentem comparata, ut vel ubi neceſſaria non ſunt, nullatenùs lædant.

Hæc ſeligenda proponit recta ratio temeritatem declinans, ut quemadmodum a ratis principiis proficiſcitur, ita in opus tutiſſimum veniat: Huic ſtudio tota omni ævo incubuit vera Dogmaticorum Medicina; hiſce remediis vetuſtiſſimi Sapientes operam dederunt. Poſtquam enim antiquiſſimus inter Hippocratis Atavos Aeſculapius, ejuſque filii Podalirius, & Machaon rudem uſum correxerant, quo primis temporibus quiſque ſine conſilio ægris per compita ductis, ac palam expoſitis medebatur; Philoſophi auxilia ſalubriora diſcernere cœperunt, ac Medicinam [cujus ipſi, contemplationibus, vigiliiſque feſſi, maximè indigebant] hoc delectu illuſtrarunt; donec tandem Hippocratica Schola rem planè inſtituerit, conſtanter docens in remediorum adminiſtratione viribus naturalibus proſpiciendum, impetus

petus

petus præter naturam ſufflaminandos ; nec quidquam adhibendum, quod rectis naturæ operationibus repugnet, ſed ea tantum adhibenda, quæ ipſis tutum auxilium abſque noxa præſtare poſſint.

Iſtam ſi teneamus methodum neutiquam nos fallere poterit conie-ctura, tametſi dubias morborum omnes differentias nondum clarè aſſequamur, quas genus primò, & præcisè cognitum comprehendere poteſt ; ſiquidem iis quoque ignotis congruunt ejuſmodi auxilia tutiſſima, & innoxia, quæ nedum affectionibus certò notis opitulantur, ſed vel ubi dubia quam coniicimus affectio non adeſt, ab hac tamen ægros præſervare valent, ipſamque, ſi adſit curare, nullam verò in utroque caſu noxam inferre.

Jam ergo manifeſtiſſimum eſt, quod ſecundo loco propoſui, ac tu quoque candide Lector, vel me ſilente, hujus veritatis compos es. Itaque in Semeiotice [quæ ſola Medicinæ partem quoque conjecturalem comprehendit] Medicus animadvertere debet patognomonica ſigna, quæ affectiones demonſtrant, actionum videlicet læſiones, & modos quibus ipſæ læduntur ; undè prius eliciat generalem cognitionem morbi, & cauſæ ; quæ cum evidentiſſimè, aut in defectu naturalium ; aut in exceſſu extranearum virium ; aut in utroque conſiſtat, nec res aliter prætereà ſe habere poſſit, ac utrumque ſenſus ipſe clarè percipiat, ſtatim rectam, & planiſſimam curandi viam oſtendit ; certum eſt enim vires naturales nos reficere debere ſimilibus, & contrarias opportunis remediis, quæ ſuperiùs innui auferre. A ſummis autem hiſce generibus analytica methodo gradatim progrediens, certam, & a dubiis omninò abſtractam diagnoſim contemplatione præciſa demonſtrantium ſignorum aſſequitur. Nam ſenſus ; motus ; reſpiratio ; pulſus ; excretiones ; uno verbo actiones omnes luculenter adeò nobis illam repræſentant, ut ſenſu ipſo diſcernamus quæ, & quot ex his, & quomodo item offendantur : quantum a naturali ſtatu receſſerint : quantus in cordis pulſu ſit defectus, vel exceſſus : quanta febris : quantus in reſpiratione labor : quanta inquietudo, & anxietas : quantum a naturali coctione, ac ſecretione diſtent excreta ; undè poſtea morbum, & cauſam generatim dignoſcimus ; immo ſi fortè, ſub ſpecie benignæ febris, exitiale venenum deliteſcat, quod nec pulſum, neque calorem valdè alteret, ſolus obtutus Hipocraticus in ægri facie mutata defixus, omnia, quæ a ſtatu naturæ integro in ipſa recedunt attentè diſcernens, abditum illud introſpicit. His autem, & aliis, quæ in ſemeiotice recenſenda ſunt, ritè perpenſis tutiſſimam, & opportunam remediorum, quæ innui, materiam ſeligimus.

Interim verò [quod ad conjecturam attinet] phænomena, & epiphænomena omnia, quæ prodigioſa diligentia Hippocrates adnotavit,

vit, ſedulò animadvertens Medicus, vegetaſque naturæ actiones, viribus extraneis collatas, perpendens, coniicit: vel, ſuperante natura, ægrum facilè a morbo evaſurum; vel fortè, cauſa morbi prævalente, moriturum; vel, dubio conflictu laborantem, in maximum vitæ diſcrimen, cujus exitus incertus ſit, venturum. Adde inſuper & Archigenis coniecturam ab iis, quæ vagantur, & quicquid vel periculoſum, vel etiam læthale, per ſigna commemorativa cauſarum antecedentium, & externarum, & per alia quælibet aſſidentia, coniicimus ſupervenire poſſe, veruntamen in his omnibus nihil unquam invenies, quod obtrudatur certitudini rationalis methodi omninò innoxiæ, jam ſuperiùs demonſtratæ; immò tantum hoc abeſt, quin potius vel ipſa, quæ ſupervenire poſſe dubitamus, nos ea cogunt anticipare auxilia, quæ naturæ languori ſuccurrant, & adverſas cauſæ vires, aut præſentes, aut imminentes tutò, & efficaciter adimant dummodò non ſint inſuperabiles, quare patent evidentiſſimè quæ propoſueram; in hoc enim tantummodò conſiſtit rationalis Medicinæ ſcientia, ratis innixa fundamentis a Deo veritatis amatoribus conceſſa, ei tamen legi ſubiecta, qua ſtatutum eſt omnibus Hominibus ſemel mori.

LIBER I.

Medicinæ Definitio; Sanitatis idea, & Hygienes Summarium.

MEdicina rationalis eſt *ſcientia humani corporis, & eorum, quæ ſanitatem ipſius conſervare, atque amiſſam recuperare valent.* Hæc autem definitio, re ipſa omninò reſpondens aliis Majorum noſtrorum, ex antecedente præfatione jam eſt manifeſta. Quoniam itaque obiectum hujus ſcientiæ corpus humanum eſt, in quo ſanitas vel conſervanda, vel recuperanda potiſſimum contemplamur; hujuſque obiecti phyſiologia ſatis in libris de Homine jam expoſita eſt; nunc tantummodò præciſam valetudinis, & virium naturalium ideam reminiſci ſufficit, ut quæ ipſi contraria ſunt, fuſiùs in ſequenti libro pathologiæ generalis exponenda, clarè intelligantur; contrariorum enim eadem eſt diſciplina.

Valetudo itaque, ſive ſanitas (ut rectè Galenus docet) in affectione naturali conſiſtit, qua functiones vitæ benè, vel optimè fiunt; quod ſanè communi notione perſpicuum eſt; re ipſa enim eſt idem *nos valere*, ac functiones omnes humani corporis *bene agere*.

Fun-

Functiones iſtæ omnes in triplici rata diviſione conſiſtunt. Aliæ nimirùm ſunt *naturales*, ut appetentia, concoctio, nutritio, diſtributio utilium ſuccorum, ac inutilium recrementorum excretio. Aliæ *vitales* dictæ; ſcilicet pulſus, & reſpiratio, quarum omnium conſtitutio naturalis jam in præfatis libris expoſita eſt, receſſus autem ab iſta exponetur in ſemejotice. Aliæ tandem actiones *animales* dicuntur, quæ in ſenſu, motu, imaginatione, ac memoria conſiſtunt. Harum verò triplicium functionum organa ſolida, & liquida, quibus perficiuntur, fusè ibidem ſunt demonſtrata.

Ex his autem conſtat affectionem, quæ ſanitas appellatur, una ſimul in ſolidis, & in fluidis noſtri corporis conſiſtere, ſiquidem hæc univerſum corpus, quod *bene agere* dicitur, unà ſimul componunt; eſtque notione communi perſpicuum, quod fusè in memoratis libris explicui: ſanitatem ſolidorum conſtitui per bonam, congruamque ipſorum temperiem; conformationem totius, & partium; earumque omnium connexionem, qua in unum coaleſcant. In fluidis verò conſtitui per craſim naturalem, ut cap. 8. libri primi, quantum ad ſanguinem ſpectat, nec non in ſequentibus, quoad alios humores dictum eſt; itemque per commoderationem quantitatis, qualitatis, & motus eorumdem, itaut nihil excedat, vel deficiat a neceſſitate omnium humanæ naturæ operationum liberè, ac citrà ullius præter naturalis reſiſtentiæ impedimentum exercendarum.

Synopſis Hygienes.

Breviſſimum tantummodò compendium Hygienes, de ſanitate nimirùm tuenda præmittendum duxi, nam & fuſiùs hæc inſtitutio apud Authores proſtat, & Medici officium exoptatur multò magis ad curandos morbos, quam ad ſanos in quolibet vitæ genere conſervandos Homines, qui ſi prudentes ſint, hac in parte ſibi ipſis Medici eſſe poſſunt, natura, uſu, ac experientia docti.

Quoniam itaque noſtra natura inferior continua reparatione indiget ut conſervetur; hæc autem reparatio, partim ab atmoſphera, partim ab alimentis ſuppeditatur; undè corpus noſtrum utilia ſuſcipit, ac inutilia regerit; nutritionem, ſpirituumque refectionem per ſomnum, ac denique motus omnes ad functiones vitæ neceſſarios concipit; palam eſt ideò ex recto uſu ſex rerum iſtarum ſanitatis conſervationem dependere. Primò nimirùm ab aere ambiente; 2. ex cibo, & potu; 3. ex ſomno, & vigilia; 4. ex motu, & quiete; 5. ex retentis, & excretis; 6. ex animi motibus.

Primò de aere non eſt hujus loci diſſerere quomodò vitam noſtram

 foveat,

foveat; id enim ex phyſiologicis ſuperiùs memoratis libris conſtat; nec item quomodò cauſa morborum ſit, hoc enim ad tractatum de cauſis pertinet, in pathologia exponendum. Sed hic tantummodò adnotare ſatis eſt quomodò aeris iniurias [quantum nobis datum eſt] vitare poſſimus. Totumque id in hiſce conſiſtit, ut exceſſus primarum qualitatum corrigatur contrariis; puta vehemens frigus hyemis tempore ignibus opportunis; & his quoque aeris inquinamenta diſſipentur; excedens verò calor æſtivus frequentibus ablutionibus temperetur (ut Romæ mos eſt continua viarum irrigatione fervorem aeris moderari); ſed multò diligentiùs arceantur atmoſpheræ inquinamenta, quæ vel a ſubſtrato ſolo, vel ab inſalubribus ventis emergunt, his opponendo Silvarum plantationes, ſubſtratum verò ſolum a paludibus liberando, pervias, mundaſque cloacas, & angiportus reddendo, aliaque id genus præſtando quæ ad munditiem pertinent. Cæterùm delicatiores Homines, temporum iniuriis minùs aſſueti æſtum Solis, ventuſque noxios fugiant.

Secundò de cibo, & potu, ejuſque ſubſtantia, quantitate, qualitate, cæteriſque conditionibus ad alendum opportunis fusè diſſerverunt Auctores, & ſupervacaneum cenſeo in rebus notiſſimis immorari, cum præſertim natura, vſus, & conſuetudo, magis quam Hygienas præcepta, nos doceant, quæ ad cibi, potuſque delectum attinent. Hoc unum ideò adnotaſſe ſufficiat: nimiam repletionem aut cibi, aut potus, vini præſertim, ab omnibus vitandam eſſe. Quod ſanè præceptum experientia, & ratione manifeſtiſſimum eſt. Experientia quidem ex Hiſtoriis tùm ſacris, tùm prophanis; habemus enim exempla in primis Heremitarum, qui admirabili abſtinentia vitam ultrà nonageſimum, & centeſimum annum duxerunt. Deindè celebris eſt hiſtoria Ludovici Cornarii Veneti a Riverio relata, qui, cum uſque ad annum 35. inſalubrem vitam duxiſſet. Exindè ſola dieta morbos ſuos oppugnare cœpit, cibi, & potus quantitatem ſenſim imminuens donec ad uncias quatuordecim cibi,& ſexdecim potus perveniſſet; in quo poſtea regimine perſeverans vitam incolumem ultrà centeſimum annum perduxit; evulgavitque libellum de vitæ ſobriæ commodis ubi hæc omnia enarravit. Rationi autem omninò experientia reſpondet; neutiquam enim parſimonia, & frugalitas, ſed ſuperfluens ingeſtorum materia naturam gravare poteſt, morboſque hac ratione producere. Nam ſi parum comedamus, pro ratione alimenti ſit tranſpiratio, & ſiquidem pauca ſit, ingeſtorum quantitati proportione reſpondet, in qua interim vita non deficit; hujus verò incolumitati officiunt ſuperflua, quæ naturam gravare, morboſque procreare apta ſunt; ideoque nimia quantitate alimentorum aſſumpta quandoquè ſola natura ſe ſe liberare a morbis non poteſt,ſed neceſſaria

eſt ars, qua ſuberabundans materia evacuetur, vel exactiore dieta conſumatur. Quarè optimè inquit Hippocrates 6. epid. & aph. 20. ſect. 4. *Sanitatis ſtudium eſt non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores*; & aph. 17. ſect. primæ: *ubi plùs cibi, quam pro natura ingeſtum, hic morbum facit*; cui ſubſcribens Ariſtoteles in probl. ait ſaluberrimum eſſe cibum minuere, ac laborem augere.

Veruntamen allata ſuperiùs exempla, non debent poni tanquam regulæ univerſales in ſalubri victu inſtituendo; nam robuſti victu tenui læduntur, docente Hippocrate hunc victum paulò pleniore periculoſiorem eſſe; ideoquè ſatis eſt robuſtis repletionem nimiam ſivè ſatietatem vitare. Neque hi ſolliciti eſſe debent de ciborum, & potionum qualitatibus eligendis [quas, pro debilioribus, & valetudinariis exponam, ubi de dieta ægrotantium] ſed pro ratione conſuetudinis, regionis, ætatis, appetitus, atque tolerantiæ, victum congruum ſibi parare, quem propriæ naturæ magis conferre, uſu didicit. In reliquis autem alendi conditionibus, tempus congruum, pro concoctione peragenda, inter unam, & aliam comeſtionem interponendum eſt.

Tertio circa motum, & quietem, artis gymnaſticæ inſtitutionem, ab antiquis, & ab eruditiſſimo Mercuriali excultam, quæ in variis exercitii ſpeciebus verſatur, omitto, utpotè non omni vitæ generi accommodatam. Sed generatim tantummodò moneo neceſſariam eſſe in motu, & quiete moderationem, & viciſſitudinem, ut vitam incolumem ducamus; nempè, cum motus nos valdè fatigare cœperit, quietem interponendam eſſe, atque hanc ſane poſt cibum convenire magis, quæ tamen, ſi nimia ſit, vires obtundit; nam [ut inquit Cornelius Celſus] ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit. Exercitii tempus eligendum eſt non ſtatim poſt cibum, ſed eò longius a paſtu, quò validius futurum eſt exercitium. Pro iis verò, qui exercitiis minùs apti ſunt, adjuvanda eſt tranſpiratio frictionibus congruis longè a paſtu factis.

Quarto circa ſomnum, & vigiliam, eadem lex viciſſitudinis militat. Somnus, & vigilia [inquit Hippocrates] utraque, ſi modum excedant, malum; ſomnus tamen, qui ſeptem, vel octo non excedit horas optimus eſt, ſi tempore proprio, ideſt nocturno ſumatur; ſomnus enim meridianus non laudatur ab Auctoribus. Veruntamen in hoc, ut in aliis rebus, dandum eſt aliquid conſuetudini, ſumpta ſemper indicatione ab adjuvantibus, & lædentibus.

Quinto, quod attinet ad excreta, & retenta, patet ex phyſiologicis neceſſarias eſſe excretiones alvi fæcum in prima coctione, urinæ in ſecunda, & tranſpirationis in tertia; iſtæ autem recrementorum

 evacua-

evacuationes, urinæ præſertim, ac tranſpirationis quotidiè fieri debent ea menſura, ut ingeſtis quidem proportione reſpondeant, ſalva tamen corporis refectione, quam ſi ſubripiant, moderandæ ſunt.

Quarè in primis ſi alvus ſit adſtricta iis cibis, & potionibus uti debemus ad eam laxandam aptis, ut oleribus, prunis damaſcenis ſole ſiccatis, & aquæ incoctis, melle ſimplici, vel oleo, vel butirro, aut ſimilibus rationem cibi non excedentibus, moderando interim alias res, ac præſertim animi ſollicitudines. Juvat etiam valde, ſtato tempore, matutino præſertim, ſedem huic evacuationi paratam adire quotidiè ſemper eadem hora, etiam ſi primis diebus evacuationem fruſtrà tentemus, nam poſtmodùm aſſueſcens natura evacuationem ipſa eadem hora petet; Deindè ad tranſpirationem promovendam ſufficiunt, quæ tertio, & quarto paragrapho paulò ſuperiùs dixi. Urina vero potionibus congruis, &, ſi opus eſt, etiam calidæ aquæ potu longè a paſtu, aliiſque auxiliis eſt promovenda; ſi enim una, vel altera tantum die plurimum deficiat, aut ſupprimatur, jam in ſtatu morboſo conſtituimur, & Medici egemus auxilio pro ratione cauſæ, & morbi undè hoc ſympthoma dependet. Eadem ratione, ex lege contrariorum morboſæ ſunt evacuationes nimię omnes, & Medicam opem expoſcunt. Sic diſcurras de menſtruis purgationibus, & hemorroidum evacuationibus.

Sexto, tandem circa paſſiones animi adnotare ſubeſt valdè iis liquida omnia noſtri corporis affici; atque in ira quidem excandeſcere ſpiritus, in triſtitia conteri, & calorem imminui: tum in gaudio, & lætitia excedente improbè moveri, ac diſſipari, adeò ut quandoque morbus, & mors ipſa præ vehementia motuum hujuſmodi contingere poſſit. Quare vitanda ſunt pathemata omnia vehementiora, & modum excedentia gaudii, triſtitiæ, nec non amoris improbi, & contentionis animi, odii, atque invidi livoris, de quo ſcripſit Liricus,

Livor tabificum malis venenum.

Quod autem ad ſalutem confert eſt animi tranquillitas, & fortitudo, qua nec in adverſis frangimur, neque in proſperis diffusè nimium lætamur. Atque omnia mirificè præſtant virtutes omnes Chriſtianæ, quæ mentem ſerenam, animumque pacatum, & ab omnibus diſſidiorum agitationibus liberum conſtituunt, corpuſque ideò a motibus morboſis præſervant. Hæc ſummatim de tuenda valetudine dicta ſufficiant.

Siler

LIBER II.

Pathologia generalis.

POſtquam de ſtatu Hominis integro in phiſiologicis fusè, atque in ſuperiore libro de ſanitate, ipſiuſque conſervatione breviter diſſerui; ſtatum humani corporis præter naturam in hoc libro exponere aggredior, & Veterum doctrinam, interpoſitis meis cogitationibus, animadvertere.

Tria ſunt, per quæ a naturali ſtatu corpus humanum recedit: *morbus causa*, *& ſympthoma*; nam ad hæc reducuntur omnia, quæ ſanitati, atque integris actionibus adverſantur. Quamobrem in tria capita inſtitutionem hanc diſtribuam; in primo de morbo, in ſecundo de cauſa, in tertio de ſympthomate breviter agam. Tùm hiſce tribus quartum adiiciam: de morborum terminis, & criſibus.

CAPVT I.

De Morbo.

UT ſanitas in affectione naturali conſiſtit, qua functiones vitæ optimè fiunt; ità *morbus* generatim ponitur in affectu, qui primò, & per ſe actiones lędit; quod hunc ſequitur, appellatur ſympthoma; quæ illum excitat *cauſa*. Eſt autem in ſcholis communi conſenſu accepta definitio morbi ex doctrina Galeni deſumpta, per quam intelligitur nomine morbi: *Affectio humani corporis præter naturam, qua primò, & per ſe* (ſivè proximè) *actio læditur*. Debet autem hæc affectio diutiùs in humano corpore permanere; quam levis quælibet noxa occurſu cauſarum externarum contingens, non admodum ſenſibilis, aut effatu digna. Sic etiam per alia definitionis verba diſtinguimus morbum a cauſa, quæ non per ſe, ac primò, ideſt proximè, actionem lædit, ſed intermedio morbo, quem producit, ac diſtinguitur quoque ab impedimentis, quæ per accidens, non verò per ſe, actionem lædere dicuntur.

In ſcholaſticis exercitationibus diſputari ſolet an per plura prædicamenta vagetur morbus; nam vel in qualitate conſiſtere videtur, ut intemperies; vel in quantitate, ut elephantiaſis, & ſextus digitus in numero; vel in ſubſtantia, ut lapis in veſſica, vel in prædicamento relationis, cùm Galenus primò de ſanitate tuenda, ſanitatem ſymmetriam vocet; ac per conſequens morbus, ex lege contrariorum, ametria.

ametria ſit. Ex definitione tamen allata conſtat: genus, quod morbos omnes comprehendit, qualitatem eſſe; nam ſextus digitus, lapis, aliaque hujuſmodi, eatenùs morbi ſunt, quatenùs conſtituunt diſpoſitionem, aut habitum præter naturam, tametſi aut ſecundum materiam, aut ſeorſim ſumpta, ſub alio genere contineantur. Quinimmò, tametſi morbi phyſicè conſiſtant in motu, aut quiete præter naturam, quatenùs in omni morbo: vel quieſcit, quod movendum eſt, vel movetur, quod movendum non eſt, aut aliter quam movendum eſt; motus tamen iſte, vel quies generatim diſpoſitionem, aut habitum præter naturam important; ideòque ſub hoc genere qualitatis morbus rectè conſtituitur. Quamobrem Ariſtoteles in cathegoriis cap. de qualitate ſic loquitur: diſpoſitiones verò dicuntur, quæ fiunt facilè mobilia, & permutabilia, ut calor, & infrigidatio, *ægritudo, & ſanitas*; paucíſque interiectis ſubdit habitum appellari quæcumque hujuſmodi omninò difficilè mobilia. In hac igitur ſpecie qualitatis quæ habitus, & diſpoſitio appellatur morbus conſiſtit.

S E C T I O I.

De analyſi morborum per duo ſumma genera; & primùm de morbo in ſolido.

QVoniam duo ſunt in Homine ſumma genera corporum, quæ operationum inſtrumenta dicuntur, & quibus ritè ſe habentibus integræ actiones fiunt, ſanitaſque conſtituitur, *liquida* nimirùm, & *ſolida*; palam eſt ex lege contrariorum in iiſdem præter naturam affectis morbos fieri. Quamobrem analyſis morborum per hæc duo ſumma genera inſtituenda eſt, quorum videlicet aliud ſit, *morbus in ſolido*, aliud: *morbus in fluido*. Neque obſtat Veteres de hoc ſecundo genere non meminiſſe, ſed omnia vitia liquidorum, vel ad cauſas, vel ad ſympthomata retuliſſe; nam ſi reverà in liquidis dentur affectiones, quæ per ſe, ac primò, ſivè proximè lædant operationes [ut luculenter in ſequenti ſectione oſtendam] hoc ipſo evidentiſſimè conſtat, juxtà Veterum definitionem ſuperiùs allatam, & communi conſenſu ratam, ejuſmodi affectiones ad morbos propriè reducendas eſſe; ut igitur omnes morbos comprehendamus utrumque genus animadvertendum eſt, ac reſolvendum; & in hac primum ſectione morbi genus in ſolido (quod ſolum Veteres conſiderarunt) in ſequenti autem morbi genus in fluido.

Morbus in ſolidis in tria genera rursùs dividitur quorum primum eſt:

eſt: *intemperies*; ſecundum mala conformatio; tertium ſoluta unitas; atque duo prima genera correſpondent partibus ſolidis, quatenus ſimilares ſunt, vel quatenus organicæ, illis intemperies, his mala conformatio; tertium verò genus utriſque commune eſt.

Intemperies a Galeno diſtribuitur in quatuor ſpecies ſimplices, totidemque compoſitas. Primæ ſunt: calida: frigida: humida: ſicca: ſecundæ ſunt: calida, & humida: calida, & ſicca: frigida, & humida: frigida, & ſicca; eædemque intemperies, vel ſunt cum materia, vel ſine materia, prout adeſt, vel deeſt humoris analogi affluxus, qui tametſi, quandò adeſt, tumorem conſtituat ad ſecundum genus morbi pertinentem, adhuc nihilominùs ad intemperiem reducitur, ut inflammatio, quatenus exceſſum caloris in parte ſolida fovet. Intemperies verò ſine materia, quamvis a multis negetur, eo ſenſu intelligenda eſt quatenus materiæ, ſive humoris affluxus non eſt valdè conſpicuus. Porrò intemperies a Galeno etiam ſubdividitur; alia dicitur æqualis, alia inæqualis, alia in habitu, alia in diſpoſitione. Æqualis eſt in qua partes, æquali gradu qualitatis alicujus excedentis intemperatæ ſunt. Inæqualis ubi gradu inæquali. Quæ autem in habitu eſt, ut hectica, difficilè mobilis eſt; contrà quæ in diſpoſitione. Atque hæc ſummaria ſunt eorum, quæ de intemperie ad mentem Galeni Majores noſtri fusè traddiderunt, ſed non in his tantum excedentibus qualitatibus, quæ primæ dicuntur, intemperies conſideranda eſt; nam in iis etiam, quæ ſecundæ, atque tertiæ appellantur, hoc morbi genus conſiſtit; ſiquidem ex his quoque ſecundum naturam commoderatis temperamentum reſultat, ideoque, ex lege contrariorum, ab harum exceſſu intemperies, ut nimia flacciditas, rigiditas, tenſio, mollities, durities, lævor, aſperitas, raritas, denſitas, adſtrictio, dilatatio, craſſities, & hujuſmodi; inter quas maximè conſiderandæ ſunt, in partibus præſertim ſenſu præditis, tenſio, & laxitas, nam in omni propemodum intemperie, alterutra ex his in vitio eſt.

Porrò quia intemperies poſſunt eo uſque progredi, ut partem corrumpant, corruptio a quacumque intemperie ad ultimum gradum pertendente procedens ampla ſignificatione intemperies etiam dicitur; quamobrem intemperiei duo quoque genera diſtinguere licet, alterum ejus, quæ partium facultatem lædit manente tamen earum ſubſtantia, eſtque *intemperies* ſine corruptione; alterum verò ejus, quæ partem corrumpat, ut *gangrena*, *& ſphacelos*; gangrena eſt cum ſolida pars ad necroſim properat, emoriturque, ſed non ad oſſa pertendit corruptio; ſphacelos autem cum tota pars uſque ad oſſa corrumpitur; qui ſanè morbi nedum magnas inflammationes conſequuntur, ſed etiam ab aliis cauſis, ut a frigore extremo, & effluviis etiam

vene-

venenatis fiunt, ideoque non tantummodò inter tumores recenſentur, ſed ad intemperiem latè acceptam reducuntur.

Secundum genus morborum eſt affectio partium prout inſtrumenta ſunt; diciturque *mala conformatio*, cujus quatuor ſunt ſpecies, prima *in figura*, ſecunda *in numero*, tertia *in magnitudine*, quarta *in poſitura*. In prima ſpecie comprehenditur occluſio, vel obſtructio meatuum, & cavitatum, & quæcumque demum vitiata figura, quæ ad actionem neceſſaria erat. In ſecunda ſpecie: defectus cujuslibet particulæ ad integram actionem neceſſariæ, ut amputatio digiti, & ſimilia: exceſſus item numeri, ut ſextus digitus glandulæ adventitiæ in aliqua parte, cujus actio propterea læditur, & hujuſmodi. Ad tertiam ſpeciem refertur *aucta*, vel *imminuta magnitudo* qua vitiantur actiones, vel in toto corpore, vel in aliqua parte; *aucta* quidem in toto, ut elephantiaſis, immodica ſpinguedo motus impotentiam inferens, & hujuſmodi; *imminuta* verò, ut tabes. Rursùs *aucta* in aliqua parte, ut inflammatio, ac tumor omnis; *imminuta*, ut ulcus.

Tandem in compoſitione, ſeù poſitura dicuntur morbi, quibus partium inſtrumentalium ſitus, ad actionem neceſſarius, mutatur; idque dupliciter fieri contingit: Primò cum organa diſtincta ſimul arctè coeunt, ut oris labia, palpebræ, ac cętera hujuſmodi, quæ præter naturam coaleſcunt. Secundò cum e ſua ſede, aut ſitu prolabuntur, ut in ani, & uteri prolapſu, inteſtini deſcenſu in ſcrotum, & ſimilibus; ad quod genus luxationes articulorum reducuntur.

Tertium genus morborum in ſolidis eſt affectio partibus ſimilaribus, & organicis communis, quæ continui ſolutio dicitur; & vel a cauſis externis fit, vel ab internis. Ab externis primò *contuſio* a caſu, ictu, & percuſſione ſimili, quæ vel contuſio ſimplex eſt, quando inflectuntur tantummodò fibræ partis contuſæ; vel eſt *contuſio cum vulnere*, quando contuſi membri pars aliqua quomodocumque abripitur. Secundò ruptio quando fibræ ità diſtrahuntur, aut inflectuntur, ut manifeſtè dirumpantur; ſic oſſa, quæ nullam flexionem pati poſſunt, facilè franguntur, ſi tranſverſim percutiantur, & in oſſibus propriè *fractura* dicitur, ſicuti, cæſio ipſorum juxta fibrarum rectitudinem, *fiſſura* nuncupatur; membranæ verò, & vaſorum tunicæ flexiles, non frangi, ſed propriè rumpi dicuntur, quando a quavis cauſa diſtrahente, inflectente, aut diſtrahente ſcinduntur, ut in peritonei ruptura, aliiſque hujuſmodi contingit. Tertiò punctura, & ſectio quando ab ictu quovis vel pungente, vel ſecante ſolvitur unitas. A cauſis internis continui ſolutiones fiunt analogæ hiſce duobus generibus poſtremis, nàm percuſſiones partium ſolidarum a cauſis internis, ut in palpitatione, ac ſimilibus, contuſionem effatu dignam non efficiunt, ſed morbos adiacentium partium producunt magis

propriè

propriè ad meatuum occluſionem, aut obſtructionem phlegmonodem pertinentes. In hemorragiis, atque in hemopthiſi continui ſolutiones vaſorum debilium fiunt a copia, vel vitio ſanguinis: vel ruptis vaſis: vel ſectis: vel particulis ipſorum abraſis: vel poris dilatatis; quatuor enim hiſce modis integrè comprehenditur omnis continui ſolutio vaſorum ſanguineorum, qua ſanguis extra ipſa fluit; primus modus *rixis* dicitur, ſeù *ruptio*; ſecundus modus *diereſis* diviſio nimirùm, aut *ſectio*, ſub quo comprehenditur etiam *anaſtomoſis*, quam ponebant Veteres falsò putantes arterias cum venis non eſſe continuas; tertius modus appellatur *diabroſis* eroſio nimirùm undè ulcus producitur; quartus tandem *diapidiſis*, qua exit ſanguis e vaſis per poros tantummodò dilatatos; hæc autem dilatatio nedum a copia, & vitio ſanguinis diſtendente vaſa debilia fieri poteſt, verum etiam a ſtimulo quolibet diſtrahente ipſorum tunicas. Hic verò continui ſolvendi modus, qui rectè *diſtractio* dici poteſt, generatim competit omnibus partibus nerveis, ac membraneis, quando videlicet aut nimis diſtenduntur, aut contrahuntur, itaut alterutra ex his rationibus a debita connexionis unitate recedant, ut in convulſionibus, doloribus, & diſtenſionibus omnibus a ſtimulo, vel qualibet alia cauſa interna contingit.

SECTIO II.

De altero genere ſupremo morborum in fluido.

SUpereſt jam alterum genus morbi ſupremum, quod in fluido dicitur, exponere, ut integra morborum analyſis perficiatur. Breviſſimè autem ſequentibus propoſitionibus oſtendam priùs ipſum reverà dari, tum in quo conſiſtat, & in quæ genera ſubdividatur; tandem in organis facultatum omnium ipſum diſcernam.

PROPOSITIO I.

Datur morbus in fluido juxtà definitionem morbi communi conſenſu ratam.

PRæcipuum Animæ inſtrumentum, quo proximè actiones naturaliter fiunt fluidum nerveum eſt, ut ex phyſiologicis manifeſtiſſimè conſtat, ergo, ex lege contrariorum, hoc ipſum præter naturam

affectum proximè, ſivè primò, & per ſe actiones lædit, & (quod idem eſt ex rata definitione morbi) vitia ejuſdem fluidi reverà morbi ſunt, palàm eſt igitur dari morbum in fluido, ut demonſtrandum erat.

PROPOSITIO II.

Morbus in fluido ad motum, vel quietem præter naturam laticis nervei, & ſpirituum reducitur.

QUoniam ad actiones omnes concurrit ſemper, ut inſtrumentum proximum, & apprimè neceſſarium, illud fluidum contentum in cavitatibus fibrarum, quæ omnia organa ſolida componunt, latex videlicet nerveus cum ſpiritibus, cujus influxu fibræ omnes naturaliter inflantur, & moventur, aut quieſcunt, ſine quo neutiquam agere ulla fibra poteſt ex prop. 63. primæ partis de Homine. Proximum ergò actionum illarum principium, motus, vel quies illius fluidi eſt; juxta naturæ leges æquidem quando integræ ſunt actiones; præter naturam verò quando a naturæ lege declinant, ſivè læduntur. Ergo iſte morbus in fluido ad motum, vel quietem præter naturam reducitur, ut propoſitum erat.

PROPOSITIO III.

Cætera omnia vitia ſanguinis, & aliorum liquidorum, etiam in motu, & quiete præter naturam, non morbi, ſed cauſæ dicuntur.

QUia cætera omnia vitia ſanguinis, & aliorum liquidorum, etiam in motu, & quiete, non proximè actiones lædunt, ſed intermedio motu, aut quiete ſucci nervei, ac ſpirituum, ut ex antecedente, ac propoſitione ibidem citata luculenter infertur, palam eſt non morbos, ſed cauſas dici ex rata definitione cauſæ in principio hujus capitis tradita.

PRO-

PROPOSITIO IV.

Morbum in fluido per tria genera omninò dividere.

FAcilimè jam, & breviſſimè in hac propoſitione incipitur, & in ſequenti abſolvitur analyſis integra morbi in fluido; cum enim hoc genus morbi conſiſtat in motu, aut quiete præter naturam laticis nervei, & ſpirituum ex ſecunda; motus autem, vel quies præter naturam, aut in defectu, aut in exceſſu, aut in alteratione conſiſtat manifeſtiſſimè, ſiquidem nil aliud excogitari poteſt in motu, vel quiete præter naturam, quod in hiſce neceſſariò non comprehendatur; palam eſt igitur per hæc tria genera omninò dividi morbū in fluido; &, ſi plura quidem, vel omnia hæc contingant, palam eſt plura, vel omnia genera morborum in fluido complicari.

PROPOSITIO V.

Morbos in fluido, tribus generibus comprehenſos, in omni genere facultatum diſcernere.

HIS poſitis obvium eſt jam in omni genere facultatum, ſivè (quod idem eſt) in naturali, vitali, & animali morbos in fluido tribus præfatis generibus comprehenſos diſcernere.

Primò enim ſi vel deficiat, vel excedat, vel quomodocumque alteretur motus liquidi nervei, contentorumque ſpirituum ad organa facultatis naturalis, adeò ut actiones ipſarum lædantur, incipiunt ibidem morbi in fluido ex ſecunda, & quarta; ſic influxus animalium ſpirituum qualibet de cauſa in ventriculi, & inteſtinorum propagines nerveas, & membranas, earumque fibras a lege naturali præfatis rationibus recedens morbus reverà eſt; nam auctus ibidem a qualibet cauſa irritante, quietem adimit chiloſi perficiendæ neceſſariam, fitque paſſio cæliaca, vel etiam lienteria; ſimiliter in inteſtinis diarrhea, diſenteria, & alvi fluxus alii, hunc etiam morbum in fluido conſequuntur. Deficiens verò ejuſdem fluidi motus, alia ratione actionem naturalem lædit, apepſiam, alvi ſtipticitatem, aliaque hujuſmodi ſympthomata inferens. Alteratus tandem anorexiam, cynorexiam, nauſeam, vomitum, diſpepſiam, aliaſque hujuſmodi affectiones concitat. In glandulis etiam quibuslibet, ſi quavis de cauſa deficiat ſpiramentum tenuiſſimum liquidi nervei, quo inſtrui debent, pro natu-

rali contractione, fibrillæ membranarum vaſcula, & loculos ipſarum conſtituentes juxta propoſitionem 43. ſecundæ partis de Homine; tunc adveniens humor excernendus validiùs diſtrahere poterit membranulas præfatas, quam ut poſtmodum contrahi valeant; quo in caſu plùs implebuntur loculi, quam ut exonerari per vas excretorium poſſint; eritque hæc repletio, & obſtructio morbus in ſolido quidem, ſed productus ab alio morbo, qui præceſſit, in fluido, ſivè in illo ſpirituum motu deficiente, nam *ex morbis morbi fiunt*; & viciſſim utrumlibet morbi genus aliud producere valet.

Secundò ad organa facultatis vitalis influxus liquidi nervei, & ſpirituum imminutus debilitatem virium, aſphyxiam, & ſyncopem pro vario gradu conſtituit; auctus febrem; perturbatus intermittentem pulſum, palpitationem cordis, & hujuſmodi alias actionum læſiones proximè infert.

Tertiò ad organa tandem facultatis animalis motus deficiens animalium ſpirituum apoplexiam, alioſque affines affectus proximè conſtituit; auctus dolores, diſtenſioneſque partium ſentientium; alteratus, & perturbatus deliria, epilepſias, convulſivos motus varios pro varietate loci, puta hyſtericos, hypocondriacos, ac demum etiam convulſiones.

Cum igitur læſiones omnes actionum per ſua genera expoſitarum a motu, vel quiete præter naturam nervei ſucci, atque ſpirituum proximè pendeant, palàm eſt in omni genere facultatum hoc morbi genus diſcerni.

SCHOLIVM.

Utrique morborum hactenus expoſitorum generi variæ proprietates accidunt, quæ vel ad morborum eſſentiam; vel ad ſubiectum, quod morbo afficitur; vel ad cauſas tum internas, tum externas referuntur. In primis autem, prout morbus magis, vel minùs lædit; aut plùs, vel minùs durat; aut continuò, aut per intervalla lædit; aut ad ſalutem, aut ad interitum definit; aut unus eſt, vel aliis comitatus; his de nominibus proprietates iſtæ referuntur ad eſſentiam; eſt videlicet morbus *magnus*, vel *parvus*; *continuus*, vel *intermittens*; *longus*, vel *brevis*; & brevis quidem vel eſt ſine periculo, vel cum periculo; hic autem *acutus* dicitur, cujus quatuor differentias Galenus ad mentem Hippocratis diſtinguit; alius enim exactè peracutus eſt quarto circiter die deſinens, alius peracutus, qui ad ſeptimum; alius exactè acutus, qui ad decimumquartum; alius acutus qui ad vigeſimum, & ultrà, uſque ad quadrageſimum extenditur; ultra quem terminum, ſi ob defectum criſeos, vel alia de cauſa mor-

bus

bus non deſinat, *acutus ex decidentia* nuncupatur. Deinde pro ratione ſubiecti, quod afficitur, morbus vel eſt *univerſalis*, quo totum corpus, vel *particularis*, quo pars aliqua laborat; item vel *eſſentialis*, vel *ſympthomaticus*, idemque ſonat *idiopaticus*, vel *ſympathicus*; ille primariò, vel in toto, vel in aliqua parte reſidet; hic ab illo proficiſcitur. Tandem, pro ratione cauſarum internarum, *legitimus* eſt, vel *ſpurius*, & pro ratione cauſarum externarum, vel *endemius*, vel *epidemicus*, vel *ſporadicus*. Endemii morbi dicuntur, qui alicui regioni ſunt familiares ob proprietatem aeris, vel ſoli, vel ob peculiarem cibi, & aquarum uſum; Epidemici, ſeù populares appellantur, qui communiter vagantur a communi cauſa dependentes, quam capite ſequenti exponam, ſuntque vel magna ex parte ſalutares, vel aliquando maligni, peſtilentes, & contagioſi. Tandem ſporadici ſunt qui ſub diverſis ſpeciebus vagantur, ut cum quis pleuritide, alius angina, alius tertiana laborat, & ſic de aliis diſcurras, qui non a cauſa communi, ſed a ſuis quique cauſis peculiaribus oriuntur.

CAPUT II.

De Cauſis morborum.

NOmine cauſæ intelligunt Medici nedum quæcumque morbos efficere poſſunt, ſed quæcumque ad ipſos diſponunt; immò etiam naturales ſubiecti, quod afficitur, aptitudines. Quamobrem hæc generaliſſima, & plana definitio præmittenda videtur: *Cauſa morbi eſt quicquid vel agendo, vel cedendo, ad morbum in corpore humano producendum quacumque ratione concurrit.*

Communis, & rata diviſio cauſarum eſt: in *externas*, ſivè [ut alii cum Celſo loquuntur] evidentes, & internas. Externæ, ſeù evidentes aliæ dicuntur neceſſariæ, aliæ non neceſſariæ. Primæ ſunt ſex res non naturales in Higiene adnotatæ, quarum probus, vel improbus uſus, bona, vel mala conſtitutio ſanitatem, aut morbos inducit. Non neceſſariæ verò dicuntur quæcumque fortuitò morbos inferunt, ut ictus gladii, caſus, percuſſio, morſus, ac ſimilia extrinſecùs advenientia.

Internæ cauſæ aliæ ſunt *antecedentes*, aliæ *coniunctæ*, illæ ſunt remotæ, hæ proximæ. Sic, in inflammatione, ſanguis in parte inflammata ſubſiſtens cauſa coniuncta eſt, proximè inflammationem conſtituens; plenitudo autem, aut vitium ſanguinis propter quod ſubſiſtere actum eſt, cauſa antecedens dicitur. Porrò cauſa coniuncta, vel eſt tantummodò coniuncta, vel etiam *continens*; illa cum morbo quidem

quidem jungitur, ita ut ipſa poſita ponatur morbus, non tamen ita connexa morbo, ut, ipſa ablata, morbus neceſſariò tollatur; continens verò eſt, qua poſita ponitur, & ablata tollitur morbus, ut ſextus digitus, calculus, obſtructiones, & hujuſmodi, quibus ablatis neceſſariò ceſſant morbi ab iis dependentes. Diſtinguitur etiam cauſa coniuncta a *proxima* præcisè accepta; nam omnes morbi habent cauſam proximam, non omnes tamen coniunctam; ſic ictus gladii eſt cauſa proxima vulneris non tamen coniuncta, quia non permanet, quamobrem cauſa coniuncta eſt ſemper interna.

Jam verò inutilibus controverſiis, aliiſque prolixitudinibus omiſſis, omnes cauſas ex ordine ſequentibus ſectionibus exponam.

SECTIO I.

De morboſa diſpoſitione.

CAuſas morborum expoſiturus ab antecedente diſpoſitione incipio; & hic potiſſimum de illa loquor, quæ in ſolidis eſt, cum hæc non rarò a nativitate proficiſcatur, ſitque per conſequens prior cauſis externis. Alia deinde ſectione de cauſis externis, quæ tum paulatim diſpoſitiones morboſas inducunt in fluidis, tum, ubi diſpoſitiones adſunt, morbos confeſtim pariunt, agam; tandemque cauſas internas explicabo.

AXIOMA PRÆMITTENDUM.

Nulla Cauſarum ſine patientis aptitudine agere poteſt efficaciter.

HOC axioma ex Galeno deſumptum lib. 1. de differentiis febrium cap. 4. cum pronunciatis phyſicis elementorum meorum x. & xi. coincidit, communi quidem notione ratis, & evidentiſſimis.

PROPOSITIO VI.

Cauſarum, quæ morbos conſtituunt, prima ſemper eſt diſpoſitio præter naturam vel in liquidis, vel in ſolidis, vel in utriſque.

DIſpoſitio iſta dicitur a Medicis: *Cauſa* latè accepta, ut ex definitione, quamquam a philoſophis conditio *ſine qua non* appelletur

letur, Propoſitio autem ex pronunciato præmiſſo manifeſtiſſima eſt, nulla enim cauſarum ſine hac diſpoſitione, vel in ſolidis, vel in liquidis, vel in utriſque, morbos parere poteſt efficaciter; hac verò poſita, per ſupervenientes alias cauſas morbi fieri poſſunt; quarè prima ſemper eſt.

PROPOSITIO VII.

Diſpoſitio morboſa ſolidorum, vel in temperamento, vel in habitu totius, aut partis, vel in utroque conſiſtit.

PAlàm eſt enim ad hæc ſumma genera: temperamentum videlicet totius, & partium referri omnes diſpoſitiones morboſas ſolidorum, ita ut ne ulla quidem excogitari poſſit, quæ in hiſce non comprehendatur; ſiquidem cujuslibet corporis habitudines omnes per hæc neceſſariò conſtituuntur.

PROPOSITIO VIII.

Morboſas diſpoſitiones in temperamento, habituque corporis, & habitudine partium explicare.

IN primis temperamenta omnia tàm in ſolidis, quàm in liquidis, quæ a media menſura, ceu regula recedunt, quamquam naturalia ſint, ceu intra ſanitatis limites conſtituta, diſpoſitionem habent ad intemperiem, pro ratione illius receſſus; faciliùs enim pro eadem ratione ad affinem intemperiem morboſam a cauſis ſupervenientibus, hanc producere aptis, vertuntur. In ſolidis potiſſimùm adnotanda ſunt temperamenta cæterarum qualitatum, quas præter primas, innui ſuperiùs capite primo ſectione 1. nam per hæc, habitudo corporis, & ſingularum partium conſtituitur, ut ex doctrina Galeni comm. 4. lib. de ratione victus in acutis, & libro de optimo corporis habitu infertur.

Quod itaque ad morboſas diſpoſitiones in habitu corporis, & partium attinet; in primis adnotare operæ pretium eſt, ex eadem Galeni doctrina, optimum habitum dependere ab optima commoderatione qualitatum omnium, prout perfectus uſus cujuslibet partis, &

perfecta

perfecta conſtitutio totius exigit. Quia verò, ſanitas latitudinem habet ſuam, ſupremum ipſius gradum Medici bonum habitum vocant; *lapſum* verò, ſivè ab eo (intra ſanitatis limites) recedentem, nondum, ut inquit Galenus, nomine proprio appellarunt, ſed, perindè ac genus ipſum, ſanitatem nuncupaverunt, ſicut bonus habitus optima ſanitas eſt. Prætereà hunc ab Atletarum habitu idem Præceptor diſtinguit; quamquam enim & in bono ſimpliciter, & in Atletarum quoque habitu, bona omnium particularum temperatura ſit, illud eſt inter hunc, & illum diſcriminis, quod in illo commoderatio ſanguinis, ac ſolidarum partium molis adſit; in Atletico autem habitu copia ſanguinis, & carnea moles nimis augeatur, undè tandem periculum imminet ne, aut ſuffocetur calor, aut vaſa diſrumpantur, aut compreſſio valida in cerebro fiat, qua viæ ſpirituum occludantur, & concidant facultates omnes, vitaque deficiat.

His breviter de morboſa diſpoſitione habitus Atletarum adnotatis, animadvertere ſupereſt alias diſpoſitiones in habitibus *lapſis*, nec non in ſimilibus partium habitudinibus, reſpiciendo ideam optimi habitus tamquam Policleti regulam. Idem Galenus libro de optima corporis conſtitutione docet: habitum corporis moderato duriorem adversùs omnes cauſas externas firmiorem, ac tutiorem eſſe, molliorem verò, adversùs internas; eademque ratione denſiorem externis magis reſiſtere, rariorem ab internis magis offendi, eo ductus ratiocinio, quod raritas corporis ad tranſpirationem recrementorum ſit aptior; ſi tamen corpus rarum alia quacumque de cauſa minorem copiam recrementorum per tranſpirationem emittat, inſalubre magis eſt quam denſum, ut innuit, eo ipſo, quod a cauſis externis læditur faciliùs; atque hinc infert: quod ſi firmus, denſuſque habitus non in tanto iſtarum qualitatum exceſſu ſit, ut difflationem caloris, ac tranſpirationem impediat, longè ſalubrior eſt molli, ac raro. Graciles habitus, qui una ſimul molles, rarique ſunt, multò faciliùs læduntur a cauſis externis, alio autem de nomine inſalubres ſunt habitus obeſi, ac pingues; in his enim vaſa potiſſimum debiliora faciliùs comprimi præter naturam poſſunt; ideoque proni ſunt ad morbos, qui compreſſiones nimias conſequuntur.

Quæcumque de habitibus variis totius corporis dicuntur, intelligenda ſunt etiam de ſimilibus habitudinibus partium, quarum proptereà diſpoſitiones morboſæ particulares proportione reſpondent iis quas in toto adnotavi. Magis autem conſiderantur in his: aut debilitas, & habitudo laxa, quæ facilè fluxiones, congeſtioneſque humorum admittit; aut nimia tenſio, quæ ſtimulos ægrè fert, ideòque ad dolores, ac inflammationes partem ipſam hoc de nomine magis diſpoſitam reddit. Hujuſmodi autem habitudines partium, itemque

habitus

habitus totius, partim a naturali conſtitutione, ſeù à nativitate ortum ducunt, partim quoque a varia conſuetudine, ac diuturna cauſarum externarum actione proficiſcuntur.

SCHOLIVM.

AD hæc reducuntur præſertim diſpoſitiones, & cauſæ morborum in mala conformatione ab ipſa nativitate, quas fusè Galenus explicat libro de cauſis morborum; ſi nimirùm virtus formatrix a ſuo munere deficiat: vel propter imbecillitatem [quando Parentes admodum debiles, aut malè affecti ſunt]: vel propter materiæ vitium, [quando ipſa quantitate, aut excedente, aut deficiente peccans, aut vitio qualitatis affecta, non ritè obtemperat motibus ad perfectam formationem neceſſariis] vel tandem utraque de cauſa. Tametſi autem aliæ ſupervenientes quoque cauſæ concurrant: vel in ipſo partu, quando aut infeliciter, & incongruo modo exit ab utero, aut minùs cautè ab obſtetricibus excipitur; vel etiam poſt partum ex vitiato lacte, mala educatione, aliiſque cauſis externis, propter quas citiùs, vel tardiùs infantes incidunt in morbos præfati generis, fiuntque gibbi, claudi, vari, vatii, [idemque dicas de aliis quibuslibet malis conformationibus] plerumque tamen diſpoſitio morboſa contrahitur ab aliquo ex præfatis vitiis, & ab hæreditaria Parentum infirmitate.

SECTIO II.

De Cauſis externis, ac potiſſimum de aere.

QUoniam corpora, quæ a nativitate debilia, vel quavis ratione malè diſpoſita ſunt, aut partes debiles, ac malè diſpoſitas habent, a cauſis externis ulteriores morboſas diſpoſitiones nanciſcuntur; de his nunc ex ordine agendum eſt. Cauſæ externæ, ſuperiùs enumeratæ in principio hujus capitis, bifariam corpus noſtrum afficiunt; vel enim actione diuturna diſpoſitiones morboſas plectoræ, aut cacochimiæ promovent, donec tandem oriantur morbi; vel confeſtim actione valida hos inferunt; & hoc equidem ſecundo modo nedum agunt inopinati caſus, & vulnera, ut ibidem innui, ſed etiam cauſæ externæ non naturales, quæ neceſſariæ dicuntur, ut improba exercitatio, motuſque animi, ebrietas, tranſpiratio cohibita, & hujuſmodi, nam confeſtim, & vehementer agendo in corpora jam diſpoſita morbos producunt. Potiſſima verò inter has cauſas aer eſt, ut monet Hippocrates 3. aphoriſm. morbos pariens utraque

ratione, vel ſcilicet paulatim alterando, vel confeſtim has, aut illas epidemias inferendo; cum igitur idem Præceptor libro de flatibus inſuper doceat: ſolum aerem mortalibus vitæ, ac morborum ægrotis cauſam eſſe, illius vitia ulteriùs exponenda ſunt, cæteras enim cauſas vulgò notiſſimas innuiſſe ſatis eſt.

Vis omnis, quæ ineſt aeri, alterandi corpora noſtra, & morbos vel paulatim, vel confeſtim excitandi, conſiſtit aut in mutatione primarum qualitatum, aut in effluviis, aliiſve corpuſculis, quomodocumque naturæ noſtræ infenſis, tum a Cælo demiſſis, tum a ſolo elevatis, tum in atmoſphera ipſa genitis. Utraque autem vis in primis conſideranda eſt generatim, & præciſa quoque a preſſione atmoſpheræ; nam & vehemens calor, ſive Solis æſtus; & ſubtilia etiam e Cælo demiſſa effluvia, vel abſque auxilio p æmentis atmoſpheræ in corpus noſtrum penetrant; ac etiamſi preſſio atmoſpheræ, in magnis mutationibus temporum, ad alteranda corpora noſtra concurrat, hæc feorſim poſtmodum eſt animadvertenda, utpotè quæ alia ratione morbos parit, ac expreſſiones morboſas molitur. Quamobrem in hac ſectione aeris vitia in tribus generibus conſiſtentia diſtinguam *alteratione*, *preſſione*, *& expreſſione*, ut Magnus Præceptor libris citatis indigitat; nam 3. aphoriſm. alterationem per manifeſtas qualitates exponit, in lib. autem de flatibus docet morbos evenire: ſi aer aut plùs, aut minùs, aut cumulatior, aut morbidis ſordibus inquinatior in corpus ſe *ingerat*, quibus verbis nedum alterationem innuit ab omnibus aeris inquinamentis procedentem, ſed & per illa: *ſi plùs, aut minùs, aut cumulatior*, vim *preſſionis* indigitat, ex qua etiam tertium vitii genus, *expreſſio* videlicet, neceſſariò dependet.

Alteratio per primas qualitates in magnis, & inſuetis mutationibus temporum perſpicua eſt ex qualitatum iſtarum vi notiſſima, quæ nedum in ſanguinem cum inſpirato aere perveniens ipſum afficit, ſed & extrinſecùs nerveos canales, veluti totidem termomebros proximè invadens, ſpiritus contentos movet; utrobique autem patet vehemens *frigus*, *& ſiccitatem* liquida condenſare; *humiditatem* infercire, tranſpirationem cohibere; calorem verò excedentem attenuare, diſſipare, languorem inducere. Quamobrem in his ulteriùs immorari ſupervacaneum eſt.

Porrò de abditis effluviis, & inquinamentis omnibus aeris, quibus morbi tum ſalutares, tum læthales producuntur ſequens generale theorema perſtringit quicquid certum, & ratum eſt, undè indicationem habemus omnium auxiliorum, quæ præſtare poſſumus ubicumque naturæ vigor non d eficit.

PRO-

PROPOSITIO IX.

Quicquid occultum ineſſe poteſt aeri, naturæ noſtræ quomodocumque infenſum, neceſſariò: vel a Cæleſtium Corporum influxibus demittitur: vel a ſubſtrato ſolo elevatur: vel, utraque de cauſa, in atmoſphera ipſa gignitur. Iſtud autem quodlibet, intrà corpus noſtrum perveniens, poteſt morbos confeſtim excitare, ubi diſpoſitiones adſunt; vel ad illos diſponere ſi noſtris viribus ita reluctetur, ut extra corpus hæ illud eliminare, aut ipſi reſiſtere non valeant.

PRima pars evidentiſſima eſt; non enim aliundè in aerem venire, aut in ipſo produci quidquam poteſt, ſiquidem in his univerſa natura corporea comprehenditur.

Secunda verò pars manifeſtiſſima eſt ex pronunciato x. & xi. phyſicorum; ſiquidem hujuſmodi ſubtilia, intra corpus humanum pervenientia, hoc ipſo, quod naturæ noſtræ infenſa ſint, niſi vires naturales ea expellant, aut iis reſiſtant, neceſſariò prævalent, ac, per conſequens, pro ſua vi, citiùs, vel tardiùs morbos pariunt, aut ad hoſce diſponunt. Sic ſubtilia valido motu inſtructa, quæ a cæleſtibus corporibus vitæ noſtræ infenſa influunt, unà cum cæleſti, & vitali materia inſpirata, & cum ſanguine, aliiſque liquidis noſtri corporis confuſa, motibus adverſis, vel obliquis naturalem actionem vitalis etheris in phyſiologia expoſitam impedire, aut perturbare valent, atque craſim evertere, febreſque malignas, epidemicas, & contagioſas in corporibus diſpoſitis minùs reſiſtentibus confeſtim parere; inflammationes viſcerum, apoplexias, convulſiones, aliaque genera exitiorum, & ſincopes etiam convulſivas, morteſque ſubitas inferre, pro varia corporum diſpoſitione. Poſſunt inſuper, unà cum liquidorum noſtri corporis particulis, venena ingenita conſtituere, quibus hujuſmodi morbi fiant; ſic dicas de halitibus venenatis a terra ſurgentibus, vel occaſione terremotuum, vel a cryptis undè peſtes ortas narrant Hiſtorici; ſed & a paludibus, & quibuſdam locis pinguibus aerem inquinari conſtat experientia, morboſque indè varii ge-

neris epidemicos, quandoque tamen minus periculoſos fieri.

PROPOSITIO X.

Generationem inſectorum in humano corpore breviter animadvertere.

INter extranea, quæ inſunt aeri adnumerantur ova inſectorum inviſibilia, quæ Recentiores eruditiſſimi peſtem producere admodum probabiliter arbitrantur, aſſumentes in meliore hypotheſi, quod Kirkerius de peſtis cauſa, videlicet de hac inſectorum ſobole pridem ſcripſerat, quam in ſua hypotheſi ex ſola putredine oriri putabat. Quamquàm verò & in corpore humano, & in atmoſphera gigni poſſe hujuſmodi ova cenſeam, indeque in humanum corpus pervenire, non propterea in *homeomeriam* Anaxagoræ, aut aliorum *panſpermiam* adducor, ne in hypotheſeon incredibilium difficultates incidam; immò aliorum Veterum, & Recentiorum ſententia me quoque ſuadet: ova iſta, non minus ac alia naturæ producta non præeſtitiſſe a principio mundi, ſed generari a fæcundante omnia cæleſte fluido, ubicumque aptitudo loci, & materiæ movendæ ad hoc ſubtile opus producendum concurrit, ut ſatis comprobaſſe mihi videor in meis elementis phyſicis. Hac ratione doctiſſimus Laurentius Bellini vermium ova intus in humano corpore gigni poſſe ratus eſt. Potiſſimum verò ab externo ambiente fluido proficiſci videntur, ut arbitratur Nicolaus Stenon de ſolido intra ſolidum pag. 31. Ubi nomine fluidi ambientis intelligit nedum illud, quod *expoſitam oculis noſtris ſuperficiem, atmoſpheræ inſtar, ambit*; ſed etiam illud, quod *contingit corporis ſuperficies reliquas omnes dictæ ſuperficiei per majora foramina continuas; ut ſunt, præter ductus aſperæ arteriæ, tota ſuperficies viæ alimenti, veſſicæ, uteri [ſaltem pubertatis annis] & tota demum ſuperficies omnium vaſorum excretoriorum, a capillaribus uſque ad oſtia continuando, quæ in aures, palpebras, nares, oculos, viam alimentorum, veſſicam, uretram, uterum, & cutim, ſua contenta excernunt.*

PRO-

PROPOSITIO XI.

Cur atmoſpheræ preſſio per tempeſtatum mutationes varietur.

Certiſſimum eſt experientia per barometrum conſpicua, in his, vel illis mutationibus temporum, modò magis, modò minùs attolli mercurium a majore, vel minore aeris preſſione. Sed & videmus etiam abſque barometro, hyemis tempore præſertim, dum aer ſerenus eſt, ac venti ſilent, pro borealis frigoris ratione, maris æquora deprimi ab atmoſphera, & hujus rei cauſam facilè percipimus, neceſſariò enim aeris preſſio major eſt per lineam horizonti perpendicularem, quando minùs agitatur ipſe aer a ventis per lineas horizontales, ut ex legibus motus patet; viceverſa obſervarunt Recentiores aerem nebulis, nubibuſque refertum preſſione minore pollere; immò (quod admirabilius eſt) pluvia ipſa cadente minùs præmere, quam reſtituta ſerenitate. Hoc tamen advertendum eſt non ſemper aerem nubilum preſſione minore pollere; atque obſervatum eſt hic ab Amico probatæ fidei mercurium in barometro quandoquè attolli nubilo aere, immò etiam pluvia cadente, quamobrem abſre nonnulli Recentiores falſam putant obſervationem celeberrimi Alphonſi Borelli de motibus naturalibus a gravitate pendentibus prop. 115. ſiquidem in noſtris Regionibus aer nubilus terrenis halitibus a regnante, ſed non perflante Borea, refertus neceſſariò magis premit; halitus enim terreni, ceù rigidæ machinulæ elaſticæ, quas in elementis phyſicis deſcripſi, minimis conſtant nedum arctiùs unitis, ſed etiam mole majoribus, &, per conſequens, magis ponderantibus quam molles auſtrini vapores, quamobrem nedum elatere, ſed etiam pondere premunt multò magis quam hi, cum aeris preſſio & pondere, & elatere fiat, ut laudatus etiam Borellus docet.

PROPOSITIO XII.

Quot modis preſſio atmoſpheræ variata morbos inferre valeat.

Quoniam preſſio atmoſpheræ trifariam variari poteſt, *exceſſu*, *defectu*, & *inæqualitate* [his enim ſummis generibus omnes,

quæ

quæ ipſi contingunt, mutationes integrè comprehenduntur] animadvertendum eſt, quibus rationibus hæ varietates morbos inferre valeant.

Primò autem preſſionis exceſſus in quibuſdam habitibus raris, & gracilibus, glandularum laxitate, ſeroſa colluvie, ac hujuſmodi cauſis jam malè diſpoſitis, varios morbos parit, pro varietate partium magis diſpoſitarum; ut experientia irrefragabili conſtat in vehementi frigore aquilonari, quo tenella vaſa comprimuntur, tranſpiratio cohibetur, condenſatis vaporibus, & in fluxiones varias coactis. Certum eſt etiam experientia graciles habitus, qui præſertim anguſto pectore malè conformati ſunt hac eadem de cauſa cadere in hæmopthyſim, indéque in pthyſim, alioſque habitus plenitudine, vel cacochimia malè diſpoſitos in febres rheumaticas, pleuritides, aut peripneumonias incidere.

Secundò preſſionis defectus, in auſtrina conſtitutione diuturna contingens, venas minus comprimit, quæ proindè in majorem perimetrum a contento ſanguine diſtenduntur; tantumque minuitur velocitas ejuſdem per directiones venarum, quantum deficit vis compreſſionis urgens illum per eoſdem canales; intereà verò pro ratione plenitudinis, & retardati motus, ſanguis ſuccedens majorem invenit in præcedente reſiſtentiam, cui proportione reſpondet proximarum quoque arteriarum diſtenſio, quæ omnia ex legibus motus, ex doctrina circulationis ſanguinis, & re ipſa manifeſtiſſima ſunt. Sic experimur, quod Hippocrates docet 3. aphoriſmorum, ab hujuſmodi diſtenſione in auſtrinis conſtitutionibus: caput gravari, auditum hebetari, & ſimilia contingere; quod ſi adſit prævia plectoræ, vel cacochimiæ diſpoſitio, palam eſt præfatis de cauſis poſſe ſanguinem alicubi ſubſiſtere, atque inflammationem, alioſve hujuſmodi morbos inferre; præterquamquod humidi vapores auſtrini poris cutaneis apulſi tranſpirationem cohibent, vel imminuunt, ut experimur ex laſſitudine, ac ſegnitie quam inferunt; ideòque hoc etiam de nomine morbi oriri poſſunt facillimè, ubi adeſt antecedens diſpoſitio.

Tertiò tandem preſſio inæqualis, videlicet: modò major modò minor, alternatim quoque præfatos effectus infert; hujuſmodi verò inæqualitas potiſſimum contingit, quando venti alternatim, & inæqualiter perflant, modò vehementiùs, modò mitiùs, & aerem in undas inæquales compellunt.

PRO-

PROPOSITIO XIII.

Quomodò per atmoſpheræ preſſionem variatam expreſſiones morboſæ fiant.

PRæterea, ſi ſola, & præciſa preſſio atmoſpheræ morbos, corporibus jam diſpoſitis inferre valet, multò magis etiam expreſſiones, quæ indè ſequuntur. Trifariam verò atmoſpheræ preſſio variata expreſſiones morboſas molitur: aut enim ab aere ipſo exprimitur materia morbos producens: aut ab ipſius corporis noſtri vaſis: aut utrinquè.

Primò itaque in inſpiratione aer implens pulmonum veſſiculas, premenſque ſanguinea vaſa, iiſdem circumvoluta, neceſſariò, pro ratione reſiſtentiæ iſtorum vaſorum, repatitur, ſive reprimitur; quare compreſſis, per hanc preſſionem, & repreſſionem, craſſioribus aeris particulis, hoc ipſo exprimuntur ſubtiliora, & liberiora corpuſcula, fluuntque quà poſſunt; &, per conſequens, quæ apta ſunt poros proximorum vaſorum ingredi, hac eadem compreſſionis, & expreſſionis vi, per ipſos poros in ſanguinem urgentur. Et quoniam capacitas pororum illorum vaporibus a ſanguine manantibus exitum permittit, ut in expiratione cernimus, ergò poterunt eadem ratione per inſpirationem expreſſi ab aere ſubtiles vapores per eoſdem poros in ſanguinem ingredi, ſicut alia etiam cujuſcumque generis corpuſcula ſubtilia minore magnitudine inſtructa, quam ſit meatuum iſtorum intercapedo, inter quæ recenſentur morboſa inquinamenta in aere inſalubri contenta, ut Hippocrates, propoſitione VIII. relatus, docuit.

Secundò manifeſtum eſt etiam per vim preſſionis atmoſpheræ a vaſis noſtri corporis expreſſiones morboſas fieri poſſe. Sit enim aeris preſſio major, ut in aquilonari conſtitutione: compreſſa igitur magis quam par eſt vaſa, hoc ipſo exprimere magis poterunt, quod liquidiùs in ipſis continetur per meatus eorumdem tranſpirare aptum; id autem facilè contingere videmus, dum ſanguis, vel plectora, vel cacochimia malè diſpoſitus eſt, in corporibus præſertim gracilioribus; nam compreſſa tunc vaſa rheumaticas fluxiones per expreſſionem hùc illùc emittunt pro varia diſpoſitione partium; ſic optimè Hippocrates tertio aphoriſmorum docet, aquilonem tuſſes movere. Sit viceverſa preſſio aeris minor, ut in auſtrina conſtitutione, ſitque, per conſequens (quod idem eſt) tantò major vaſorum a contento ſanguine diſtenſio, & dilatatio, quantò minor eſt eorumdem compreſſio,

preſſio, cum omnibus expoſitis in antecedente numero 2. tunc igitur a ſanguine ſegniùs fiuente per eoſdem canales magis diſtentos, uberiùs exprimi poterunt vapores, & quicquid liquidius continetur in ipſo, dum ſuccedens ſanguis valido cordis pulſu nititur in præcedentem, qui pro ratione tardioris motus per directiones vaſorum reſiſtens magis ſuccedenti, hoc ipſo iſtius motum ad eadem vaſa diſtendenda reflectit; quare in iſtis conſtitutionibus experimur excitari fluxiones ad partes magis debiles, magiſque diſpoſitas, præſertim ſi plectora, vel cacochimia præceſſerit.

Tertiò, ſi per atmoſpheræ preſſionem, & ab aere ipſo, & a vaſis exprimi poteſt materia, fluxiones morboſas conſtituens, eaque vel ab aere in ſanguinem, vel a vaſis in corporis partes urgeri, ut diſtinctè oſtenſum eſt; patet jam utrinque ſimul morboſas iſtas expreſſiones fieri poſſe.

SECTIO III.

De Cauſis internis morborum utriuſque generis.

IAm diſpoſitiones morboſas in ſolidis, ac deindè cauſas externas præcedentibus ſectionibus expoſui; nunc diſpoſitiones morboſas in fluidis, & cauſas internas morborum omnium animadvertam. Hæ autem in vitiis ſanguinis conſiſtunt, & antecedentes dicuntur, quando non adhuc morbos pariunt; quando autem adeò creſcunt, ut morbi conſtituantur, jam cauſæ proximæ, atque coniunctæ fiunt. Omnes reducuntur ad tria genera: *quantitatem*, *qualitatem*, ac *motum*.

Duo prima genera Majores noſtri tamquam cauſas univerſales internas poſuerunt, & quantitatis exceſſum præciſum nomine *plectoræ* intellexerunt, quæ bifariam ad Galeni mentem diſtinguitur: *ad vaſa* ſcilicet, quando hæc nimium diſtenduntur: *ad vires*, quando (etiam abſque nimia diſtenſione vaſorum) confertus valdè, ac ſpiſſus redditur ſanguis. *Cacochimiæ* nomine generatim qualitatis vitium appellarunt, quando nimirùm ſuccus aliquis vitioſus exuperat. Hæc autem luculenter conſtant ex ſuperioribus, præterquamquod in tractatu de febribus identidem expoſita ſunt, fuſiùſque in aliis opuſculis jam pridem editis, ac denuò inferiùs imprimendis; itaut in hiſce nunc immorari ſupervacaneum videatur.

Tertium verò genus, vitium ſcilicet *in motu* minùs ab antiquis expoſitum nunc ſeorſim explicare aggredior; nedum enim a plectora, & cacochimia emergere poteſt, ſed antecedenter etiam craſim ſanguinis

guinis multifariam alterare, atque etiam corrumpere:

PROPOSITIO XIV.

Summa vitia motus circularis.

IN ſanguine duplex conſideratur motus: alter, quo per ſuos canales fluit: alter quo particulæ ipſius commoventur, dimoventurque ad invicem. Primus *circularis* dicitur, ſecundus verò *inteſtinus*. Motus circularis fit æquidem per impetum a corde conceptum, aliaſque cauſas in phyſiologia expoſitas, ſed requiritur etiam ea commoderatio ſanguinis, qua poſſit aptè fluere per omnia vaſa etiam minima, ut ex phyſiologicis item conſtat. Quarè vitiari poteſt ex parte ſanguinis nedum inteſtinus motus ejuſdem, ſed etiam circularis; & quamvis hujus vitium ab ejus quoque vitio excriatur, ut inferiùs oſtendam, ordo expoſuit hunc in primis præciſum explicare.

Trifariam itaque vitiatur ex parte ſanguinis hic motus: *exceſſu, defectu, & inæqualitate*. Primò ſi ſanguis per antecedentem plectoram, aliaſque ſupervenientes cauſas alterantes, jam ſuperiùs expoſitas, ita lentus evadat, ut per vaſa præſertim minima difficilè admodum fluat, vi cordis ibidem minùs validæ reſiſtens, erit vitium imminutæ præter naturam fluxilitatis, quo jam conſtituitur cauſa conjuncta morborum ab imminuto circulari motu pendentium, quando præſertim alicubi per hoc præcisè ſubſiſtit. Secundò ſi a cacochimia, & cauſis ſupervenientibus idem ita ſit ſolutus, ut debita cohæſio particularum ejus deficiat, erit hoc vitium in aucta præter naturam fluxilitate; ac propterea poterunt per poros vaſorum, & per glandulas indiſcriminatim emitti particulæ, quæ cæteroquin a ſanguinis vaſis exire naturaliter non debuerant. Tertiò tandem ſi ſanguis per ſupervenientes præfatas cauſas fiat inæqualis in fluxilitate, hic lentus nimis, illic nimis ſolutus, morbos pariet ab utroque vitio dependentes. Quoniam verò hæc vitia [ut innui] ortum ducunt ex vitio quoque motus inteſtini; ex hujus contemplatione illorum exacta cognitio elicitur.

PROPOSITIO XV.

Summa genera vitiorum inteſtini ſanguinis motus.

EX omnibus particulis, quæ ad naturam ſanguinis pertinent, aliæ ſunt intra perimetrum vaſorum contentæ, quæ liquidum unà

ſimul in confluens, ceù fluidum manens [ut loquitur Archimedes] conſtituunt; aliæ verò ſpirabiles, quibus atmoſphera ejuſdem ſanguinis conflatur, quæque ideò ultra perimetrum vaſorum evaporant, ut ex prima parte mei tractatus de Homine conſtat. Quamobrem in particulis utriuſque generis conſiderandus eſt motus inteſtinus. Reminiſci autem oportet ex citatis phyſiologicis: quod naturalis, & benè habens atmoſphera ſanguinis ejus indolis eſſe debet, ut blandum naturæ calorem conſtituat, parteſque ſolidas nutriat abſque ulla irritatione, tum ſecretiones proprias in glandulis efficiat, nec non per cutis meatus materiam tranſpirationis eliminet; quibus poſitis percipiuntur facilè vitia motus particularum utriuſque generis. In hac, & ſequentibus propoſitionibus vitia inteſtini motus primi generis exponam, cætera in ſequenti ſectione.

Particularum ſanguinis primi generis motus inteſtinus trifariam variari poteſt: *augmento*, *imminutione*, *alteratione*; augmentum duplex eſt: *fervor*, nimirum primi gradus, videlicet abſque manifeſta ebullitione, ſeù rareſcentia, & *ebullitio* cum rareſcentia manifeſta ejuſdem, a majore videlicet agitatione, palam eſt enim hiſce modis augeri poſſe ultrà naturalem commoderationem inteſtinum motum. Contrà verò *imminutio* iſtius motus eſt, quando nedum non fervet ſanguis, cum ejus particulæ non tantum moventur ab ethere, & calore naturali, quantum ad mixtionem, & æqualem fluxilitatem requiritur: Si autem ſanguis ita ſit diſpoſitus, ut quamvis motus inteſtinus non augeatur, neque imminuatur manifeſtè, inſenſibili tamen commotione craſis ejuſdem immutetur, iſte motus inteſtinus præciſè *alteratio* dicitur, quamquam poſſit cum fervore, immò etiam cum ebullitione complicari, poteſt enim ebullire ſanguis, & unà ſimul ejus particulæ inſenſibiles in eas cohæſiones venire, quibus craſis ejuſdem multifariam, pro varia diſpoſitione, alteretur, vel etiam evertatur.

PROPOSITIO XVI.

Cauſæ fervoris, & ebullitionis in ſanguine.

AQua, cæteraque hujuſmodi liquida per ignem facillimè fervent; indèque ebulliunt; idemque ſequitur in mare, ſi per tempeſtatum mutationes majore impetu irruat commotus aer ejuſdem particulas intercipiens, & cogens in rareſcentiam. Sanguis verò, cui naturalis calor ineſt, ac per motum cordis ab eadem naturaliter ſolvitur, non tàm facilè in ebullitionem præter naturam venit. Immò

tametſi,

tametſi, per laborem, aut per diuturnam ſub Sole moram, aut per aliam cauſam externam, frequentior fiat cordis pulſus, & indè calor naturali major ſolvatur, ut in ephemera legitima, non propterea præcisè per hoc fervet manifeſtè ſanguis, dummodò ſit in recta craſi conſtitutus, nec vitium effatu dignum habeat in quantitate, vel qualitate, aut aliquid mixtioni ejus incongruum extrinſecùs ipſi adveniat ejus particulas movere aptum præter naturæ ordinem. At, ſi unum ex his, vel plura, vel omnia concurrant, externis præfatis cauſis ſupervenientibus fervor, & ebullitio excitatur.

Itaque ſi, per plectoram, aut cacochimiam, calore magis, quam par eſt, abundet ſanguis [per plectoram quidem in tota maſſa, per cacochimiam verò, in aliquo ſucco calidiore, libero, & ab aliorum mixtione ſejuncto] palam eſt majorem calorem excitatum iri, &, pro ratione illius exceſſus, motum inteſtinum præter naturam in ſanguinis particulis conſequuturum.

Prætereà ſi aliæ particulæ ſubtiles, & valdè mobiles mixtioni ſanguinis incongruæ non excernantur, nec per meatus cutis tranſpirent, ſed in vaſis ſanguineis retineantur, neceſſariò quoque ſanguis ipſe ab iis motum concipiet excedentem naturæ leges, quare tandem in bullas extendi, ac rareſcere poterit.

Eadem ratione id contingere poſſe patet, ſi, ſola culpa, & vitio atmoſpheræ, ingerantur per pulmones in ſanguinem, unà cum ethere inſpirato extraneæ particulæ motu inſtructæ, ac non ritè miſcibiles, ut etiam ex propoſitione ix. luculenter infertur.

Hæ ſunt cauſæ fervoris, & ebullitionis in ſanguine, pro majore, vel minore agendi vi; nam ſimplex fervor dicitur, quando magis moventur ſanguinis particulæ, quam ut opus eſt pro calore naturali fovendo; quando autem creſcit ulteriùs illarum agitatio, itaut multæ ſupra libellam exaltatæ portionem aeris includant, bullaſque forment, ebullitio, & rareſcentia nuncupatur; atqui fervor inconſpicuus perſeverans ad putredinem tendit, ebullitio verò ad uſtionem magis eſt comparata.

PROPOSITIO XVII.

Cauſæ inteſtini motus in ſanguine imminuti.

QUando inteſtinus motus in ſanguine deficit, neceſſariò quoque deficit vis caloris, qua particulæ ſanguinis naturaliter moventur. Quarè coincidunt hujus imminuti motus cauſæ cum cauſis frigidæ intemperiei, quas Galenus libro de cauſis morborum

aſſignat, & cum aliis prætereà iſtam inducere aptis. Prima ſemper eſt diſpoſitio vel temperamenti, vel habitus corporis juxtà ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt. Deindè nedum alimenta cruda, & infrigidandi vi prædita, ſed & nimia ingluvies alimentorum etiam euchimorum, ſanguinem infarcire, ideòque calorem obruere aptorum; otium; aer craſſus; paludum effluvia; evacuationes, & glandularum ſecretiones ſupreſſæ; cohibita item tranſpiratio, cujus vapida materia, ubi præfatæ diſpoſitiones, & cauſæ adſunt, cohærere magis, quam excitare motum inteſtinum (ut in antecedente) apta eſt.

Ex his verò cauſis lentor ſanguinis oritur craſſus, & humidus morbos pariens, quos Galenus innuit loco citato: cachexias nimirùm; fædos virginum colores: obſtructiones, aliaſque hujuſmodi ægritudines pro diſpoſitionum varietate.

PROPOSITIO XVIII.

Cauſæ inteſtini motus ſanguinis inſenſibilis, & alterationis ejuſdem craſeos.

PRætereà manifeſtum eſt experientia ſanguinis craſim alterari etiam inſenſibili commotione particularum ejus, tametſi nec manifeſtè ferveat, nec manifeſtè fluendi motus deficiat; ergò neceſſe eſt ex hypotheſi extraneum illud, quod hanc molitur inſenſibilem commotionem id efficere, non augendo, nec imminuendo manifeſtè calorem, ut in præcedentibus propoſitionibus, ſed alia ratione. Quomodò autem, quave ratione iſte ſequatur effectus, ex propoſitione ix. luculenter patet. Poſſunt enim ex atmoſphera in ſanguinem pervenire ſubtilia effluvia, quæ turbent motum inſenſibilem cæleſtis materiæ ad naturalem ſanguinis mixtionem neceſſarium ex cap. viii. primi libri de Homine; ſiquidem iſta unà cum ethereis globulis compagem ſanguinis confusè permeantia, quamquam horum actionem, & motum non omninò impediant, neceſſariò tamen directiones variant, per quas iidem globuli naturaliter moverentur, ſi forent ab eorum confuſione liberi. Cumque hi motus mille modis fiant, & particulæ inſenſibiles, pro varia diſpoſitione ſanguinis, ad novos contactuum, & mutabilium cohæſionum ordines veniant, palam eſt hinc emergere tandem poſſe quaslibet diſcraſias, & vitia in qualitate jam ſuperiùs expoſita; immò etiam venena ſeptica, convulſiva, & cujuslibet generis partibus ſentientibus infenſa.

SECTIO IV.

De vitioſa perſpiratione ſanguinis, ſeù de vitiis fluidi ſpirabilis.

DE hoc fluido, quod paulò ſuperiùs memoravi propoſitione xv. fusè actum eſt primo libro de Homine cap. ultimo, & extra ſanguinis vaſa, in cavitates carnium a Doctiſſimo Nicolao Stenone adnotatas, emitti alibi etiam dixi, prodromo ſcilicet diſſertationis de Febribus, inferiùs reimprimendo, ubi doctrinam ejuſdem Stenonis citavi, & identidem quoque in ſubſequente tractatu de Febribus; Vitia item ipſius in eo prodromo innui. Nunc igitur ſupereſt breviſſimè, per ſequentes propoſitiones, quicquid ad hunc tractatum pertinet, abſolvere.

PROPOSITIO XIX.

Quodlibet liquidum naturale mixtum (cujuſmodi ſanguis eſt) effluvia emittit propriæ naturæ proportione reſpondentia, & quamlibet ejus craſeos mutationem neceſſariò conſequitur mutata perſpiratio.

PRima pars eſt ſenſibus manifeſtiſſima; immò per ea tantummodò, quæ a quolibet liquido emanant, effluvia, diſcernimus variam ipſorum naturam, per ſapores videlicet, odores, aliaſque hujuſmodi ſenſationes ab illis effluviis excitatas. Similiter diſcernimus quænam liquida magis, quæ verò minùs perſpirent, majore videlicet, vel minore iſtorum effluviorum per ſenſus perceptione. Sed evidens inſuper eſt ex hypotheſi, nam ſi effluvia iſta ſunt partes tenuiſſimæ liquidorum, undè manant [ut ratum Phyſicis eſt] neceſſe eſt his illa proportione reſpondere.

Secunda pars ſenſibus quoque obvia eſt; nam craſeos mutationem ſenſus ipſi per eorumdem tantummodò effluviorum mutationem diſcernunt. Sed inſuper oſtendi ſic poteſt: quælibet mutatio craſeos

liquidi

liquidi cujuſcumque neceſſariò pendet ex alteratione motus particularum, quibus liquidum ipſum componitur, ut ex ſuperioribus propoſitionibus luculenter infertur, & ex Phyſicis in qualibet hypotheſi conſtat; alteratio autem hujuſmodi motus neceſſariò variat motum emanantis perſpirationis, ſiquidem hic ab illo (ut ex Phyſicis ratum eſt) dependet: ergò quamlibet craſeos illius mutationem neceſſariò conſequitur perſpirationis mutatio.

PROPOSITIO XX.

Ex vitiata ſanguinis perſpiratione tamquam a cauſa interna dependent etiam vitia tranſpirationis, quæ ad tria ſumma genera reducuntur.

TRanſpirationis vitia non ſatis Majores noſtri adnotarunt, aut expoſuerunt, unam tantummodò cauſam deficientis tranſpirationis conſiderantes: pororum ſcilicet cutis adſtrictionem; de interna cauſa, quæ in perſpiratione ſanguinis conſiſtit, minùs ſolliciti. Vitia tamen hujus cauſæ internæ hic potiſſimum conſideranda ſunt, quæ ad tria ſumma genera revocari poſſunt, atque his omninò comprehendi. Primùm: ſi ea, quæ perſpirare debent, in ſanguinis maſſa retineantur: neque ideò ad extrà tranſpirent: Secundò, ſi ſpirabiles particulæ ſuperfluæ in tanta copia emanent, ut non omnes tranſpirare poſſint. Tertiò ſi, quæ retinentur, nedum ſuperfluæ ſint, verùm etiam partibus ſentientibus infenſæ. Hæc autem ex ordine ſunt explicanda.

PROPOSITIO XXI.

Primum perſpirationis vitium.

SUpponamus jam externas omnes cauſas [etiam tranſpirationem cohibentes] præteriiſſe, ac, vel his ceſſantibus, vel etiam ope frictionum Aſclepiadis, meatus cutis pervios, & liberos eſſe. Dico: a quolibet ex vitiis inteſtini motus ſanguinis ſuperiùs expoſitis, tamquam a præciſa cauſa interna, in ſanguine ipſo retineri ea, quæ tranſpirare deberent. Sit enim primò ſanguis fervens, aut ebulliens

quavis

quavis de cauſa, ut ex prop. xvi. ergò ſubtilia quælibet ibidem expoſita ſanguinis fervorem concitantia neceſſariò remanent in eodem ſanguine, nam ibi fervorem, aut ebullitionem moliuntur, ex hypotheſi; hæc autem ſi tranſpirarent extrà corpus, hoc ipſo ſanguis deferveret: ergò remanent in ſanguine, quæ ab ipſo perſpirare, ac extrà corpus tranſpirare deberent. Sit ſecundò ſanguinis motus imminutus, ut ex xvii. hoc ipſo igitur imminuetur perſpiratio, & per conſequens, tranſpiratio, ut ex ſecunda parte prop. xix. evidentiſſimè infertur. Sit denique tertium vitium inteſtini motus alterati, palam eſt ex hypotheſi retineri in ſanguine quæcumque ſubtilia effluvia ipſius motum alterantia, quæque ideò ſi perſpirarent, atque extrà corpus tranſpirarent hoc ipſo ceſſaret iſta motus inteſtini ſanguinis alteratio; ergò [quod idem eſt] per hoc vitium retinetur in ſanguine, quod tranſpirare deberet, quarè manifeſta eſt tota propoſitio.

PROPOSITIO XXII.

Secundum, ac tertium perſpirationis vitium.

HIS poſitis, quamquam cutis meatus naturaliter pervii ſint, & hoc de nomine tranſpiratio non deficiat. Dico a ſanguine manare poſſe majorem copiam ſuperfluentis materiæ ſpirabilis, quam quæ, per poros cutis, ut ut pervios, naturaliter tranſpirare valeat, ipſamque intrà corpus, vel in glandulis, vel in cavitatibus carnium *cumulari*. Manifeſtum eſt autem id facillimè contingere poſſe, primò per ſolam, & præciſam plectoram, ſiquidem, pro ratione auctæ ſanguinis copiæ, neceſſariò augetur quantitas ſpirabilis materiæ ſuperfluentis, quam adnotavi propoſitione LXV. primi libri de Homine, quarè tametſi meatus cutis naturaliter pervii ſint, & naturalis tranſpiratio non deficiat, aucta nihilominus materia ſpirabili a ſanguinis vaſis manante ſupra eam, quæ a quantitate ſanguinis moderata naturaliter emittebatur, ac tranſpirabat, hoc ipſo remanet in corpore ex hypotheſi, ac neceſſariò alicubi cumulatur, aut ſcilicet in glandulis, aut in cavitatibus carnium. Idque contingere ſæpè videmus præſertim quando concurrunt cauſæ majorem ſolutionem iſtius materiæ ſpirabilis promoventes, ut largior mœri potus, ira, ſollicitudo, vigiliæ, ac cætera hujuſmodi. Simili ratione per cacochimiam cujuſcumque generis retineri poſſe patet in corpore ſuperfluentem ſpirabilis materiæ copiam, ſi præſertim ab ejuſmodi externis cauſis copioſior a ſanguine ſolvatur perſpiratio, quam quæ naturaliter

per

per cutis meatus apertos, & liberos tranſpirat.

Præterea, ſi, quæ retinentur effluvia, nedum ſuperflua ſint, ſed inſuper ſentientibus partibus infenſa [quod eſt tertium perſpirationis vitium] palam eſt hoc de nomine morborum cauſam eſſe; immò etiam, tranſpirationis loco, ſpiritus ipſos exolvere. Omnibus autem hactenùs adnotatis vitiis proportione reſpondent vitia ſeparationum per glandulas in ſequenti propoſitione exponenda.

PROPOSITIO XXIII.

Separationes humorum per glandulas in vitio ſunt, ſi: vel id, quod excerni debet, non excernatur: vel calore nativo digeſtum non ſit, quod excernitur: vel ſi quod excerni non debet excernatur: vel ſi horum aliqua, vel omnia contingant. Per hæc autem vitia morbi etiam fiunt.

MAnifeſtum eſt ex prop. xxxxiv. lib. 1. de Homine materiam per glandulas ſecernendam non ſolo cordis impulſu per meatus aptè configuratos cribrari; [alioquin enim ſpiritus tenuiſſimi, & utilis ſubſtantia per quaslibet glandulas extruderetur, cum ſit ſubtiliſſima, & ſpirabilis, per orificia, in quaslibet glandulas hiantia, permeare apta, ut ex prop. xxxxii. & corollario ejuſdem libri conſtat] ſed ea lege ſecretiones fieri, ut [retentis in ſanguine, per majorem cohæſionis vim, & aptitudinem, ſubtilibus illis particulis, quæ ad ejus mixtionem, nutritionem, flammamque vitalem neceſſariæ ſunt] ea, quæ ſuperfluit, materia incongrua, vel non neceſſaria iſtis uſibus, alios tamen humores vel utiles, vel excrementitios conſtitutura, per ſuas glandulas calore nativo digeſtas ſeparetur; & hanc profectò nativi caloris actionem, ibidem expoſitam, adeò inculcarunt cum Hippocrate Majores noſtri, ut nihil magis in re medica obſervandum tradiderint, quam excretorum quorumlibet coctionem in ſtatu ſanitatis, & vitium quodlibet coctioni contrarium in morbis.

Jam ergò, his ità ſe habentibus, palam eſt omnia ſeparationum vitia propoſitis ſummis generibus comprehendi, nil enim aliud præ-

tercà ſupereſt, aut excogitari poteſt quo naturales ſeparationes vitientur; quarè manifeſtiſſima eſt prima pars. Secunda verò luculenter infertur ex iis, quæ de vitiis ſanguinis dicta ſunt. Nam: ſi quod excerni debet non excernatur, neceſſariò aut in ſanguine retinetur, infarciens ipſum, & morbos per conſequens indè oriundos inferens, aut in ipſa glandula obſtructionem conſtituit: Si autem calore nativo digeſtum non ſit, quod excernitur, hoc ipſo a naturali craſi declinat, ut ex terminis evidens eſt, & [quod idem eſt] qualitatibus, & perſpirationibus præter naturam afficitur morbos ideò parere aptis, ut videmus in fluxionibus rheumaticis, in albo fluore, in hyſtericis affectionibus, cæteriſque hujuſmodi. Tandem, ſi excernatur quod non debet excerni, quod videlicet nutritioni, viriumque naturalium uſibus dicatum eſt, hoc ipſo natura languet, adeò ut, ſi diù perſeveret iſta excretio, corpus tabeſcat, ut in diabete, pthyſi pulmonari, tabe dorſali, fluxibus alvi colliquativis, aliiſque ſimilibus morbis contingit. Quod ſi non unum tantum, ſed plura ex iſtis vitiis contingant, palam eſt plures morbos complicatum iri.

CAPUT III.

De Sympthomate.

POſtquam de morbis horumque cauſis fuſiùs actum eſt, ſupereſt de ſympthomate generatim, & breviſſimè dicere quid, & quotuplex ſit, & quomodò morbum ſemper neceſſariò conſequatur. Sit itaque.

PROPOSITIO XXIV.

Quid Sympthomatis nomine intelligendum veniat?

SYmpthomatis nomen in lata ſignificatione ſumptum (ut Galenus libro de ſympthomatum differentiis innuit) ſignificare videtur omnem a naturali ſtatu mutationem. Strictiùs verò, & magis propriè acceptum dicitur: *Mutatio præter naturam a morbo vel proximè, vel remotè dependens*. Quod proximè a morbo dependet, hunc ſequitur veluti umbra corpus, ut actio læſa, præcipuum inter ſympthomata. Quamquam verò ſympthoma unius morbi alium quoque pariat morbum, nihilominùs tunc ſympthoma dicitur primi, undè pendet, morbi; morbus verò etiam eſt, quatenùs aliam actionem pro-

ximè lædit, ex definitione in principio libri hujus tradita, & morbus ſympthomaticus appellatur, ut ex ſcholio prop. v. capitis primi.

PROPOSITIO XXV.

Quotuplex ſit Sympthoma.

COmmunis omnium planè Auctorum fert ſententia ſympthomatum differentias ad tria ſumma capita reduci: aliud ſcilicet conſiſtere *in actione læſa*: aliud *in excretis*: aliud *in qualitate mutata*. Sed a primo cætera omnia dependent; nam excrementa mutata ſequuntur læſiones actionis concoquentis, vel ſecernentis; mutata verò qualitas corporis læſionem ſequitur actionis partis illius in qua mutatio facta eſt, ut color vitiatus in cute a vitiata nutritione, ac perſpiratione dependens.

His nihilominùs ita diſtinctis, incipiamus a differentiis læſæ actionis. Ratum eſt quamlibet actionem trifariam lædi poſſe, aut quia *imminuitur*; aut quia *abolctur*; aut quia *depravatur*. Primus modus eſt quando actio debilitatur, ſed non perditur; ſecundus quando perditur; tertius quando qualibet alia ratione mutatur, ſeù recedit a ſtatu naturali; atque in his læſiones omnium, & ſingularum actionum naturalium: vitalium: & animalium comprehenduntur, quarum læſionum vulgata nomina propria fusè ab omnibus, & præſertim a Riverio recenſentur.

Differentiæ ſympthomatum in excretis ad quatuor vitia reducuntur: in *ſubſtantia*: *quantitate*: *qualitate*: *ac modo*. Sympthoma in ſubſtantia excrementorum dicitur, quando hæc recedit a naturali ſubſtantia eorumdem; & vel toto genere præter naturam eſt, ut calculus lumbrici, & ſimilia, quæ ad naturam hominis nullatenùs pertinent; vel præter naturam eorum, quæ debent excerni, ut ſanguis per quamlibet viam exiens, aut adeps, & ſimilia. In quantitate, quando hæc in excretis vel deficit, vel excedit. In *qualitate*, quando a naturalibus qualitatibus excrementorum alienæ ſunt, quæ omnes ab Hippocrate generatim ſub nomine cruditatis comprehenduntur, ut in ſemeiotice oſtendam. Denique in *modo*: quando mùtatur ordo, vel tempus excernendi præter naturæ inſtitutum; ut ſi præmaturè fiant evacuationes, aut difficulter, aut paulatim, aut alio hujuſmodi modo a naturali diverſo.

Sympthomatum differentiæ in qualitate corporis mutata juxta qualitatum variationes diſtinguuntur, ut quando excedit carnium calor, vel frigus, vel ſiccitas, vel humiditas; ita de aliis qualitatibus diſcurras,

curras, ut de colore cutis, mollitie, duritie, tenſione, laxitate, cæteriſque a quovis morbo dependentibus; hæ autem pura ſympthomata dicuntur, quando leves ſunt, nec alios inferunt morbos; nam ſi adeò creſcant, ut proximè actiones lædant morbi jam ſymptomatici ſunt, ut ſuperiùs dictum eſt.

PROPOSITIO XXVI.

Sympthomatum Cauſæ.

MAnifeſtum eſt ex ſuperioribus: omne ſympthoma dependere a morbo tamquam a propria cauſa, ut optimè Galenus docet, cujus ſententiam fusè defendit doctiſſimus Franciſcus Valleſius. Quamvis autem non deſint qui aliter ſentiant, & dari aſſerant ſympthoma cauſæ, ſympthoma morbi, & ſympthoma ſympthomatis; immò etiam ſympthoma ſolitarium nullo exſtente morbo, ut quando quis vomit per irritationem a cauſa externa, vel etiam quando quis naturaliter debilis in ſuis actionibus eſt; hujuſmodi tamen ſympthomata morbum ſuum manifeſtè oſtendunt, ita ut ne ullum quidem ex his dari poſſit abſque morbo lædente operationes. Nam in allato vomitus exemplo adeſt reverà morbus in fluido, nempe in motu præter naturam ſpirituum, ex quo vomitus ille dependet; ut ex definitione morbi in fluido ſuperiùs tradita evidenter deducitur, tametſi morbus hic leviſſimus tunc ſit, neque alia ratione conſpicuus fiat niſi per allatum ſympthoma; ita de ſimilibus, quæ obtrudi ſolent, diſcurras, in quibus morbi in motu ſpirituum actiones proximè lædente neceſſariò adſunt. Porrò quæ præter naturam non ſunt (ut debilitas naturalis, & ſimilia, quæ abſque morbo contingunt) propriè ſympthomata dici non poſſunt, ſympthomata enim ſunt affectus præter naturam ex definitione; ideòque vocantur propriè naturales impotentiæ, naturaleſve affectiones temperamenti. Conſtat igitur, inductione a Galeno facta, omne ſympthomatum genus a morbo, vel proximè, vel intermedio alio ſympthomate, dependere; actio enim læſa eſt proximus effectus morbi, qualitas mutata conſequitur morbum in intemperie, vel aliud ſympthoma in actione læſa, ut ex antecedente patet; Excrementorum denique vitia neceſſariò a læſa concoquente actione vel expellente, vel retinente dependet, ut palam eſt etiam ex ſuperiore.

CAPUT IV.

De Morborum terminis, & criſibus

RAtum eſt ac re ipſa perſpicuum morbos vel ſuo tempore terminari, vel in alios morbos converti, & qui ſuo tempore finiuntur, vel ſubitò, vel paulatim deſinere. His poſitis, qui ſubitò deſinunt dicuntur abſolvi per criſim, qui paulatim per lyſim, quando ſuccedit ſalus, per conſumptionem verò, ſeù tabem, quando ſuccedit mors; Qui vertuntur in alios morbos, plerumque in abſceſſum deſinunt; hic autem vel ſalutaris eſt ſi externus ſit, ut parotides circa finem morbi, quando natura per coctionem prævalet, vel eſt lethalis, ut parotides in ſtatu cruditatis, atque interni abſceſſus omnes qui exitum ad extrà non poſſunt habere, neque ideò curationem admittunt. Prætereà non tantummodò in abſceſſum vertuntur morbi, ſed etiam in alios morbos, ut tertiana in quartanam apoplexia in paralyſim, & ſic de aliis diſcurras. De mutatione in alios morbos, ac de lyſi nil aliud ſupereſt dicendum. Doctrinam verò ab Antiquis traditam de criſibus, diebus decretoriis, & cauſis criſeon tribus propoſitionibus breviter perſtringam.

PROPOSITIO XXVII.

Criſeos definitio, ejuſque conditiones, & differentiæ.

CRiſis dicitur: *ſubita mutatio ad ſalutem, vel ad mortem*; undè autem hoc nomen venerit Galenus tradidit comm. in primum prognoſticorum, & tertiò de criſibus cap. 3. nec non de diebus decretoriis capite 1.

Ex hac autem definitione conſtat criſim primò dividi in *ſalutarem*, & *lethalem* illa eſt, quæ ad ſalutem, hæc, quæ ad mortem terminatur; deindè utraque rursùs bipartitur in perfectam, & imperfectam, illa eſt, quæ vel integrè liberat ægrum, vel occidit; hæc eſt, quæ non integrè liberat ægrum [quando ſalutaris eſt] ſed in meliùs mutat, undè ſequitur alia ſimilis mutatio, quæ tandem completa ſit, vel poſteà per lyſim paulatim ſolvitur morbus; contraria ratione diſcurras de criſi lethali.

Adnotandum tamen eſt criſim perfectam eſſe quidem ſubitam mutationem, ſed non ab extremo ad extremum, quaſi videlicet æger, poſt perfectam criſim ſalutarem, ſit ſtatim, & perfectè compos actio-

num ſuarum, ut in ſtatu perfectæ ſanitatis; nam ſatis eſt ſi morbus ita deſinat, ut nulla portio relinquatur cauſæ internæ, qua morbus conſtituebatur, vel fovebatur; tunc enim temporis convaleſcere incipit æger, donec ſuarum actionum integritatem acquirat, quod tempus convaleſcentiæ dicitur. Contraria ratione, poſt perfectam criſim læthalem incipit æger diſſolvi, & mori.

Conditiones perfectæ criſeos ſalutaris ſex communiter ab Auctoribus ponuntur, quæ ſex carminibus a doctiſſimo, & accuratiſſimo D. Petro Bernardo Gatti, feliciter hic medicinam faciente, amico perpetuo, expreſſæ fuerunt.

Appareant ſigna, quibus concoctio facta
Nota ſit; ut faciens morbum, & totaliter, humor
Educatur, idemque exeat per debita loca;
Et ſit ſenſibilis morboſæ eductio cauſæ,
Atque die fiat critica; monſtraverit illam
Dummodò lapſa dies index; ſic optima criſis.

Prima itaque conditio perfectæ criſeos ſalutaris eſt: ut ſigna coctionis appareant die indice antecedente; nam ſalutarem criſim præcedere debet materiæ coctio, ut natura prævaleat, ex hypotheſi; &, ex lege contrariorum, evacuationes crudæ criſim malam, aut læthalem faciunt.

Secunda eſt: ut cauſa morboſa expellatur; nam, ſi aliud, & non id, quod morbum facit, evacuetur, nedum non ceſſabit morbus, ſed, vigente cauſa, & debilitata natura, ipſe deterior evadet; quamobrem Hippocrates docet, non multitudine æſtimandas eſſe evacuationes, *ſed ſi talia purgentur qualia purgari opportet*.

Tertia eſt: ut educatur tota materia morboſa ob eamdem rationem; docet enim Hippocrates: quæ relinquuntur in morbis recidivas facere conſueviſſe. Atque hic adnotandum eſt integram expulſionem totius materiæ morboſæ non ſolum haberi per evacuationem ſenſibilem humoris educti, ſed per eam etiam quæ conſequitur perſpiratione, per quam, prævalente poſtmodum ubique calore nativo, reliquiæ cauſæ penitùs expelluntur.

Quarta eſt: ut evacuatio fiat per debita loca, cujuſmodi ſunt: alvus: urinæ, ſudoriſque viæ, nec non exophagus pro vomitu trachea pro anacatharſi, & quandoque ſalivales ductus pro ptialiſmo. Sed & quando per hemorragiam criſes fiunt, debent etiam fieri per conſueta loca, per quæ natura ſe ſe a ſanguine ſolet exonerari, aut videlicet per nares, aut per mariſcas in viris, aut per uteri vaſa in fœminis.

Quinta eſt: ut ſit ſenſibilis, & manifeſta ipſa evacuatio critica, inſignis videlicet, non verò modica, ut in Hermocrate; ac manife-

ſtum præterea debet eſſe, tum Medico, tum ipſi ægroto levamen, ſive conferentia, & tolerantia; ita ut nullum ſympthoma poſt evacuationem remaneat, quo fatigetur, aut debilitetur æger: dixi: poſt evacuationem; nam cæteroquin præcedere ſolet evacuationem criticam perturbatio, & ſympthomata terrifica, quæ Galenus 3. de criſibus adnotat, quæ tamen vires validas relinquunt, ac poſt criſim ceſſant.

Sexta denique conditio eſt: ut in die critico fiat, prægreſſis in die indice ſignis coctionis ex communi Majorum noſtrorum, Hippocratis præſertim, & Galeni obſervatione. Quinam verò ſint dies iſti exactè cum Galeno adnotat Riverius, ut in ſequenti.

PROPOSITIO XXVIII.

Dies critici, & indices, intercidentes, & vacui.

DIes critici ſunt ſeptenarii quilibet, præſertim tres primi videlicet ſeptimus, decimuſquartus, & vigeſimus, aut vigeſimus primus, aliique ſubſequentes. Indices autem [qui etiam critici quandoque ſunt] dicuntur: quartus index ſeptimi: undecimus deciniquarti: eademque proportione aritmetica diſcurras de aliis. Intercidentes appellantur qui intercedunt criticos, & indices, videlicet quintus, nonus, & ſic de aliis. Cæteri dicuntur vacui: ut ſecundus, ſextus, decimus, duodecimus, & ſic eadem ratione de aliis diſcurras, in quibus criſes malæ fieri cenſentur; præcipuè in ſexto, qui Tyrannus a Galeno nuncupatur, inquit enim Hippocrates in coacis: ſudores ſexta die manantes peſſimi. Poſt primos tres ſeptenarios, aliuſque ad quadrageſimum eadem ratione numerantur; deinde a quadrageſimo uſque ad 120. numerantur per vicenarios, quia motus tunc non adeò celeres fiunt; hinc eſt, quod in acutis ex decidentia criſes rariùs fiunt, ac, ſi fiant motu tardiore fiunt.

Prima dies morbi ab hora manifeſtæ læſionis incipit, non ab hora decubitus; poteſt enim quilibet manifeſtè ægrotare antequam decumbat, præſertim ſi robuſtus ſit. Computatio autem dierum naturalium fit per 24. horas. In puerperis febre acuta correptis principium morbi computari debet, non a partu, ſed a morbo, quando partus eſt naturalis; contra verò ſi partus ſit morboſus, ut adnotat Riverius referens primi caſus exempla in uxore Philini 1. epidemiorum in Epicratis Uxore, ac in Dromeade Coniuge; tum exempla ſecundi caſus adducens in ægrotante 11. & 12. ſectionis ſecundæ 3. epidem. nec non in ægrotante 14. ſectionis tertiæ ejuſdem libri. Nam reverà

ut

(ut idem ait) in partu præter naturam, jam ægrotat mulier, & partus ipſe ſympthoma morbi eſt. Simili ratione in vulneribus febris acuta ſuperveniens numerari debet ab ipſa die vulneris, cujus eſt ſympthoma quamvis tardiùs incipiat. In recidivis etiam, quando fiunt a cauſa interna, dies numerandi ſunt, non a principio recidivæ, ſed a principio morbi, cujus cauſa interna viget adhuc ex hypotheſi.

PROPOSITIO XXIX.

Cauſæ Criſeon.

QUoniam criſis per excretionem fit palam eſt cauſam, undè proximè dependet, eſſe motum ipſum expulſionis, in quo vel prævalet natura, ſi bona ſit criſis, vel ſuperatur a morbo, ſi mala. Motum autem expulſionis præcedit contubatio adnotata ſuperiùs prop. xxvii. dependens a conatu naturæ, ac agitatione materiæ expellendæ.

Cur autem ſeptenariis diebus criſes [ut plurimum ſaltem] fiant, difficilè admodum explicatu eſt; ac meritò Picus Mirandulanus cauſam rei hujus occultam eſſe dicit. Quia verò ex phyſicis conſtat cæleſtium corporum influxus inferioribus hiſce corporibus communicari, non abſre cauſa dierum criticorum referri videtur ad Lunæ influxum in hæc inferiora, notiſſimum vel ipſis Agricolis. Quamobrem arridet mihi ſententia Riverii hanc rem deducentis ex motu Lunæ per quatuor ſeptenarios circulum ſuum integrum abſolventis. Non enim obſtant oppoſitiones Fracaſtorii [cujus cæteroquin opinionis hypothetica eſt], nam ejuſdem Riverii explicatione iſtæ ſolvuntur, & potiſſimum illa principalis etiam, quæ ab aliis obtruditur: quod nimirùm eadem phaſis Lunæ [puta plenilunium] efficeret motum criticum indiſcriminatim in omnibus ægris; inquit enim Riverius motum dierum criticorum non pendere ab aſpectibus, quos habet Luna cum Sole, ſed ab aliis, quos habet cum ſignis Zodiaci, & loco Cæli, in quo erat in principio morbi; quarè, ſi ſeptima die morbi, Luna eſt in quadrato aſpectu ad eum locum, decimaquarta eſt in oppoſito, & ſic de cæteris, atque ita rem optimè explicat, ut quiſque apud ipſum Auctorem videre poteſt.

De ſignis criſeon, & abſceſſuum agere ad ſemeioticem ſequenti libro recenſitam ſpectat. Jam igitur generalis Pathologiæ ſummam hactenùs perſtrinxiſſe ſufficiat.

LIBER III.

Recenſio Semeiotices.

OMnis humana diſciplina ortum ſuum a ſignis habuit; nam, ut Ariſtoteles in libris de interpretatione docet, voces conceptuum ſigna ſunt, & quæ ſcribuntur notæ ſunt eorum, quæ in voce conſiſtunt; ideoque Peripatetici doctrinam ſignorum inſtitutionibus præmittunt.

Signi autem nomine generatim intelligitur: quicquid, ſui ipſius cognitionem repræſentans; alterius etiam rei cognitionem excitat; omniaque ſigna dividuntur in *rememorativa*, quæ præteritum aliquod in memoriam reducunt; *demonſtrativa*, quæ præſentia monſtrant; & *prognoſtica*, quæ futura prænunciant, ut [apud Conimbricenſes in librum primum Ariſtotelis de interpretatione quæſtione 2.] Divus Thomas, Alenſis, Scotus, & alii docuerunt.

Quoniam verò ſigna omnia vel ſunt *naturalia*, vel ex *hominum inſtituto*; Naturalia tantummodò Medici conſiderant, ab Hipocrate prodigioſa ſolertia, immenſo labore, & admirabili obſervationum ſerie tradita; & , quamquam per interrogationes ægrotantibus factas, eorumque reſponſiones ſigna quæramus juxtà ſignificationem ex hominum inſtituto petitam, ſigna tantum naturalia, vel præterita rememoramus, vel præſentia *recognoſcimus*, vel futura præſagimus.

His igitur poſitis, naturalia ſigna ad medicinam pertinentia, quæ fusè ab aliis expoſita ſunt breviter recenſens, tribus præfatis generibus omnia quoque comprehendo. *Rememorativa* ſcilicet, ſivè [ut Medici loquuntur] *commemorativa*, *demonſtrativa*, & *prognoſtica*.

Commemorativa ſunt præterita omnia, quæ præſentem ægritudinem inducere potuiſſe videntur, ut aeris mutationes, aliæque cauſæ externæ, atque diſpoſitiones antecedentes ipſius ægri, de quibus omnibus actum eſt in pathologia generali, nec ideò aliud quicquam de his in hoc brevi recenſu dicendum ſupereſt.

Demonſtrativa verò, quæ prius occurrunt, quæque potiſſimum conſideranda ſunt, generatim a Medicis *diagnoſtica* nuncupantur; ſubdividuntur autem in *pathognomonica*, & *aſſidentia*; illa, quæ neceſſariò paſſionem præciſam demonſtrant, utpotè neceſſariam cum ipſa connexionem habentia, ut in febribus pulſus frequens; Aſſidentia verò, quæ non neceſſariò cum ipſa paſſione præciſa cohærent, ut dolor capitis in febre, hæc enim præciſa eſſe poteſt abſque dolore capitis non tamen abſque pulſus frequentia; dolor autem capitis [idemque dicas de aliis omnibus actionibus læſis] propriam quoque

paſſionem

paſſionem præciſam, quâ proximè læſio fit, neceſſariò ſignificat, eſtque hujus præciſæ paſſionis pathognomonicum ſignum, cum ipſa neceſſariam connexionem habens, tametſi cum febre compoſitus, ſignum ipſius non pathognomonicum, ſed aſſidens dicatur. Aſſidentia ſigna febris, aliorumque morborum plerumque non ſtatim, ſed in progreſſu apparent, ac epiphænomena tunc appellantur. Porrò iſta eadem prout magis, vel minus vim augent morbi cui aſſident, majuſque, vel minus periculum oſtendunt, *prognoſtica* etiam ſigna ſunt.

Omnia verò eliciuntur ex phænomenis actionum naturalium, vitalium, & animalium; ſicut enim ex contemplatione phænomenon motus, & quietis, ac effectuum ex motu, & quiete pendentium generatim ſcientia omnis naturalis acquiritur; ita ex phænomenis præfatarnm actionum, eorumque effectuum, quæ ſint actiones integræ, ſivè ſanæ, quæque læſæ, ſivè a ſanitate recedentes clarè percipimus; tum ex modo, quo a ſanitate recedunt, nedum affectionem proximè lædentem, ſed & ejuſdem cauſam coniunctam deprehendimus, & antecedentes, & externas rememoramus. Neque ideò alia methodo procedendum eſſe patet, nam quemadmodum non niſi ex actionibus, quæ citrà noxam fiunt, ſanitatem; ita non niſi ex iiſdem læſis morbum ipſum cognoſcimus, cum quo læſæ actiones neceſſariam connexionem habent, ſicut cum integris neceſſariò ſanitas [donec integræ ſunt] coniungitur, ut ex definitione morbi, & ſanitatis in pathologia traditis manifeſtiſſimum eſt.

Primum itaque omnes actiones læſas per ſua genera quatuor proximis capitibus recenſere operæ pretium eſt; deinde collectionem ſignorum ex aſpectu, tactu, examine, aliiſque obſervationibus ægrotantium elicere. Tandem præſagia, & prognoſtica perſtringere.

CAPUT I.

De Pulſu.

OMnes actiones humani corporis ſub triplici præfato genere comprehenduntur, & omnes breviter ſunt recenſendæ. Quoniam verò in febre pulſus, & reſpiratio, vitales nimirùm actiones, potiſſima ſigna exhibent, haſce primùm duobus capitibus, poſtea verò animales, & naturales per alia duo capita exponam.

PROPOSITIO I.

Quid ſit Pulſus naturalis, & præter naturam.

JAm verò de neceſſitate, & cauſis pulſuum actum eſt obiter in libris de Homine, atque hunc tractatum exactè complevit celeberrimus Laurentius Bellini; ſatis eſt ideò cum eodem nunc in primis naturalem actionem cordis, pulſum videlicet naturalem duobus motibus ſyſtoles, & diaſtoles, ac duabus quietibus intermediis compoſitum generatim conſiderare, ut ejuſdem læſionem, ſivè pulſum a naturali recedentem clarè cognoſcamus. Dicitur autem naturalis pulſus, qui & æqualis eſt, & mediocris inter omnes ſimplices differentias, videlicet inter magnum, & parvum: vehementem, & debilem: plenum, & vacuum: celerem, & tardum: frequentem, & rarum: durum, & mollem; clariùs igitur innoteſcet explicatione iſtarum ſimplicium differentiarum, quæ [ut laudatus vir adnotat] partim ab ipſo corde, partim a ſanguine, partim & ab arteriis deſumuntur.

A cordis motu pulſus *validus* (ſeù *vehemens*) aut *debilis* pendet; diciturque pulſus validus, ſeù vehemens ille, qui validum ictum tangentibus digitis imprimit; contrà verò qui debilem. Rurſuſque a motu cordis deſumitur ſecunda differentia, pulſus videlicet *frequens* [ſivè *creber*] & *rarus*, prout frequenter, aut rarò cor in motum ſyſtoles venit, diciturque frequens, ſive creber ille, cujus parvum eſt intervallum quietis inter ſyſtolem, & diaſtolem; contra verò rarus, & dignoſcitur tactu, quando parum temporis, aut maius tempus inter utrumque ictum comprehenditur.

A ſanguine prout copia excedit, vel deficit tertia pulſus differentia oritur pulſus videlicet *plenus*, & *vacuus* ille, qui ex plena arteria hic qui ex eadem inanita dependet; prout autem ſanguis fluidior, aut viſcidior eſt, quarta oritur differentia, pulſus nimirùm *celer*, & *tardus* ille quidem a ſanguine fluxiliore celeriter ictum faciente, hic a ſanguine viſcidiore lentiùs fluente, ac propterea tardè ictum abſolvente. Ideoqne cum ſanguis quò viſcidior eſt eò lentiùs fluat, & quò lentiùs fluit, eò tardiùs abſolvatur diaſtoles quam ſentimus, contra verò accidat, quando ſanguis fluxilior eſt; hinc patet a ſanguine fluxiliore celerem pulſum effici; a viſcidiore tardum, quo propterea ſignificatur, vel alicubi ſtagnare ſanguinem, vel ſaltem facilè ſtagnare poſſe, obſtructioneſque, ac inflammationes parere.

Ab arteriis duris, vel mollibus quinta deſumitur differentia, pulſus ſcilicet *durus*, vel mollis, ut re ipſa patet, nam dura, vel mollis proximè tangitur arteria, & dura quidem, quæ tactui reſiſtit, nec facilè cędit: contra verò mollis.

Sexta

Sexta demum differentia, pulſus nimirùm *magnus*, & *parvus* deſumitur a corde quidem cujus impetus eſt magnus, vel parvus, ſed etiam a ſanguine, & nonnumquam ab ipſis arteriis; Eſt autem pulſus magnus in quo ad magnum ſpatium ſentimus arteriam dilatatam; contra verò parvus; & patet equidem in pulſu magno cordis impetum debere eſſe validum, ut ſanguis impulſus arteriam valdè moveat extrorsùm, ſive ad magnum ſpatium dilatet. Sed inſuper ſanguinem debere vel copioſum eſſe, vel particulis rarefactis conſtare, aut etiam flatu abundare, ut aliquo ex his nominibus arteriam diſtendere valeat; ideòque adnotandum eſt pulſum magnum eſſe poſſe, non tamen ſemper plenum, quando arteria non tàm ſanguinis copia, quàm flatu diſtenditur, ac tunc pulſus, quamvis magnus, comprimenti digito minus reſiſtit, quod ſatis eſt ad diſtinguendum pulſum magnum a pleno; ab arteriæ item conditione poteſt etiam pulſus magnus pendere, quando mollis eſt arteria, & per conſequens facilè a præfatis cauſis diſtenditur; ſicuti e contra parvus pulſus pendere poteſt ab arteriæ duritie, aut contractione valida fibrarum ejuſdem, quæ diſtractioni, ſeu diſtenſioni reſiſtit; qua in re adnotare ſubeſt pulſum parvum non ſignificare ſanguinis inopiam, nec debilitatem eſſentialem, dummodò mollis non ſit.

His poſitis circa ſex præcipuas, ac ſimplices pulſuum differentias, facilè innoteſcit [ut innui] pulſus naturalis: mediocris videlicet inter magnum, & parvum: plenum, & vacuum: durum, & mollem: vehementem, & debilem, quatenus arteria ultra ſuum naturale perimetrum non dilatatur, ac prementi digito mediocriter reſiſtit. Mediocris verò pulſus inter celerem, & tardum difficiliùs poteſt percipi, nam in ſtatu naturali motus diaſtoles, quem ſentimus, citò præterit, ideòque opus eſt majore cum diligentia celeritatem auctam a naturali diſtinguere, faciliùs autem tarditas aucta ſupra naturalem diſcernitur. Mediocris inter frequentem, & rarum ſummopere adnotandus eſt, utpotè regula dignoſcendarum febrium; quam ſanè regulam [cæteroquin praxi potius, quam doctrina percipiendam] tyrones addiſcent, ſi diſtinguant quatuor tempora motuum ſyſtoles, ac diaſtoles, & quietum intermediarum, comparentque menſuram temporis, quod inter unam, & alteram diaſtolem interfluit in ſtatu naturali, cum illa menſura, ſive regula motus, quæ muſicis quadrupla dicitur, paulò tamen breviore, quàm ordinaria; integrum enim ſyſtoles, diaſtoles, quietumque intermediarum tempus in ſtatu naturali, æquare manifeſtè videtur menſuram iſtam muſices breviorem, quæ videlicet deſignat quatuor partes temporis, ut innui, paulò breviores in citatiore cantu. Præterea pulſus naturalis debet eſſe ſimpliciter, & abſolutè æqualis; videlicet omninò ſimile debet eſſe intervallum temporis in-

ter omnes pulſationes, & iſtæ habere debent ejuſdem gradus impetum; nec ſolum debet eſſe æqualis pulſus penès unam, vel alteram ex præfatis differentiis [puta ſecundùm magnitudinem] ſed penes omnes, ut reverà ſit æqualis abſolutè.

Jam verò pulſus naturalis regula expoſita, & ſex præfatis differentiis pulſuum non naturalium adnotatis, reliquum eſt, ut [relictis aliis differentiis, quæ phantaſticæ potius, quam veræ ſunt] aliam inter notatu dignas recenſeam: pulſum videlicet inæqualem. Hujus nomine generatim intelligitur ille, qui non ſemper eſt ſibi ſimilis; ſed vel penes unam, vel aliquas, vel omnes illas differentias diſſimilitudinem ſervat, in quo cenſu comprehenditur *intercurrens*, & *intermittens*; ille, in quo arteria poſt unum ictum, quietis loco iterum diſtenditur; intermittens autem, qui expectatum ictum intermittit, ſeù: in quo quies loco diſtenſionis expectatæ ſequitur. Ad pulſum intercurrentem reducitur *pulſus dicrotus*, ſive bis feriens, & *interciſus*, qui vix ab eo diſtinguitur. Tandem ad inæquales pulſus reducuntur vermicantes, formicantes, & miuri; aliique præterea in hoc brevi recenſu omiſſi; ſatis enim eſt iſtas, quæ reverà poſſunt percipi a Medico hactenùs adnotaſſe.

Quid autem pulſus certò ſignificet, partim dictum eſt in explicatione differentiarum, partim ex eadem luculenter infertur; præterquamquod ſignificationes omnes clarè ſunt expoſitæ a doctiſſimo Laurentio Bellini, nedum in tractatu de pulſibus, ſed in principio morborum pectoris, ubi de pulſu intermittente agit. Cumque de hiſce identidem dicendum ſit ubi de febribus, & aliis morbis, nil aliud ſupereſt recenſendum. Hoc tamen adnotare operæ pretium eſt circa frequentiam pulſus naturali majorem, quod tametſi parvus, & vix perceptibilis exceſſus frequentiæ ultrà regulam ſuperiùs adnotatam naturalis eſſe poſſit pro temperamenti varietate (quamvis id rariſſimè contingat, & ſi contingat, naturalis dicatur, quatenùs perexiguus eſt a naturali receſſus, & inſenſibilis actionum læſio) in hectica tamen primi gradus diligentiſſimè animadvertendus eſt, ut primus ipſe gradus hecticæ, vix, ac ne *vix* quidem ægro ſenſibilis, exactè cognoſcatur. Hanc diligentiam Juveni mihi neceſſitas obtulit Romæ in ægritudine dilectiſſimi Fratris D. Ambroſii Theologi, tabe tandem pulmonari, ſub patrio Cœlo perempti; cujus pulſum, ſtatim ac tuſſicula eum corripi cæpit, diù, & animi attentione maxima, ſollicitudini, & fraterno amori proportione reſpondente, obſervabam, exactè reſpiciens ideam naturalis frequentiæ pulſuum in Xenodochio pridem diuturna praxi conceptam, qua percipiebam infirmi Fratris pulſum naturali frequentiorem eſſe, quamvis exceſſu tàm minimo, ut a nonnullis Medicis, & Romæ, & Tuſculani, non diſtingueretur.

CAPUT

CAPUT II.

De Reſpiratione.

QUid ſit reſpiratio; quæ neceſſitates ejuſdem; quæ cauſæ; quæ inſtrumenta; dictum eſt in tractatu de Homine. Nunc de ipſa prout ad ſemeioticem ſpectat, agendum eſt. Reſpiratio itaque duobus motibus, & duabus morulis quietis perficitur; primus motus quo dilatatur thorax ab actione muſculorum, dicitur inſpiratio; alter, qui fit per eorumdem muſculorum reſtitutionem, & coſtarum pondus, expiratio dicitur, & hi ſanè motus, nec non morulæ quietis intermediæ ſenſu deprehenduntur; contra verò in pulſu dilatatio tantummodò ſenſu attingitur.

Naturalis, ſeù integra ſanorum reſpiratio in ſuis motibus, & morulis quietis tempore abſolvitur quadruplo circiter illius, quod inter unam, & alteram pulſus diaſtolem intercedit. Tempus verò longè majus conſumit in motibus, quam in morulis quietis; ideòque, in ſtatu naturali, reſpiratio ſatis tarda eſt. Præterea motus dilatationis factus a muſculis intercoſtalibus, & diaphragmate coſtas elevantibus, in ſtatu naturali placidus eſt, nec valdè ſenſibilis, ut ſunt alii motus violenti muſculorum. Inſpirationis motus minore temporis intervallo, & majore impetu abſolvitur; Expiratio autem majore intervallo, & minore impetu, quia hæc fit non per muſculorum actionem, ſed per naturale pondus coſtarum, ideòque non poteſt fieri tàm citò, quàm ſi fortior potentia applicaretur, cum præſertim aer unà cum fuliginibus expellendis aliquantum reſiſtat. Quies pariter, quæ poſt expirationem, & ante inſpirationem obſervatur, longè magis conſpicua eſt ſenſibus, & longior, quàm quæ inſpirationis motui ſuccedit.

His itaque adnotatis circa reſpirationem integram, ſeù in ſtatu ſanitatis, facilè eſt obſervare quot modis a ſtatu naturali recedat, & adnumerare differentias omnes reſpirationis præter naturam, quæ ſunt magna; parva; frequens; rara; celer; tarda; & hæ quidem ſunt ſimplices, quæ oculis clarè patent, ut magnitudo, & parvitas in elevatione coſtarum; celeritas, & tarditas in utrolibet motu, inſpirationis videlicet, ac expirationis; frequentia, & raritas in quietibus intermediis, frequentia ſcilicet quando brevior eſt quies quam in ſtatu naturali, raritas, quando longior: Hoc tamen adnotandum eſt, magnam reſpirationem bifariam ab Hipocrate intelligi, aut videlicet ſecundum ſpatium extenſionis, & appellatur ab eodem *Spiritus extendens*; aut ſecundum vim muſculorum, qua urgetur in inſpiratione aer, & dicitur *Spiritus urgens* in coacis, & alibi. Ad hanc verò muſ-

culorum

culorum vim reducitur etiam *reſpiratio ſublimis* , cujus nomine Hipocrates 3. epid. ſect. 2. ægroto 7. intelligit eam, in qua ſummus thorax etiam cum ſcapulis validè movetur.

Sequuntur differentiæ compoſitæ viſui pariter conſpicuæ: magna, & frequens: magna, & rara: magna, & celer: magna, & tarda: parva, & frequens: parva, & rara: parva, & celer: parva, & tarda: frequens, & celer: frequens, & tarda; deinde magna frequens celer: magna frequens tarda: parva frequens celer: parva frequens tarda.

Denique hiſce adduntur inæqualis, & interciſa. Inæqualis autem vel talis eſt penès unam tantum ex præfatis ſimplicibus differentiis, diciturque ſecundum quid inæqualis; vel ſecundum duas, diciturque dupliciter inæqualis; vel ſecundum multas, aut omnes, diciturque multipliciter, aut omninò inæqualis. Interciſa dicitur, quæ medio inſpirationis tempore per brevem morulam ceſſat, iterumque ante expirationem reviviſcit, quandoque ſemel, quandoque bis; & pluries in unica inſpiratione; atque ad hanc pertinet oſcitatio.

Has omnes, & alias reſpirationis differentias adnotavit doctiſſimus Vir Fabricius Bartholetus in ſuo tractatu de Diſpnea, ubi cum Galeno, tot differentias reſpirationis, quot pulſus diſtinguit; quamobrem cum eodem addere operæ pretium eſt alias differentias notatu dignas ab Hipocrate in coacis, & alibi, ſecundo præſertim, & ſexto epidemiorum deſumptas; Inquit enim Hipocrates: Spiritus, qui denſus quidem, & parvus eſt, inflammationem, & dolorem in partibus ſpiritalibus ſignificat; (eos, qui ſic reſpirant, alibi vocat *breviſpiros*); magnus autem, & per multum tempus, delirium, & convulſionem; & frigidus quidem læthalis eſt; læthalis autem eſt, & febriculoſus, & fuliginoſus, verum minùs quam frigidus; & qui magnus expiratur, parvus verò intrò, & parvus foras, magnus verò intus peſſimus ſanè eſt, ac morti propinquus. Itemque extendens, & urgens, & obſcurus, & dupla intus revocatio veluti *ſupra inſpirantibus*. Hactenùs Hipocrates ab eodē laudato Viro citatus, qui, nomine ſpiritus denſi, & parvi, frequentem, & parvam reſpirationem intelligit oppoſitam raræ, ac per multum tempus factæ. Prætereà duas alias differentias aſſignat: ſpiritum videlicet frigidum, & febriculoſum, fuliginoſumve nempe [ut alibi loquitur] calidum præter naturæ modum; quæ ſanè differentiæ, quamquam ipſi motui reſpirationis accidentales, animadvertendæ ſunt, atque obſervandæ admota manu propè os dum expiratio fit. Obſervatque inſuper Hipocrates inæqualitatem reſpirationis in unica reſpiratione, præter generalem differentiam inæqualis reſpirationis paulò ſuperiùs expoſitam; eſtquè inæqualitas iſta inter inſpirationem, & expirationem; quando videlicet inſpiratio magna eſt, expiratio verò parva; vel contra inſpiratio parva, & magna

expiratio,

expiratio, ſed hæ reſpirationes in propè morituris obſervantur.

Quod tandem dictum eſt ſuperiùs de dicrota, ſeù interciſa reſpiratione iſto etiam Hipocratis contextu comprehenditur ſub nomine duplæ intus revocationis, & hanc alibi expoſuit idem Præceptor in Hiſtoria Philiſci, cui [ut inquit] ſpiritus ad finem uſque veluti revocanti, rarus, & magnus erat. Porrò ad interciſam reſpirationem reducitur etiam ſuſpirioſa, quam clarè admodum deſcribit laudatus Bartholetus, quatuor diſtinguens genera ſuſpirii: anxiferum, ſivè aporiferum: luctuoſum: oblivioſum, & amatorium; anxiferum fieri ait ſine ſonitu, ſeù gemitu in hypocondriacis mœrore affectis, nec non in angore ventriculi, qui apoca dicitur, in quibus omnibus præcordia comprimi videntur; luctuoſum verò cum voce clangoſa, ſivè aliquo ſonitu, ac gemitu, quo, veluti flentes ob doloroſam diſpoſitionem, in hunc modum reſpirant, ut Galenus adnotavit in Hiſtoria Uxoris Dealcis. Atque [ut amatorium ſuſpirium omittam] oblivioſum ſuſpirium illud eſſe inquit, quod obſervatur in delirantibus, quibus magna, & rara fit reſpiratio per longa intervalla, eo quod, mente moti, reſpirare obliviſcuntur, cujuſmodi reſpirationem comitatur ſuſpirium. Hic autem animadvertere ſubeſt: quod ſi delirantibus parva, & freques reſpiratio fiat; alia his complicatur ægritudo partium ſpiritalium, qua vincitur illa oblivio, & coguntur vi ſtimuli frequenter cum difficultate reſpirare, ut contigit Anaxioni lateris dolore aſſiduo, & inflammatione laboranti, nec non aliis, quos idem Bartholetus cum Galeno recenſet.

Adnotanda etiam eſt inter inæquales reſpirationes expiratio efflans, ſivè exſufflans valido motu muſculorum, cum, & ſine ſtertore, quæ cum non fiat per ſolum pondus coſtarum, ſed actione valida muſculorum irritatorum, jure meritò convulſiva dici poteſt, ac in praxi ſæpè obſervatur poſt hujuſmodi efflantem expirationem ſtatim intumeſcere abdomen, indèque detumeſcere, ob irregularem, & convulſivum muſculorum motum. Ad convulſivam reſpirationem refertur illa, quæ ab Hipocrate appellatur tremens; nec non illa obſervata in Uxore Dromeade, quam convulſam obiiſſe narrat, cum antea ſpiritum magnum, rarum, ſtatim revulſum habuiſſet.

Jam verò ut cauſas reſpirationum a naturali ſtatu recedentium inquiramus, in primis obſervandum eſt quomodò à ſolis, & præciſis cauſis externis, abſque ulla diſpoſitione morboſa varietur reſpiratio per modicum tempus, & exindè ceſſantibus iſtis cauſis ad naturalem ſtatum revertatur. Hoc manifeſtè cernimus in motibus violentis aut iræ, aut laboris, aut curſus, aliarumque violentarum exercitationum; patet autem ex phyſiologicis bifariam id fieri, aut quia ſpiritus animales, per hujuſmodi motus violentos, in majore copia fluunt in

muſculos moventes thoracem ; aut quia motu cordis frequentiore facto, per eundem violentum influxum in ipſum cor, ſanguis in pulmones truditur validiùs, indigetque proindè majore aeris ope, ut ſpiritu vivifico inſtauretur, ſimulque in circulum promoveatur; qua etiam neceſſitate influunt in majore copia ſpiritus ad muſculos moventes thoracem; atquè hæ duæ cauſæ ſimul concurrunt, una tamquam efficiens, altera tamquam finalis. His poſitis facile eſt invenire cauſas internas læſæ reſpirationis in morbis per ſequentes propoſitiones.

PROPOSITIO II.

In quocumque morbo reſpiratio augetur, vel frequentior fit, vel quacumque alia ratione laborioſa, & difficilis eſt, evidenter oſtendit majorem naturæ conatum, ſivè motum omnium, quibus inſpiratio fit, muſculorum, & per conſequens fluidorum ſpirabilium, undè motus iſte dependet. Is autem conatus naturæ major: vel auctam inſpirando aeri reſiſtentiam, vel irritationem muſculorum reſpirationi inſervientium, vel utrumque neceſſariò ſignificat.

PRima pars ſenſibus ipſis manifeſtè percipitur; tunc enim videmus hunc majorem naturæ conatum, qui non niſi a muſculis omnibus reſpirationi dicatis fieri poteſt ope ſpirabilium fluidorum influentium, ut ex anatomicis experimentis perſpicuum, & omninò ratum eſt. Motum autem iſtum, ejuſque inſtrumenta breviter expoſui propoſitione xvii. ſecundi libri de Homine. Secunda pars manifeſtiſſimè infertur ex generali naturæ lege, neceſſitate videlicet ex hypotheſi finis, quam in univerſa natura corporea primam motus, & quietis legem eſſe in phyſicis demonſtravi prop. 2. 69. 70. & 73. Quoniam itaque major naturæ conatus, & labor in reſpiratione, ſeù [quod idem eſt] major, vel frequentior motus muſculorum illorum, & [per conſequens] major, vel frequentior influxus impetum facientium ſpirituum in ipſos, neceſſariò (iuxta præfatam legem) fit, aut pro ratione majoris reſiſtentiæ inſpirando aeri: aut pro ratione irritamenti; aut propter utramque cauſam, nec præterea ulla eſt alia neceſſitas

ceſſitas conatus naturali majoris, nam, hiſce demptis, libera eſt reſpiratio, & ad ipſam vix ſenſibilis motus ſufficit [ut in adnotato loco libri de Homine oſtendi, & notiſſimum re ipſa eſt] ergò conatus ille major, aut alterutram, aut utramque ex dictis affectionibus morboſis neceſſariò ſignificat, ut propoſitum fuerat.

COROLLARIUM.

QUia verò in utrolibet, aut in utraque ex dictis affectionibus ſemper præter naturam auctus, vel frequentior eſt motus ſpirituum, & hic morbus eſt in fluido ex definitione, ut ex pathologicis manifeſtiſſimum eſt; ergò ſemper, in utralibet, vel in utraque affectione, reſpiratio præter naturam aucta, vel frequentior, neceſſariò in primis, & evidentiſſimè morbum in fluido, laborem facientem, ſignificat. Aliorum verò morborum ſigna in ſequenti ſunt explicanda.

PROPOSITIO III.

Significationes alias Morborum, & Cauſarum ex læſa reſpiratione per collationem aliorum aſſidentium ſignorum diſtinguere.

REſiſtentia naturali major, quæ obſtat inſpirando aeri, generatim fit (ac neceſſariò quidem) ex morbo in via, ſeù meatu obſtructo, aut præter naturam compreſſo, & anguſtiore facto, ut ex Phyſiologicis, & Pathologicis, immò re ipſa conſtat, nam impoſſibile eſt reſiſtentiam naturali majorem obſtare inſpirando aeri ſi apertæ ſint viæ omnes, per quas aer inſpirandus, & expirandus eſt.

Quoniam verò morbus iſte in via, ſcilicet in aeriferis ductibus, vel idiopaticus, vel ſimpaticus eſſe poteſt [cum ad alterutrum ex his generibus morbus omnis reducatur ex Pathologicis] Idiopathicum in primis clarè, ac diſtinctè cognoſcimus ex aſſidentibus propriis ſignis, quæ varias ipſius ſpecies manifeſtè demonſtrant. Nam primò ſi laborioſa reſpiratio ſine febre fiat, cum anhelitu ſibilo, & catharri ſenſu, clarè oſtenditur aſtma ex catharro tubulos tracheæ obſtruente, ita ut quantitas aeris neceſſaria in veſſiculas proximas pervenire non poſſit pro vitalibus uſibus ex phyſiologia notis, & in tractatu meo de Homine expoſitis, & ſiquidem hoc impedimentum adeò creſcat, ut ſuffocet omninò, jam ſequitur mors. Secundò ſi æger *acervatim reſpiret,*

ret, ut loquitur Hipocrates, magna videlicet, ac frequenti reſpiratione cum pauca febre, tuſſi, cachexia, ſomnis brevibus, & interruptis, abſque ſignis tamen inflammationis inferiùs exponendis, & alia inſuper ſigna hydropis appareant, præſertim tumor pedum, & crurum aquam inter cutem oſtendens, tunc reſpiratio illa (quæ ut plurimum erecto pectore fit) morbum idiopathicum in compreſſione meatuum aeriferorum conſiſtentem certò ſignificat, tum cauſam quoque hujus compreſſionis aſſidentia ſigna oſtendunt, videlicet hydropem pectoris, aut pulmonum, qua compreſſio iſta proximè fit unà quidem cum (pauca ſaltem) febre ob refluxum ſpirituum a pondere aquæ ſuper nerveas propagines continuò concitatum, indèque auctum eorumdem fluxum in cor, ut ex propoſitionibus pyrethologiæ conſtat; quod plerumque non contingit in aſtmate, ubi catarralis humor in cavitatibus ductuum a glandulis eorumdem interioris membranæ guttatim ſeparatus, vim iſtam preſſionis nervearum propaginum non exercet.

Viceverſa ſi cum difficili reſpiratione febris acuta, tuſſis, & dolor cum ſputo cruento, & rubedine genarum, accedant, ſignificatur equidem idiopathicus morbus in compreſſione ductuum aeriferorum conſiſtens, ſed ab inflammatione pulmonum productus, in qua reſpiratio frequens, & valdè magna fit; e contrà in pleuritide parva, & frequens, ut Anaxioni ſuperiùs citato contigit, quia dolor acutus pleuræ magnum non patitur muſculorum motum, ne dolor augeatur, quod non contingit in peripneumonia, ubi plus periculi, quàm doloris adeſt, neque hic obſtat magnæ, qua opus eſt, reſpirationi; quod ſi hæc inflammatio pulmonum ſit eriſipelatodes, fit illa reſpiratio ſublimis, quam adnotavi, nam, præter validam diſtenſionem vaſorum ſanguiferorum validè, pro ratione diſtenſionis, præmentium veſſiculas, accedit quoque acris caloris ſtimulus, ideòque nares tunc æger expandit non ſecùs ac equus ob curſum.

Cæterum ubi ſigna omnia morborum idiopathicorum pectoris deſunt, omnis reſpiratio difficilis, & morboſa ſimpthomatica eſt, in qua etiam perpetuò vera eſt generalis hæc propoſitio ex ſuperiùs dictis luculenter illata: quod nimirùm omnis læſa reſpiratio: aut compreſſionem aeriferorum ductuum, aut irritationem muſculorum reſpirationi ſervientium, aut utramque affectionem, quamvis ſimpthomaticam, ſignificat, ut in febribus præſertim acutis contingit, ubi utraque iſta affectio, & utriuſque cauſæ maniſeſtè percipiuntur, nam in primis calor acris, & vitioſa perſpiratio acutæ febris muſculos reſpirationi inſervientes irritat, præſertim ubi accedit perſpiratio maligna. Deinde fervor ſanguinis, aut lentor ejuſdem vaſa pulmonum plus æquo diſtendunt, fervor quidem extrorsùm trudendo tunicas

vaſo-

vaſorum ſanguineorum, propterea quod ferventes particulæ ſanguinis majore impetu ſpatium ſibi comparant majus, quod non niſi cum diſtenſione majore vaſorum aquirere poſſunt; lentor autem infarciendo vaſa, & reſiſtendo ſuccedentis ſanguinis motui pro ratione imminutæ fluxilitatis, ſeù [quod idem eſt] lentoris; quare pro eadem ratione, dum per frequentiorem pulſum ſuccedens ſanguis frequentiùs urgetur, occurritque præcedenti minùs fluxili, magiſque ideò reſiſtenti magis neceſſario vaſa diſtendit. Porrò utravis de cauſa, vel fervoris, vel lentoris, vaſa iſta pulmonum diſtenta, veſſiculas proximas, quas undique circundant, neceſſariò comprimunt, atque eò anguſtiora reddunt quò in ſpatium majus ipſa extenduntur; indèque neceſſariò pendet ſimpthomatica reſpiratio difficilis ob auctam inſpirando aeri reſiſtentiam, perindè ac in morbis idiopathicis ſuperiùs expoſitis. Quoniam itaque nulla alia de cauſa lædi poteſt reſpiratio, quæ ad haſce tamquam ad genera ſumma non reducatur; etiam ubi morbi deſunt idiopathici, quos expoſui. Manifeſtum eſt reſpirationem difficilem harum cauſarum alterutram, vel utramque ſignificare.

His poſitis, & per ſuas equidem neceſſitates manifeſtiſſimis, cætera, quæ adnotanda ſuperſunt reſpirationum præternaturalium ſigna jam facillimè diſtincta ſunt; neque aliud præterea eſt adnotandum niſi quod ſimpthomatica omnis reſpiratio quomodocumque læſa in acutis, ubi eſt æqualis, æqualitatem fluxus, & reſiſtentiæ in ſanguine ipſo ſignificat; ſic magna, & frequens, quando æqualis eſt, compreſſionem veſſicularum a ſolo fervore ſanguinis fieri oſtendit, qui æqualiter fluxui reſiſtit, & minùs equidem reſiſtit, quam lentor; contra verò magna, & rara [præter ſignificationem ſuperiùs adnotatam in delirantibus] lentorem ſanguinis, utpotè magis fluxui reſiſtentem, denotat. Quælibet autem læſa reſpiratio inæqualis, inæqualem ſanguinis fluxum ſignificat; & ſi dicrota ſit, ut in Philiſco, ſi luctuoſa, ſi ſuſpirioſa [præter ſignificationes jam relatas ex Bartholeto] craſſim ſanguinis magis vitiatam, & corruptioni proximam denotat, ad quam ſanguis ipſe in febribus malignis properat. Aliæ omnes læſarum reſpirationum ſignificationes luculenter ex dictis inferuntur, & ultrò patent.

CAPUT III.

De actionibus animalibus.

QUid pulſus, & reſpiratio [actiones nimirum vitales] certò ſignificent, ſuperioribus capitibus dictum eſt; ſequuntur jam actio-

nes animales hic nedùm præcisè animadvertendæ, prout videlicet unaquæque ſeorſim propriam affectionem lædentem demonſtrat, ſed etiam unà cum jam expoſitis actionum vitalium læſionibus, per collectionem videlicet ſignorum, quam ſyndromem vocant; ita enim ſuperiùs vitalium quoque actionum læſarum ſigna cum aſſidentibus animalium actionum ſignis, puta cum dolore, contuli. Ut autem ex ordine harum ſigna exponam, de ſenſu, & motu primum agendum eſt. Itaque jam ex pathologicis patet ſenſum, & motum trifariam lædi poſſe, quatenus videlicet: vel imminuitur: vel aboletur: vel depravatur, & ſub genere quidem depravati ſenſus, vel motus comprehenditur ſenſus, & motus præter naturam auctus. Quocumque autem ex hiſcé modis lædantur, generatim jam, & præcisè ſignificant manifeſtiſſimè morbum in fluido, & affectionem præter naturam in organis ſenſus, & motus; ſic motus imminutus torporem; abolitus paralyſim; depravatus convulſionem, ſubſultus convulſivos, tremores demonſtrant; atque hæc affectio generatim morbus in fluido eſt, in motu videlicet, vel quiete præter naturam ſpirituum, a cauſis vel motum eorumdem impedientibus, vel præter naturam augentibus, quarum ſumma genera, eorumque analyſes luculenter ex pathologicis percipiuntur. Eadem ratione ſenſus imminutus oſtendit ſtuporem; abolitus paralyſim; depravatus dolorem, qui ſunt morbi in fluido, & neceſſariò quoque denotat cauſas vel influxum ſpirituum partim, aut omninò impedientes, ut ſtupor, & paralyſis; vel eoſdem ſpiritus agitantes, ut dolor, quæ omnia ex phyſiologicis demonſtrationibus, atque anathomicis experientiis perſpicua ſunt. Si autem omninò ceſſet motus, vel ſenſus in univerſo corpore cum ſenſibus quoque internis, apoplexiam certò novimus in hiſce læſionibus conſiſtentem, per quas manifeſtus fit morbus nedum in fluido, videlicet in ſpirituum influxu cohibito, & (quod idem eſt) in defectu motus neceſſarii eorumdem; ſed & alii quoque morbi ſolidorum undè ille proximè dependet; iſti enim ad ſumma genera cauſarum neceſſariò reducuntur, *obſtructionem* videlicet, aut *compreſſionem*, quibus clauduntur canales nervei, per quos fluere ſpiritus debuerant, ut pariter ex præfatis demonſtrationibus, atque experientiis omninò ratum eſt. Similiter diſcurras de motu, & ſenſu depravato in cęteris capitis morbis, ut in lethargo, convulſione, & ſimilibus.

His itaque de motu, & ſenſu læſo generatim præmiſſis clarè percipimus per omnium ſenſuum læſiones propriam affectionem, qua ipſi læduntur; ac prætereà ſigna omnia, & præſagia, quæ magnus Hipocrates elicit in acutis ægritudinibus ex hujuſmodi actionibus læſis, facillimè intelliguntur. Quoniam verò doloris ſenſus apprimè conſiderandus eſt, utpotè maximi momenti nedum ad proprii, & præciſi

morbi

morbi tàm in fluido, quàm in ſolido, ſed etiam ad certam cognitionem aſſequendam cauſarum internarum alios morbos producèntium. De hoc in primis agendum eſt.

PROPOSITIO IV.

Senſus vehemens doloris in quacumque parte fiat, evidenter demonſtrat morbum in ſoluta unitate, quæ diſtractio, aut diſtenſio illius partis eſt; atque hunc morbum neceſſariò comitatur vehemens agitatio ſpirituum, ſivè motus eorumdem præter naturam auctus, & (quod idem eſt) morbus in fluido, ſi autem a cauſa externa non oriatur, demonſtrat etiam ſummum aliud genus Cauſæ, internam *nimirùm tàm coniunctam, quàm antecedentem. Integra verò analyſis ſummi hujus generis cauſæ, aliorumque in eo comprehenſorum, partim eſt evidens, partim per collectionem ſignorum fit manifeſta.*

PRima pars luculenter patet ex definitione, & communi notione ſenſus naturalis, & ſenſus depravati, qui dolor appellatur; fit enim ille per motum partium ſentientium, videlicet nervearum, & membranearum, ab occurſu ſenſibilis cujuslibet, undè conſequitur motus animalium ſpirituum in fibrillis omnibus contentorum, & conſentientium uſque ad cerebrum; abſque ulla tamen nec ſolidarum partium, quibus a ſenſibili, motus imprimitur, nec fluidorum conſentientium læſione, ut ex phyſiologicis manifeſtum eſt. Senſus autem depravatus, ſeù vehemens doloris ex vehementi motu partibus iiſdem incuſſo ab occurſu validiore ſenſibilis, undè partes ipſæ neceſſariò præter naturæ modum diſtrahuntur, vel diſtenduntur cum læſione manifeſta, & (quod idem eſt) morbum in iis conſtituente, atque intereà ſpiritus contenti neceſſariò quoque impetum vehementem, & præter naturam concipiunt, qui morbus in fluido eſt, ut ex ſuperiùs dictis, & ex pathologicis itidem conſtat. Ergò ſenſus vehemens doloris, utrumque morbum præfatum in ſolido, & fluido, evidenter demonſtrat, ut erat primo loco propoſitum.

Se-

Secunda pars ex prima infertur manifeſtiſſimè, ſi enim dolor non oriatur a vulnere, aut alia qualibet ex cauſis externis [intra quas etiam ingeſta per os recenſeo; morbos iſtos in ventriculo, & inteſtinis, quomodocumque parere apta etiam per lumbricorum productionem] reliquum omninò eſt, ex dilemmate, ut neceſſariò ab interna cauſa excitetur; nimirùm a ſenſibili materia interna, quæ, præter naturam admota partibus ſentientibus, ipſas diſtrahat, vel diſtendat, ut ex prima parte conſtat. Jam ergò evidenter intelligimus ſummum genus præciſum cauſæ conjunctæ, ſenſibilem videlicet iſtam, partibus ſentientibus infenſam materiam; & quoniam hæc, vel proximè, vel per intermedias glandularum derivationes, illuc advenit, ut perſpicuum eſt ex conſtructione, ſeù ex anatomicis demonſtrationibus; evidenter quoque intelligimus ſummum genus præciſum cauſæ antecedentis, materiam videlicet, quæ in ſanguine, undè proficiſcitur, priùs aderat.

Summi verò hujus generis analyſis obvia ex dictis eſt, ac manifeſta; Hæc enim materia, partibus ſentientibus infeſta, neceſſariò vel eſt *ſanguis* ipſe ſubſiſtens in vaſis ad contactum ipſarum poſitis, eaſque diſtendens, atque diſtrahens, ibique, aut phlogoſim conſtituens, aut veram inflammationem pariens; vel eſt *quid a ſanguine manans*; & rursùs hoc neceſſariò etiam eſt, aut perſpiratio vitioſa, cum impetu in membranas proximas irruens, &, vel copia diſtendens, vel incongrua qualitate irritans, ac diſtrahens, vel utrumque faciens; aut eſt humor pariter copia, vel qualitate peccans a ſanguine itidem per glandulas ſecretus, & præter naturam fluens in partes ſentientes eamdem læſionem faciens; Per hæc enim genera materies morboſa, ſivè interna cauſa præfata omninò reſolvitur, nec aliud quicquam ſupereſt, quod in his non comprehendatur, ut ex pathologia generali, nec non ex demonſtrationibus anathomicis patet.

Unumquodque autem ex his generibus partim ſenſibus ipſis perſpicuum eſt, partim per collectionem ſignorum clarè cognoſcitur; ſi enim ſanguis ipſe ſubſiſtens in vaſis ad contactum dolentium partium poſitis phlogoſim vel inflammationem facit, nudis oculis deprehenditur in ophtalmia, in angina, & partibus omnibus viſui conſpicuis; ſed & in partibus quoque internis per collectionem ſignorum clarè cognoſcitur, ut ex ſanguineo ſputo cum febre acuta, & difficili reſpiratione in dolore lateris, nec non ex tumore contrectantibus digitis obvio in dolore obdominis cum febre pariter acuta, & aliis ſimpthomatibus inflammationem comitantibus. In aliis quoque partibus per ſyndromem, ideſt omnium ſignorum collectionem neceſſariò cognoſcitur ſaltem imminens inflammatio. Tum per ſigna commemorativa vitæ generis, temperamenti ſanguinei, habituſque corporis

denſi

denſi cum venarum amplitudine, pulſuque pleno; antecedens iſta cauſa in plenitudine, aut lentore ſanguinis, aut in utroque conſiſtens deprehenditur; his enim rationibus ſanguis aptus eſt ſubſiſtere in vaſis illis minimis, ut alia nunc omittam fusè ab Authoribus deſcripta ſigna præcedentia. Siquidem ex his, quæ innui, ubi pulſus, & reſpiratio jam febrem acutam oſtendunt, inflammationem ſaltem imminere hic, vel illic, ubi dolor adeſt, manifeſtè cognoſcitur; quod ſatis eſt ad remedii tutiſſimi, & efficaciſſimi certam indicationem, ut ſuo loco dicetur.

Si autem ſigna inflammationis vel præſentis, vel imminentis deſint, manifeſtum eſt ex analyſi peracta, alterutrum, aut utrumque ex reliquis cauſarum generibus dolorem excitare; ac ſigna etiam habemus cacochimiam, vel ſolo colore cutis (ut reliqua taceam) oſtendentia. Undè vel malæ ſeparationes in glandulis, vel mala perſpiratio ex ſanguine proximè manans in partes dolentes, emergit; Attamen hoc ſemper verum eſt: quod etiam ſi deficiant ſigna præſentis tumoris, aut inflammationis, nihilominùs ubi vehemens dolor a quacumque cauſa excitatus diù perſeverat, illam quoque vel ſpuriam, vel legitimam inſurgere poſſe, aut etiam convulſionem, ut ex pathologicis luculenter infertur. Idque ſatis eſt quoque ad præſervativi remedii certiſſimam indicationem. Vide omnia, quæ H pocrates adnotavit circa dolores vehementes in coacis, in prognoſticis, in epidemicis, & alibi, tametſi partes tantummodò ignobiles afficiant; ut Calvo in lariſſa contigit; ac in ſurarum doloribus idem Præceptor obſervavit.

PROPOSITIO V.

Signa, & præſagia in acutis ex aliorum ſenſuum læſionibus.

Simili ratione in acutis ex aliorum ſenſuum læſionibus, quas Hipocrates adnotat, præſagia eliciuntur, ſignificant enim illæ vim morbi, & cauſæ ſupra naturæ vires, atque proindè harum debilitatem inductam alterutra, vel utraque ratione ſuperiùs expoſita. Sic viſus hebetudo, & *oculus caliginoſus* in principio quidem ſignificat ſpiritus maligna perſpiratione infici, & [quod idem eſt] naturæ vires nedum gravari, ſed unà ſimul ſenſim diſſipari ab acumine morbi; at niſi citò gravamen tollatur, morbique acumen ſedetur debilitatem eſſentialem, & mortem inferre poteſt, idemque ſignificat *ſurditas*, & *aurium tinnitus* eadem ratione militante, quod ſi horum ſenſuum [ſicut alio-

rum

rum omnium] defectus debili exiſtente corpore obſervetur, mors in propinquo eſt, ut docet Hipocrates 4. aph. 49. de ſurditate.

De ſurditate autem hoc adnotare ſubeſt, quod ſi prævalente natura circa morbi declinationem contingat, plerumque ſalutaris eſt, quia utilem tunc depoſitionem ſignificat ſi adſint ſigna coctionis, ut in Virgine Abderitana 3. epid. ſect. 3. ægr.7. quinimmò in principio, & augmento morbi [quamquam ſemper mala ſit] non ſemper lætha-lis eſt, niſi accedant alia ſigna, quæ & validam virium oppreſſionem, & morbi acuti ſævitiem oſtendant, quæque Hipocrates in coacis adnotat inquiens: Caput dolentes, ſurdaſtri, manibus tremuli, collum dolentes &c. perniciosè habent. Veruntamen quando unà ſimul tunc *in acutis tinnitus, & ſonitus aurium* adeſt, *læthalis eſt* ex eodem in coacis; quamvis enim in ſanis, aut etiam in ægrotis, qui febre acuta non laborant, ſonitus aurium a flatu, ceù aere factitio ad organum auditus allabente malum effatu dignum non ſignificet, ſi præſertim citò tranſeat evaneſcente flatu illo; in acutis tamen febribus pravam, ac ſpiritibus infenſam perſpirationem a ſanguineis vaſis capitis emanantem, & auditus organum, nervumque auditorium ferientem ſignificat, ac per conſequens validam oppreſſionis, & acutiei cauſam in vaſis capitis potiſſimum vigere demonſtrat. Ad hæc raram obſervavi auditus læſionem funeſtam, quadraginta circiter ab hinc annis, in acutiſſima febre Reverendi D. Bartholomæi Pizzi Sacerdotis optimi Albinganenſis, tertia, vel quarta [ſi benè memini] die perempti, qui cum fortè in principio morbi ſonitum campanæ audiſſet, dixit mihi ſe longè diverſum audiviſſe illius campanæ ſonum ab eo, quem aliàs ſentiebat, mutatum videlicet, ac veluti raucum; & ſignum iſtud eadem ratione ſuperiùs expoſita proximam demonſtravit mortem. Similiter diſcurras de reliquorum ſenſuum, olfactus videlicet, atque guſtus, læſionibus ſemper malis in acuta febre, quamquam ſeorſim conſiderati læthales non ſint, niſi accedant alia ſigna prædicta, quibus cognoſcimus eas a cauſa morboſa in capite potiſſimùm vigente dependere.

PROPOSITIO VI.

Signa, & præſagia in acutis ex læſione ſenſuum internorum, itemque ex rigore, aliiſque motibus.

Quæ hactenus de ſenſibus externis adnotata ſunt, de internis quoque, nec non de motu muſculorum intelligenda veniunt, ubi alte-

alterutra, vel utraque ſuperiùs expoſita ratio militat. Quamobrem ſatis eſt aliquos tantummodò Hipocratis contextua magis obvios recenſere ac in primis.

Circa delirium, illud ſemper adnumerat inter ſigna mala, nam in prognoſticis inquit: In omni morbo mente conſtare, ac benè ſe habere ad ea, quæ offeruntur, bonum: contrarium verò malum, ut in Philiſco, Sileno Uxore Philini Eraſino, aliiſque in epidemiis, non tamen ſemper in acutis læthale eſt; Herophon enim, & Epicratis Uxor 2. epidem. convaluerunt. Læthale delirium eſſe docet, ubi cùm difficultate ſpirandi complicatur, inquiens 3 aph. 30. ubi in febre non intermittente difficultas ſpirandi, & delirium acciderit læthale. Cujus prognoſtici ratio allata eſt in capite de reſpiratione; citam verò mortem denunciat delirium *in ſpiratione minutula, & ſudatiuncula*, ut in coacis docet; nam ſpiratio minutula unà cum ſudatiuncula jam eò pervenire oſtendit morbi acutiem, & cauſæ vim, ut citam inferant exolutionem virium; eademque de cauſa: *Prædebilitatorum deliria peſſima* eſſe docuit in coacis. Deliria *immaniſſima in convulſionem deſinunt*: Ibidem nam in delirio fit nervorum in origine tremor neceſſariò quidem, & re ipſa naturali major, ideòque maximus in deliriis immaniſſimis, ob maximam agitationem ſpirituum; Hæc autem eò pervenire faciliimè poteſt, ut dilatet fibrillas, & prima nervorum ſtamina, decurtetque per conſequens nervos indè procedentes, & [quod idem eſt] convulſionem inducat; nec mirum ideò ſi ſæpè Hipocrates a cauſis delirii convulſionem præſagiat; prætereà ibidem inquit *deliria cum ſopore convulſoria*. Sopor enim unà cum delirio, & gravamen in cerebro, & unà ſimul agitationem ſpirituum manifeſtè ſignificat, undè convulſionem faciliùs fieri poſſe patet. In prorecticis autem docet: Delirium cum oblivione, ignàvia, & ſtupiditate apparens exitii eſſe indicium iiſdem de cauſis, ſubditque; *Si verò cum his rigeant ægri, aut frigeſcant inevitabile fatum indicatur*. Hæc enim phænomena una ſimul ſignificant gravamen cerebri a legitima, vel ſpuria inflammatione pendere, atque rigor inſuper, nec non perfrigeratio ſignificat illam vel ad ſuppurationem, vel ad gangrænam pertendere, ut experimentis perſpicuis in cadaverum ſectionibus ratum eſt ſequenti paragrapho adnotandis.

Hic igitur animadvertere ſubeſt ſignum peſſimum ex rigore deſumptum, quod jam circa initium prorecticorum adnotaverat in phrænitìcis Hipocrates inquiens; *rigor in his peſſimus*. In his enim caſibus rigor incipit ubi ſedes morbi eſt, nimirùm in cerebro, & ipſius membranis, ubi ſpecies incutitur ſimilis illi qua partes nerveæ tremunt, & concutiuntur per ſenſum ſubitò invadentis frigoris. Poteſt enim hujuſmodi ſenſus excitari a quacumque ſpecie nerveis partibus

 incuſſa,

incuſſa, quæ in tremorem tam vividum ipſas adigat, ut impetum caloris tunc temporis eludant, & quaſi excutiant, ut optimè docet Laurentius Bellini luculenter explicans mirabilem rigoris ſenſum per ſpecies a frigore toto Cœlo diverſas, cujuſmodi eſt auſterus ſapor, & ſonus acutè ſtridens. Notum eſt inſuper experientia rigorem fieri, ubi circa ſentientes partes internas aliqua eſt inflammatio, nedum in vulneribus capitis, ſed in aliis partibus a cauſa interna, ut obſervavit Spigelius in ſectione cadaverum hemitriteo peremptorum. Cæterùm rigores qui externas partes invadunt, ab alia cauſa oriundi, ut in febribus intermittentibus, & in aliis caſibus, ubi perſpiratio ſpeciem rigoris excitans ad extrà vergit, inter bona ſigna recenſentur.

Ex aliis quoq; motibus vel depravatis, vel imminutis, elicit ſigna, & præſagia Hipocrates in acutis aut oppreſſæ, aut laborantis, aut languentis natu æ; Sic de ſingultu in coacis ait: *ſi quis in laborioſa febre ſingultiat morbo laborat peſſimo*. Tunc autem obſervare debet Medicus an tenſio, vel tumor in hepatis regione ſit; nam ex hepatis inflammatione ſingultus malum ex aph. 17. ſect. 7. cæteri etiam convulſivi motus, & ſubſultus tendinum [quamquam hyſtericis, & hypocondriacis non raro contingant abſque periculo] in acutis febribus mali ſemper ſunt, & delirium aut præcedere, aut comitari ſolent. Sed & alia ex aliis motibus ſigna ſunt in principio, vel augmento morbi, quæ futurum delirium prænunciant; vigiliæ nimirùm; inquietudines, tinnitus, & ſonitus aurium ſuperiùs adnotatus; inſtabiles oculi, de quibus ait in prognoſticis Hipocrates: ſi oculi frequenter moveantur, furioſos fore timor eſt. *Turbulentæ* item, *feroceſque excitationes a ſomno delirium afferunt*, ipſumque inſuper ſolent præcedere quatuor ſigna Ludovici Dureti, videlicet: indecora compoſitio: verborum abſurditas: falsò credita doloris vacuitas: morum diſſimilitudo, ab Hipocrate adnotata in prorecticis, & in coacis: a prudenti ſcilicet Viro ferox reſponſum: a feroci modeſtum: garulitas in taciturno: taciturnitas in garulo. Vigiliæ autem immanes, & irrequietæ iactationes corporis, etiam præcisè ab Epiphenomenon præſagiis conſideratæ, malæ ſunt, ac plerumque læthales, ut in muliere decumbente in mendacium foro 3. epidemiorum, quæ periit multa jactatione, & inquietudine agitata. Valdè funeſti ſunt tremores viribus jam fractis; itemque linguæ tremulæ; dentium ſtridores in iis qui non ſunt aſſueti; nam hi motus, aliique hujuſmodi ab Hipocrate citatis in locis, & alibi adnotati oſtendunt ſpiritus animales a cauſa morboſa ferociter agitari, & conſumi. Viceverſa debilitas motus alio de nomine victoriam cauſæ morbificæ ſupra vires demonſtrat, ideòque Hipocrates in coacis inquit: gravitas totius corporis; manuum item, ac pedum peſtifera; idemque dicas de ſupino decubitu.

De

De his autem inferiùs, ubi de aſpectu ægrotantium.

CAPUT IV.

De Actionibus naturalibus.

NUtrix actio, & omnes ipſius miniſtræ actiones naturales, videlicet appetentia, concoctio, & excretio læſæ uberrimum exhibent fontem, undè nedum ſigna pathognomonica eruuntur propriarum læſionum, ſed & ſigna quoque aſſidentia morborum omnium cum quibus ipſæ complicantur. Primò enim ſi appetentia læſa ſit [imminuta ſcilicet: abolita, vel depravata] jam hoc de nomine morborum ventriculi pathognomonicum ſignum eſt, ut: *anorexiæ*, ſi valdè imminuta, vel abolita ſit: *bolimiæ: bolimi cynorexiæ*, ac famis etiam ſyncopalis, ſi aucta, vel depravata ſit. Vel tandem *picæ*, ac *malaciæ*, ſi appetuntur abſurda; læſa item concoctio ventriculi morbos ejuſdem oſtendit: nam imminuta re ipſa bradipepſiam demonſtrat; depravata diſpepſiam, abolita apepſiam, & omnia tandem ſympthomata in excretis, & retentis, quæ cap. 3. pathologiæ innui morbos proprios clarè oſtendunt, ut feces tinctæ ſanguine dyſenteriam; liquidæ, & incruentæ diarrheam; pingues fluxum colliquativum; albugineæ cæliacam paſſionem, & hujuſmodi; ſimiliter diſcurras [in hematoſi, ac ultima digeſtione] de excretionibus glandularum læſis proprios morbos demonſtrantibus, nec non de qualitate mutata cutis, quæ perſpirationis, & ultimæ digeſtionis vitia indigitat.

Secundò excretiones omnes, quæ tum in prima coctione, tum in aliis per glandulas, & cutem ipſam fiunt, in omnibus aliis morbis animadvertendæ ſunt, nam materiæ morboſæ intus productæ, vel coctionem, vel cruditatem oſtendunt, & per conſequens, vel naturæ victoriam, ſi concoctæ, vel morbi, ſi crudæ, certò ſignificant; ratum eſt enim quotidiana experientia, quod Hipocrates docuit 1. epid. ſect. 2. coctiones celeritatem judicii, ſalutiſque ſecuritatem oſtendere, cruda verò, & incocta, & in malos abſceſſus converſa, vel ſublationem criſeos, vel dolores, diuturnitatem, recidivas, aut mortem. Primùm igitur, quid ſit coctio materiæ morboſæ breviter præmittere operæ pretium eſt. Duplex enim coctionis genus Hipocrates diſtinguit, alterum *pepſis* dicitur, ſeù alimentorum concoctio [chiloſis videlicet, hematoſis, & ultima digeſtio] alterum *Pepaſmos*, cujus nomine venit coctio illa, qua ſubiguntur humores præter naturam deletis eorum qualitatibus noxiis, quarum ratione crudi appellabantur; & hæc ſanè proportione reſpondet coctioni primi generis,

ut Ariſtoteles etiam innuit 4. metheororum; *eſtque reductio materiæ morboſæ ad ſimilitudinem qualitatum naturalium*, ita ut ſaltem non obſtet ipſi naturæ ſecernenti, ſed ab eadem poſſit abſque ullá noxa eliminari. Quoniam verò materia morboſa per eaſdem vias evacuatur, per quas naturaliter excretiones fiunt (exceptis abſceſſibus ſuo loco adnotandis) opportet in primis qualitates naturales omnium excrementorum perſpectas habere, atque ad ipſas humorum in morbis evacuationes comparare, ut veluti ex recto obliquum, omnia, quæ in his contingunt mala, diſcernamus. Notiſſimum eſt alvi ægeſtiones naturales, conſiſtentiam, & moderatam bilis tincturam, humiditatem, ac levitatem congruam habere; urinam quoque in ſtatu naturali moderatè tinctam, nec valde tenuem, nec valdè craſſam eſſe, ac ſedimentum item ipſius, omneſque pariter excretiones glandularum haſce habere tres qualitates albedinis, levitatis, & æqualitatis, quæ oſtendunt calore nativo prævalente permixtas, commoderatas, & omninò digeſtas eſſe minimas particulas excreta iſta componentes.

His poſitis manifeſtiſſimè patet ex lege contrariorum quaslibet evacuationes in morbis vel fluidas, ac tenues, vel nimium ſiccas, vel meracas, impermixtas, vel quibuslibet qualitatibus præter naturam affectas, generatim crudas, & incoctas ab Hipocrate appellari eò quia hæ naturalis caloris actione prævalente non digeruntur, & permiſcentur; Cumque has omnes, & ſingulas qualitates præter naturam in excretis omnibus, & ſingulis idem diligentia mirabili adnotaverit in coacis, in prorrecticis, in prognoſticis, & alibi, ejuſque optimi Commentatores fusè, ac luculenter ejus doctrinam expoſuerint; brevitatis, & inſtituti ratio non permittit ſingillatim de his agere, ſed ſatis eſt pauca magis adnotatu digna reminiſci; & in primis tantò deteriorem eſſe alvi egeſtionem; *quantum colore magis horrenda eſt*, ex coacis; idque eadem ratione intelligendum venit etiam in vomitibus porraceis, lividis, nigris, ut idem Hipocrates citatis locis docet; pariterque in urinis, & aliis excretionibus.

Porrò circa urinas adnotandum eſt, quod albæ, & pellucidæ ſemper ſunt malæ, ac in acutis nedum quia crudæ, ſed quia Metaſtaſim ad caput minantur; præſertim verò *decolores nigra innatantia in medio habentes cum vigiliis, ac turbatione mentis, phrenitidem ſignificant* ex coacis; contraria verò ratione malæ ſunt craſſæ, & confuſæ; nam Hipocrates inquit: *quibus in febribus urinæ conturbatæ ſunt veluti jumentorum his dolor capitis aut adeſt, aut aderit*; & Author 7. epidem. poſt caſum deſcriptum Evalgidæ Famulæ, quæ cum hujuſmodi urinarum ſigno interiit phrenitica, ſubdit: ſignum eſt doloris capitis, convulſionis, & mortis; nec deſunt exempla in libris genuinis Hipocratis, ægrotantium, qui cum hiſce urinis convulſi, ac delirantes interierunt,

terierunt, ut in Thaſo uxori Phillini contigit; ratio eſt, quia multitudinem confuſorum humorum ſignificat, & arctam eorumdem cohæſionem præter naturam; quare in molli cerebri ſubſtantia cædente, vaſa capillaria facilimè ab iis infarciuntur, diſtenduntur, & inflamantur. Cætera de urinis, earumque ſubſtantia colore, & contentis vide apud Authores fusè conſcripta, & præſertim apud celeberrimum Laurentium Bellini.

Hoc tamen ſubiicere non abſre eſt: urinarum excretiones vitiatas in febribus acutis quandoque ſignificare non pura ſimpthomata, ſed morbos cum iiſdem febribus complicatos, non dico morbos particulares in urinæ viis, ſed morbos ab eadem cauſa interna febrium acutarum [cum quibus complicantur] dependentes; & quia præciſa febris acuta, priuſquam videlicet inflammationem, aliumve morbum in ſolido pariat, morbus in fluido eſt, ut ex pathologia conſtat, ac in pyretologia inferius apponenda manifeſtiſſimum fiet, cauſa igitur, quæ hunc producit, ſivè (quod idem eſt) quæ ſpiritus agitat, eadem ratione per varios motus morboſos eorumdem poteſt lædere actiones organorum, quibus urina educitur; undè quandoque urinæ ſuppreſſio convulſoria oritur, de qua Hipocrates loquitur in coacis; tum viciſſim copioſa, & craſſa, ut in Sileno, qui, poſtquam bis urinas habuerit ſuppreſſas, copioſa minſit affatim; craſſumque erat, quod ſubſiderat, ad inſtar farinæ craſſioris album; quandoque paucæ, ac tenues minguntur, ut in Dromeade coniuge: Adoleſcente Melibeæ: Eurinactis filia: Muliere, quæ apud Tiſafernum, & Muliere, quæ apud Pantimedem decumbebat. Urinæ autem colliquativæ ſimpthomata quidem ſunt, ſed propria morbi quatenus retentricem actionem primariò lædit, ſuntque proxima ſigna pathognomonica læſam iſtam actionem oſtendentia, ut in diabete urina decolor valdè copioſa contentiſque carens; itemque in acutis urinæ proventus, quo non allevatur æger, certò ſignificans tunc excerni, quod excernendum non erat, ut contigit mulieri, quæ decumbebat in mendacium foro.

Similiter diſcurras de ſudoribus copioſis in principio; ut Hipocrates in porecticis docet, inquiens: *Sudor multus cum febribus acutis oboriens malus*; quando nimirum erumpit ſtatim in principio acutæ febris, & exempla quidem funeſta ſunt in epidemiis. Nihilominus memini, opportunis in principio venæ ſectionibus largis, vel ipſo erumpente ſudore factis, & pro tolleratione repetitis, liberatos ægros. Contrà nuper accerſitus ſeptima die morbi acuti ad conſulendum pro Nobili Cive Franciſco Maria Granara Sereniſſimæ Reipublicæ Secretario, valdè plectorico, vidi cum urinis crudis, & copioſis eadem die critica ſudores vehementes, & veloces, & copioſos valdè

per

per totum abortos, criſi funeſta ægrum de medio tuliſſe. Nam perſeverante ſemper poſt ſudorem eadem febris acutie, ſanguis, qui miſſus fuit ad uncias octo, lentus admodum, impar fuit plectoræ inſigni tollendæ, cui ſatis proviſum non fuerat in principio per unius libræ ſanguinis miſſionem, & decima die inflammatus æger obiit.

CAPUT V.

De Aſpectu ægrotantium.

MEdicus neceſſariis diſciplinis inſtructus, & in ſemeiotice verſatus, accedens ad infirmum primo ſtatim obtutu diſcernit habitum corporis, temperamentum, plenitudinem, aut cacochimiam juxtà ea, quæ in pathologia de his innui; tum exactè obſervans quæcumque obſervanda ſunt, ac diligenti examine commemorans ægri ſtatum naturalem, cauſaſque antecedentes, conſiderat actiones naturales, vitales, atque animales, earumque receſſum, vel magnum, vel parvum a ſtatu naturali, & qualitates itidem mutatas, quæ unà ſimul cum actionibus læſis, a lædente morbo proficiſcuntur.

Potiſſimùm autem inquirere debet quomodò ſe habeat æger ad ea, quæ offeruntur, an dormiat, an concoquat, an ritè excernat, quæ excernenda ſunt, an verò malè juxtà ſigna præcedentis capitis; eodemque tempore celeriter obſervare actiones vitales, de quibus primum ægi, earumque læſiones diſcernere, tactui, & aſpectui per pulſum, & reſpirationem, ſtatim obvias.

Porrò & naturales, & animales multiplicibus phænomenis læſæ, aſpectui, aliiſque ſenſibus manifeſtæ fiunt, ſi accuratè inſpiciamus faciem, ejuſque partes, & univerſam cutim, omniaque ad ipſam erumpentia, ut peticulas, aliaque id genus; ac intereà motum, quietem, omniaque ad hæc pertinentia, ut ex capite 3. nec non tenſionem, aut laxitatem, aliaſque univerſi corporis notas, nedum viſu, ſed tactu etiam, aliiſque ſenſibus exploremus.

In primis itaque, ut Hipocrates docet, faciem ægri contemplemur: quantum diſtet a ſanorum, ſimili, & maximè a ſe ipſa, incipiendo a coloris obſervatione; color enim externus, qui admodum in facie micat, prout bonus, vel malus eſt, bonam, vel malam ſuccorum naturam oſtendit, utpotè qui ab horum proba, vel improba perſpiratione dependet.

Naturalis perſpiratio faciei colorem in ſtatu ſanitatis conſtituens, vivida eſt, atque color proindè fulgidus emicat magis, vel minus rubicundus pro varietate naturalis temperiei, nam qui calidi, & humidi,

di, magis rubicundi ſunt, atque florentes, qui minùs, minùs; qui ad frigidam, & humidam intemperiem vergunt, magis dilutum colorem præſeferunt, mollemque cutem; frigidi, & ſicci colorem ſubfuſcum præſeferunt; calidi, & ſicci colore quidem vividiore micant, quam frigidi, & ſicci, minùs tamen, quam calidi, & humidi, cutemque aliquantulum ſiccam habent, atque vaſa in cute apparentia magis ampla propter minorem humidi, aut etiam pinguedinis copiam, quæ premi ſolent. Contra verò in calidis, & humidis, qui pingues quoque ſunt, vaſa pinguedine compreſſa non admodum ampla ſunt.

His itaque circa nativum colorem ſanorum adnotatis, ægrotantium colorem animadvertere ſubeſt, ac in primis magis florentem, quam in ſtatu naturali, ſignificat enim ſanguinem in capite ſubſidere, præſertim ſi alia ſigna id confirment, ſic Hipocrates in prorecticis, & in coacis inquit: *Faciei bonus color, & torvitas malum eſt*. Subditque in coacis: *Frontis ex his contractio phrenitidis ſignum eſt*. Roſeus quoque genarum color in peripneumonia malus eſt ob eandem rationem, prohibito enim ſanguinis influxu in vaſa pulmonaria ob inflammationem obſtructa, ut optimè adnotat Celeberrimus Bellini, ſiſtitur intra venæ cavæ ramos per faciem excurrentes; cumque maximè tenuis, & liber ſit a partibus craſſioribus, ab inflammatione detentis, roſeum illum colorem in genis præſefert; peſſimus autem hic eſt, ſi liquida per alvum ægeſtio ſuperveniat, nam abſumpto per hanc humido impacta magis relinquitur inflammationis materia, ideòque Hipocrates in coacis inquit. Faciei flores cum alvo liquidiore ſuppurationes circa pulmonem ſignificare; nedum autem in peripneumonia, ſed etiam in pronis ad phtiſim flores iſti mali ſunt, ac tuberculum ſimili ratione minantur.

Contra verò, qui bonum colorem in alienum mutaverint, jam per hoc oſtendunt humorum perſpirationem a naturali recedentem; ſic tincti flavo colore morbo regio laborare dicuntur ex vitiata bilis ſecretione, & qui cum febre acuta colorem habent ad flavum accedentem, tametſi non ſint icterici de inflammatione jecinoris ſuſpicionem exhibent, quam certò confirmat dolor, vel tumor in ejus regione per tactum exploratus. Pari ratione quando ſuperfluitates ſanguinis non ſecernuntur in aliis glandulis, aut quando vitioſa fit perſpiratio, color ex impuro ſanguine ſuboritur affectionem illius præſeferens, ut in fœdis Virginum coloribus, in cachexia, hydrope, cæteriſque hujuſmodi morbis videre eſt. In acutis autem febribus decolor facies obſervanda eſt antequam alia ſigna Hipocratis læthalia mox adnotanda inſurgant. In pregnantibus febre acuta correptis, ſi poſt partum ſtatim decolor facies appareat, mors brevi expectanda eſt, ut obſervavi; nam ſubita illa mutatio clarè oſtendit ſpiritus confeſtim exhauſtos

ſtos

ſtos eſſe prævalente poſt puerperium vi morbi, quæ debiles enixas citò perimit.

Tandem faciei contemplatio Hipocratis in morbis acutis adnotanda eſt, in qua nedum color conſideratur, ſed & omne id, quod ex improba perſpiratione dependet, quodque maximum a naturali faciei ſtatu receſſum oſtendit; hæc autem eſt faciei contemplatio Hipocratica in prognoſticis: Nares acutæ, oculi concavi, collapſa tempora, frigidæ aures, atque contractæ, & extremitates aurium averſæ, & cutis circa frontem dura, & circumtenſa, & arida; & color totius faciei pallidus, aut etiam niger, lividus, aut plumbeus; idem repetit in coacis, ubi etiam monet hujuſmodi corruptionem faciei minus læthalem eſſe: ſi propter vigiliam, aut famem, aut alvi exturbationem fiat, & ſi id, quod propter hæc corruptum eſt, moderetur per noctem, ac diem. Subdit autem: *liveſcens verò ex his palpebra, aut labium, aut naſus brevi læthale eſt.* Iſta enim omnia phænomena evidenter oſtendunt conſumptionem ſpirituum, & ſucci nutritii ab acutie morbi pendentem; aures inſuper frigidæ, atque contractæ, cutis dura, liveſcens palpebra, humidi & caloris vitalis exolutionem, convulſionem, proximamque mortem demonſtrant.

Alia item ſigna, & in univerſa facie, & in corpore, & in oculis conſiderare præcipit Hipocrates in prognoſticis. *Si enim, inquit, oculi lucem fugiant, aut involuntariè lacrimentur, aut diſtorquantur, aut altero alter minor fiat*, aut albas partes rubentes habeant, aut ſordes circa oculos appareant, aut etiam inſtabiles, aut eminentes, aut cavi vehementer facti, aut ſquallentes, & obſcuri fuerint, aut color totius faciei alteratus fuerit, hæc omnia mala, & perniciosa eſſe putandum eſt; ſubditque: *Conſiderare* convenit etiam oculorum ſubapparitiones in ſomno; *ſi enim albæ quid partis ſubapparuerit, palpebris non commiſſis, ſi id non ex alvi profluvio, aut medicamenti potione factum fuerit, aut æger non ità dormire conſueverit, malum ſignum, & valdè læthale eſt.* Hujuſmodi enim phænomena inanitionem, convulſionem, & mortem clarè ſignificant, ſiquidem ab acutie morbi, & cauſa interna dependeant, ut Hipocrates advertit, quando autem ità diſtorquentur oculi, ut Strabones fiant, valdè perſpicua, & valdè læthalis convulſio eſt.

Prætereà qualitates tactiles nedum in facie, ſed in corpore univerſo explorandæ ſunt: ſic in prognoſticis inquit Hipocrates: *Optimum verò eſt & totum corpus æqualiter calidum eſſe, ac molle.* Contra: *in febribus circa ventrem æſtus vehemens, & cordis [ſivè oris ventriculi] morſus malum* aph. 65. ſect. 4. enim verò ubi major ſentitur calor, durities, dolor, ſqualior, ſemper ibi morbus potiſſimum viget. *Caput autem, & manus, & pedes ſi frigida ſint, malum eſt,*

ubi

ubi & venter, *& latera calida ſunt*. In prognoſticis. Frigus quoque externarum partium cum ſiti, & ardore interno læthale eſt juxtà aphoriſmum 48. ſect. 4., atque ex aph. 1. ſect. 7. *In morbis acutis frigus partium extremarum malum*, quæ omnia fusè ab Expoſitoribus explicantur, & ultrò patent.

Rursùs in obſervatione faciei aſpicienda, & exploranda quoque tactu eſt lingua, & videndum an mollis, & naturali ſimilis, an verò craſſis ſuccis tumens, & an ſicca, & aſpera, ſcrabra, ſciſſa, & an colore alieno tincta, hæc enim phænomena evidenter oſtendunt analogam liquidorum affectionem. *Periculoſiſſima autem eſt nigra*, *& cum virore pallida* in coacis, quando nimirùm acutus eſt morbus, celerem verò ſignificat mortem, lingua nigra, & unà ſimul tremula ex Hipocrate in coacis. Intereà dentes etiam inſpiciendi ſunt, nam ex aph. 13. ſect. 4. *quibus circa dentes viſcoſa adhærent*, *bis fortiores febres ſunt* oſtendente hujuſmodi lentore ſicco vim febrilis caloris abſumentis humidum. *Perniciosum eſt autem reſiccari dentes*, in coacis horum enim, qui ſemper in ſtatu naturali madeant, ſiccitas, humidi conſumptionem demonſtrat: Dùm hæc obſervantur, vocem quoque, interrogando ægrotantes auditu diſcernere oportet, acuta enim plantum referens cum oculorum obſcuratione, convulſionem ſignificat ex Hip. in coacis, immò ipſa ſola vox acuta, quæ actione muſculorum laringem attollentium fieri ſolet, involuntariam iſtam contractionem muſculorum in acutis convulſivam eſſe demonſtrat. Similiter dicas de aphonia in acutis, quæ, ut in hiſtericis citrà periculum ab affectione convulſiva fit, ſic in acutis veram, & plerùmque læthalem convulſionem oſtendit.

Quod verò ad motum, & quietem attinet, decubitum ægri ſtatim in primis viſitationibus obſervare debet Medicus, & quando unà ſimul pulſum tangit brachium ejuſdem attollere, ac exindè ſuſpenſum relinquere, videndo anne ſic maneat, an verò ſtatim pondere ſuo decidat, quod peſſimum omen eſſe innui capite 3., docente Hipocrate gravitatem totius corporis, manuum item, ac pedum peſtiferam eſſe.

Decumbentem ægrum [inquit Magiſter in prognoſticis] benè eſt deprehendere in latus dexterum, aut ſiniſtrum, & manus, & collum, & crura modicè inflexa habentem, & totum corpus molliter jacens, vel [ut alius interpres ait] flexibile ſitum; ità enim plurimi ex ſanis decumbunt, *optimi autem ſunt decubitus ſanorum ſimiles*, nam clarè oſtendunt naturæ robur. Contrà verò *ſupinum jacere*, *& manus*, *& collum*, *& crura extenſa habere* ſignum eſt evidens gravaminis, & valdè læſæ virtutis motricis ab acutie morbi. *Si verò etiam pronus fiat*, *& de lecto pedes delabantur*, *magis horrendum eſt*. Et ſi nudos

quoque pedes habere comperiatur, nec admodum calidos, & manus, & collum, atque crura inæqualiter diſtenta, ac nuda malum eſt, *anxietatem enim ſignificat*. Rursùsque ait Præceptor: *in ventrem decumbere, ſi quis non ſit aſſuetus, delirium ſignificat, aut dolorem loculorum circà ventrem*. Cæterùm ſi decumbens æger, ſe ſe erigat, vel erigere conetur in peripneumonia quidem peſſimum eſt, ſed in aliis quoque morbis acutis malum; in peripneumonia enim conatum naturæ ad inſpirandum aerem oſtendit, maximamque proindè inflammationis oppreſſionem; in aliis verò acutis delirium. Sic Hollerius ſuper coaces Hipocratis ait decubitum illum, quo ſe ſe ad margines lecti provolvunt ægri, & excludunt primum pedes, deindè corpus erigunt, & ſurgere conantur funeſtum ſignum eſſe, ac teſtatur ſe hoc ſigno neminem vidiſſe ſanatum. Alia quoque ſigna exitialia ſunt ſi decumbens manus erigat ante oculos, illaſque moveat, ut qui venantur muſcas, itemque imaginarios floccos e veſtibus evellere, aut feſtucas tollere videatur. Hæc Hipocrates in prognoſticis, & coacis docet circà decubitum; quæ ſanè unà cum omnibus aliis hactenùs expoſitis, diligenter inſpicienda ſunt, ut præciſam, & certam habeat ægritudinum ideam diſtinctione ſignorum comparandam.

CAPUT VI.

Præſagia, & Prognoſtica.

Signa morbi magni, vel parvi: acuti, vel cronici: maligni, vel benigni: ſalutaris, vel læthalis, ex ſuperioribus, & ex antecedente capite luculenter diſcernuntur. Prætereà cronici quidam morbi, aut maligni, aut alio de nomine læthales, evidenter ſenſibus ipſis deprehenduntur, ut cancer, ulcera phagedenica, diabetes, hectica pulmonaris, & hujuſmodi. Acuti autem omnes, eorumque præfatæ differentiæ clarè diſtinguuntur ex vehementi læſione plurium actionum ſuperioribus capitibus expoſitarum, & maligni etiam proprium habent ſignum pathognomonicum: vehementem ſcilicet actionum læſionem ſub ſpecie benignæ febris, horumque generalem prognoſim vel læthalem, vel ſalutarem inferiùs recenſebo. Quoniam verò antequam producantur morbi, diſpoſitiones morboſæ ſigna exhibent, per quæ illos antecedenter præſagire poſſumus, itemque in principiis jam productorum morborum, phænomena, quæ tunc leviora ſunt, alia in progreſſu epiphenomena graviora, pro ægrotantis diſpoſitione, atque cauſarum vi, accerſire poſſunt; operæ pretium eſt in primis adnotare præſagia ex antecedentibus, quæ ad morbos producendos

dos concurrere poſſunt, deinde in principiis morborum jam productorum præſagire quæcumque ſupervenire ſolent, in quem finem exactè utrobique reſpicienda ſunt ſigna omnia commemorativa, & demonſtrativa, ceù prima duo genera ſignorum, undè tertium quoque genus elicimus, tum & præſagiorum, quæ futuros morbos reſpiciunt, quæque item epiphænomena in morbis jam productis præmonſtrant, tum denique prognoſticorum, quæ morbi futurum eventum, modum eventus, ac tempus eventus portendunt.

Age itaque præſagia iſta generatim perſtringamus. Hæ fiunt primò reſpiciendo diſpoſitiones tum hæreditarias, tum proprias, atque hæreditarias quidem in cronicis potiſſimùm affectionibus, ut ortum à Parentibus affecta parte aliqua laborantibus, puta pthyſicis, podagricis, & hujuſmodi; proprias item, ut habitum corporis, ac temperamentum, ſic pthyſim portendunt ſpatulæ alatæ, pectus anguſtum, collum oblongum, totius corporis macies, rara textura cutis, quæ facilè ab aeris mutationibus rheumaticas affectiones contrahere apta eſt. Contraria ratione diſcurras de habitibus denſis ad alios morbos proclivibus, nec non de variis temperamentorum diſpoſitionibus, ut ex pathologia generali luculenter conſtat, & ad iſtas reduc etiam eas, quæ a vario vitæ genere proficiſcuntur diſpoſitiones; In acutis verò affectionibus præſagiendis animadvertere prætereà debemus plenitudinem, & cacochimiam, quarum ſigna demonſtrativa vel nudis oculis patent, nam ubi cauſæ externæ mox adnotandæ concurrunt, cauſæ internæ morborum acutorum evadunt. Secundò, præſagia futurorum morborum fiunt rememorando vitæ genus, cauſaſque alias externas fusè in pathologia expoſitas, inter quas potiſſima eſt aer. Tametſi verò magnæ mutationes temporum, quas Hipocrates 3. aphoriſmorum adnotat, non ſemper morbos epidemicos pariant, ſemper tamen ſporadicos hujus, vel illius generis pro varia corporum diſpoſitione producunt, quos ideò præſagire tutò poſſumus reſpiciendo tum ſigna paulò ſuperiùs adnotata, quæ hanc, vel illam demonſtrant in corporibus diſpoſitionem, tum commemorativa iſta cauſarum externarum, & prætereà obſervationem Archigenis eorum, qui vagantur, morborum; ubi præſertim aeris vitia eò devenerunt, ut epidemicas conſtitutiones pariant, ut in pathologia expoſui. Atque hæc generatim de præſagiis futurorum morborum innuiſſe ſufficiat.

In morbis verò jam præſentibus, quorum ideã ex propriis ſignis tum diagnoſticis, tum rememorativis cauſarũ habemus, prǽſagia epiphænomenon, quæ ſuperiùs adnotavi, & quæcumque alia generatim deducuntur tum ex ſyndrome læſarum actionum omnium, quas ſuperioribus capitibus expoſui, tum ex præcedentibus diſpoſitionibus ægro-

tantium diligenter perſpectis nedum in toto corpore, ſed etiam in ſingulis partibus, nam ſi quæ pars ante morbum doluerit in ea morbus firmatur. Potiſſimum autem epiphænomenon præſagia in acutis fieri ſolent, nam quæ in cronicis ſuperveniunt [ut ex ſanguinis ſputo puris ſputum, & ſimilia] ſatis obvia ſunt, atque in prognoſi generali futuri eventus eorumdem comprehenduntur. In acutis itaque obſervata in primis ſyndrome cauſarum, & læſarum actionum vitalium, ut ex primo, & ſecundo capite, animalium, ut ex tertio, naturalium, ut ex quarto [undè habemus potiſſimum adnotanda ſigna in excretis] perſpecto diligenter aſpectu ægrotantium, ut ex quinto, & concepta jam ex his omnibus idea morbi, ſtatim commemorare debemus diſpoſitiones præcedentes, ut innui, ubi enim diſpoſitio major adeſt ad concipiendam morbi vim, ibi vel imminentia, vel facilè ſuperventura epiphænomena prævidere neceſſe eſt. Sic in iis, qui capitis dolori obnoxii ante morbum erant præſente jam febre acuta, vel delirium, vel lethargum, vel alios capitis morbos pro variis temperamenti, habituſque corporis diſpoſitionibus prævidere debemus, nedum incunte morbo, quando præfata ſyndrome jam imminentia iſta epiphænomena indigitat, ſed & in principio, ſaltem ut poſſibilia. Eadem ratione diſcurras ubi tenſio doloroſa partis cujuslibet in principio febris acutæ percipitur, ibi enim facilè ſuperventuram inflammationem, vel ſaltem ſupervenire poſſe prævidendum eſt, ut citò ad præſervativa remedia confugiamus.

Prognoſtica tandem eadem omninò methodo iiſdemque ſignis perſpectis ſiunt, nec alia ratione a præfatis diſcrepant præſagiis, niſi quatenùs hæc finalem morbi *eventum*, *modum eventus*, *ac tempus eventus* reſpiciunt. Et in primis futurum eventum eadem ſigna indigitant, quæ identidem in antecedentibus capitibus expoſita ſunt, eademque ſyndrome. Hic adnotare ſubeſt Hipocratis contextum in prognoſticis editum, & in coacis repetitum, quo [tametſi de peripneumonia peculiariter loquatur] generalem futuri eventus boni, vel mali doctrinam identidem traditam, optimè perſtringit. Sunt autem (inquit) ſigna bona hæc: facilè ferre morbum; benè ſpirare; a dolore liberum eſſe; ſputum facilè tuſſiendo reiicere; corpus æqualiter calidum, & molle apparere; ſitim non habere; urinas, & alvi ægeſtiones, & ſomnos, & ſudores bonos eſſe, veluti deſcriptum eſt [videlicet in aliis prognoſticorum contextibus, & alibi] tum paucis interiectis: mala ſigna [ſubdit] his contraria ſunt: ægrè ferre morbum; ſpiritum magnum, ac denſum eſſe; dolorem non ſedari; ſputum vix tuſſiendo reiicere; valdè ſitire, corpus inæqualiter a febre teneri; ventrem, & coſtas fortiter incaleſcere, frontem verò, & manus, & pedes frigidos eſſe; urinas autem, & alvi ægeſtiones, &

ſomnos,

ſomnos, & ſudores, veluti deſcriptum eſt, malè habentes. Quia verò bonis in principio ſignis apparentibus mala ineunte morbo ſupervenire poſſunt, ubi vitæ genus, & cauſæ externæ prægreſſæ, aeriſque magnæ mutationes internam cauſam antecedentem ad eum evexerunt gradum, ut in augmento morbi exerere ſuam vim ſupra naturæ vires poſſit, in habitibus præſertim plenis, & corporibus ad alia ſanguinis vitia quomodocumque proclivibus, iſtas omnes diſpoſitiones ægrotantis prudens Medicus diligenter inſpicere debet, cauſaſque illas externas, & obſervationem Archigenis commemorare, ut in principio naturæ vires tutò levet, cauſamque illas oppreſſuras cautiſſimè tollat; Sic enim ſalutaris morbi fœlicem eventum, quem ſigna illa bona promittunt prænunciare tutiùs poterit.

Modos, quibus morbi deſinunt, ac terminantur ad ſalutem, vel ad mortem ultimo capite pathologiæ recenſui. Et criſes equidem ſalutares in acutis, præter commune ſignum præcedentis coctionis, habent ſua ſigna propria. Sudores, qui teſte Galeno 3. de criſibus cap. 3. febrium omnium plerumque termini ſunt, ſigna ſua prælucentia exhibent, ægri nimirùm diſpoſitiones præcognitas, & commemoratas, quæ ſunt: rarus corporis habitus, temperamentum calidum, & humidum, ſudandi conſuetudo, juventus, aut virilitas, conſtitutio temporis, quam Hipocrates 3. aphoriſmorum 6. innuit, & [in aliis quoque conſtitutionibus] circumſpectio Archigenis ad ea, quæ vagantur, tum epiphænomena, quæ Galenus recenſet loco citato cap. 11. alvi nimirùm, aut urinæ, aut utriuſque ſuppreſſio, & rigor præcedens, quando cum ſignis coctionis advenit mitis, & abſque violenta irritatione, alia etiam a Galeno adnotantur ante ſudorem, pulſus videlicet altus, undoſus, inſigniter mollis, calor cutis cum vapore coniunctus, nec non rubor inſuetus in facie. Boni autem ſudores calidi ſunt, & ſatis copioſi, nil enim modicum criticum; ideòque ephidroſes in acutis malæ ſemper ſunt ſignificantes irritum oppreſſæ naturæ conatum, præthereà boni ſudores (ut inquit Hipocrates in prognoſticis) *per guttas fiunt, & evaporant*, hæ ſiquidem notæ ſunt ſudoris naturalis, & concocti; diebus autem criticis fiunt in toto corpore, ac tunc optimi ſunt, *qui febrem perfectè iudicant*. Boni verò: *qui hominem faciliùs morbum ferre faciunt*. Horum omnium exempla ſunt: in Methone, Cleomatide, Cherione, Pericle, Nicodemo, aliiſque in epidemiis.

Per urinas etiam febres iudicantur, quando ſigna iſta, & ægri diſpoſitiones ad ſudorem non adſunt, ut in habitibus corporis denſis, & in iis omnibus, qui ſudare non conſueverunt, & expectandæ quidem urinæ ſunt, ſi nedum ſudoris, ſed aliarum criſium ſigna deſint.

Per alvum, & vomitum ſalutares criſes in febribus rariſſimè contingunt, quandoque tamen in hypocondriacis tales fieri poſſunt, ubi

ſigna

ſigna coctionis adſunt. Alvi fluxus futuri tunc ſigna ſunt: ructus, flatus, crepitus ventris, & abſentia ſignorum, quæ alias criſes prænunciant, ut Hipocrates in coacis, & ſect. 4. aph. 73. innuit. Reſpicere autem oportet ſigna etiam commemorativa, præcedentes videlicet diſpoſitiones ægrotantis, ſuntq; habitus corporis denſus, vitæ genus, conſuetudo, & alia hujuſmodi, quibus antecedenter alvus lubrica in ſtatu naturali conſtituebatur.

Vomitum ſimiliter prænunciare ſolent commemoratæ hujuſmodi ad ipſum diſpoſitiones, tum ſuperveniens nauſea, morſus oris ventriculi, frequentes jactationes corporis, crebræ ſalivationes, frigus hypocondriorum, & inferioris labii tremor, quo ſolo jam jam inſtans vomitus cognoſcitur. Morbus verò, qui per vomitum ſpontaneum ſæpè ſolvitur, eſt alvi fluxus ex Hipocrate in aphoriſmis: viceverſa Diſpepſia per ſpontaneum alvi fluxum terminatur.

Aliæ autem evacuationes per quas terminatur morbus; ut hemorragia in febribus, itemque ſaliva critica recenſentur lata ſignificatione inter abſceſſus, inquit enim Hipocrates 2. epidem. ſect. 1. optimos eſſe abſceſſus, qui per effluxionem fiunt, ſicut eſt ſanguis e naribus &c., de his verò inferiùs.

Tempus, quo ſolvitur morbus acutus varium eſt pro acutiei gradu vario, nam exactè peracutus quarta die, peracutus ſeptima, ſimpliciter acutus decimaquarta, vel vigeſima, ut ex pathologicis conſtat, idque in ſalutaribus prænunciant ſigna coctionis antecedente die indicæ apparentia; & ſiquidem appareant in principiis febrium, cum aliis ſignis ſecuriſſimis pulſus reſpirationis, & animalium actionum, quarta die, vel citiùs febres deſinunt, in læthalibus verò ſigna oppoſita in principio apparentia quarta die, vel citiùs futuram mortem portendunt, ut etiam in prognoſticis Hipocrates docet, inquiens: febres maligniſſimæ, ac ſignis horrendiſſimis ſtipatæ quarta die, vel citiùs occidunt. Cronici verò morbi non per criſim, ſed per lyſim terminari ſolent longo ſemper tempore, aut ad ſalutem ſi curationem admittant, aut ad mortem, qui a læſione viſcerum inſuperabili dependent, ut pthiſis, & hujuſmodi; magis autem, vel minùs longo tempore utrique finiuntur pro varia ægrotantium diſpoſitione, ac reſiſtentia.

Præterea in acutis adnotanda ſunt, quæ poſt criſim ſubſequuntur *ſigna futuræ recidivæ*, ſi nimirùm ſigna cruditatis, quæ ante criſim apparuerant, poſt criſim redeant, *& alia ſigna non ſecundum rationem eveniant*, tum ſi febre deſinente adhuc vigiliæ infeſtent, aut ſomni turbolenti, aut corporis languor, aut dolores cujuſcumque membri, ſed & faciem ægrotantis poſt morbi ſolutionem inſpicere oportet; nam ſi ad naturalem non accedat, ſed potiùs perſeveret morboſis perſpirationibus fædata, vel decolor, cum intumeſcentia palpebrarum

rum inferiorum, ſignum habemus aut recidivæ, aut alius imminentis morbi, tunc enim facies clarè oſtendit morbificæ cauſæ reliquias, quæ aut morbum eundem iterare poſſint, aut alicubi alium producere morbum, ubi diſpoſitio particularis adeſt. Signa verò commemorativa (ut identidem innui) reſpicere debemus, & præſertim diſpoſitiones antecedentes ægrotantis, nam, qui debilis eſt, vel a paucis offendi aſſuetus, & antea in aliis morbis ad recidivas proclivis, faciliùs relabitur. Circumſpicienda eſt inſuper conſtitutio temporis, anne morbos ferat, qui ad recidivas tendant.

Tandem ſigna omnium, quæ innui ſuperiùs abſceſſuum, breviter hic recenſenda ſunt; primum autem in morbis pectoris anacatharſis evidentia exhibet ſigna vel læthalia, vel ſalutaria, læthalia quidem, ſi ſputa vel cruda, & malis qualitatibus affecta ſint, vel difficulter expurgentur, vel omninò ſupprimantur, ſalutaria verò ſi prævalente natura facilè purgentur, & coctionem citò aquirant. Porrò in aliis febribus acutis hæmorragiæ ſigna ſalutaria tradidit Hipocrates in coacis, & prognoſticis, & hæc potiſſimùm præcedere ſolent: Colli dolor: temporum gravitas: caligo vertiginoſa, præcordiorum diſtenſio ſine dolore: rubor faciei: viſus hebetudo: dolor capitis; hæc enim epiphænomena unà ſimul demonſtrant propagines minimas carotidum circa nares diſtributarum a ſanguinis impetu diſtendi, & hac de cauſa hæmorragiam facilè superventuram. Præterea in hiſce caſibus antecedit non raro difficultas ſpirandi circa diem criticum, quæ naturæ conatum ad ejuſmodi evacuationem oſtendit, præſertim ſi rubor oculorũ, lucis averſatio, & naſi pruritus adſit, quæ omnia clarè ſignificant ſanguinis impetum ad illas partes; ſolent etiam ſtillæ ſanguinis in die indice apparere, cum bonis tamen ſalutaris morbi ſignis, nam alioquin oppreſſæ naturæ irritum conatum ſignificant, ut de ſudatiuncula dictum eſt ſuperiùs, & exempla ſunt in epidemiis.

Ad abſceſſus etiam lata ſignificatione acceptos reducitur ſalivæ proventus criticus, qui tametſi rarus admodum ſit: quandoque tamen (in melancholicis præſertim) obſervatur; hujus ſigna ex commemoratione temperamenti, diſpoſitionis, & conſuetudinis ægroti, tum ab abſentia ſignorum alias criſes præcedentium petenda ſunt, quibus ita ſe habentibus, ubi die indice apparet ſaliva copioſior, hanc facilè futuram criticam prædicere poſſumus.

Signa verò futuri abſceſſus magis propriè ſumpti, ceù decubitus humorum in glandulis Hipocrates tradidit 4. aphoriſmorum 31. 32. 44., tum in prognoſticis, coacis, & epidemiis. Potiſſima verò ſunt: diuturnitas febris continuò affligentis abſque ſignis ullius criſeos, ut ex citato aph. 44., nam infarctus materiæ morboſæ per criticas evacuationes non expurgatæ, continuò permanens in ſanguine minùs fluxilem ipſum reddit, ſeù [quod idem eſt] magis aptum ad ſubſiſten-

dum

dum in minimis vaſis ſanguineis glandularum, aliarumque partium, ut ex pathologicis patet, eaque ideò vaſcula per ſubſiſtentem ſanguinem jam dilatata, per continuum tandem apulſum ſuccedentis ſanguinis minùs fluxilis ex hypotheſi,& hoc de nomine minùs ad circulandū diſpoſiti,diſtrahuntur adeò, ut vis contractionis eorumdem ſuperetur, nec proindè ſanguis herens in motum urgeri poſſit, ſed ibidem decumbens, tumorem conſtituat, exiliaque vaſa tandem diſrumpat, & abſcedet. In parte verò magis debili abſceſſus fiunt, quia minùs reſiſtit, ut ex pronunciato 2. phyſicorum, aut in parte jam antea magis diſpoſita, ut ex citato aphoriſmo. Ibi enim faciliùs materia morboſa decumbit ob eamdem rationem.

Obſervationes circà abſceſſus.

Quod Hipocrates 4. aphoriſm. 74. innuit hæmorragiam videlicet brevi ſolvere abſceſſum, etiam vidi id efficere ſanguinis miſſionem, & quemadmodum parotides jam eruptæ ſanguinis miſſione vel reſolvuntur, vel ad laudabilem ſuppurationem tutiùs veniunt, ut alii quoque obſervarunt, ita imminentes abſceſſus internos venæ ſectione tunc repetita, præter congruas jam pridem in principio morbi factas, averti. Hujus rei exemplum inter alia nonnulla fæliciſſima multis ab hinc annis a me obſervata, memorari operæ pretium eſt.

In Epidemia Genuenſi anno 1709. febres erant acutæ magna ex parte puncticulares, aliiſque phænomenis magnum ſanguinis lentorem oſtendentes, comitatæ item ut plurimum vermibus, qui fæliciter oleo dulci olivarum ad unc. ij. circiter ſingulis diebus exhibito excernebantur; maxima ex parte curatæ fęliciter iteratis ante quartum bis in die venæ ſectionibus, quibus tamen omiſſis, vel parciùs, ac tardè factis interficiebant; nonnullæ parotides ſalutares pro termino habuerunt.

Mulier in edibus ſervitiorum Illuſtriſſimi, atque Excellentiſſimi Principis de Auria propè mare decumbens, quamquam temperamento, ætate, habituque corporis non admodum florens videretur, nihilominùs in principio a me curata fuit iteratis venæ ſectionibus uſque ad miſſionem quatuor circiter librarum ſanguinis, congrua item victus ratione, largis potionibus ex decocto raſuræ cornu cervi, aliiſque temperatis alexipharmacis, quæ diſtinctè recenſere memoria non ſuggerit. Hoc unum & altè animo impreſſum remanet: eam tenſione doloroſa in regione dexteri hypocondrii [undecima circiter die] laboraſſe,indèque me ſignum certiſſimum imminentis ibidem abſceſſus tactu ipſo exploratum deprehendiſſe, tum ſtatim ſanguinis miſſionem ad unc. v. præſcripſiſſe, admotis intereà parti opportunis fomentis anodinis, & [ni fallor] etiam frictionibus per totum cum oleo calaminthi, oleoque olivarum pauca doſi per os exhibito; quibus peractis brevi dolorem, tenſionemq; partis ceſſaſſe vidi, & abſceſſum ad parotidem revocatum fuiſſe, quo fæliciſſimè convaluit. PRO-

PRODROMVS
Diſſertationis de Febribus
OLIM AD
PAVLVM FRANCISCVM BRVNVM
SCRIPTUS.

DISSERTATIONEM de febribus, certa ſerie theorematum, atque problematum, ut rei expoſcit dignitas, edere mihi hactenùs datum non eſt. Quià verò frequenti curandarum febrium uſu, ideam pyrethologiæ concepi, quæ, & recentiorum anatomicorum hypotheſibus congruat, & puriorem veterum doctrinam complectatur, hanc, ut neceſſitudo noſtra expoſcit, communicare, tecum duxi brevi Epiſtola; præmittens in primis, duos eſſe ex noſtris omni genere doctrinæ clariſſimos, Joannem Alphonſum Borelli, & Laurentium Bellini, qui altiſſimè in febrium cauſas penetrarunt, earumque phænomena per motus leges, & neceſſitates mechanicas demonſtrarunt; horumque ideò hypotheſes me ſequuturum, ut omnium febrium cauſas perſtringere, ac puriorem priſcæ ætatis doctrinam novis inventis firmare aggrediar. Accipe igitur, ea, qua me proſequeris, benevolentia, diſſertationis iſtius prodromum.

Communis ne dùm Medicorum, ſed vulgi ipſius notio febrium eſt, ut ſit ipſa calor naturali major, cum pulſus frequentia, ità ut veteres Medici febrem rati ſint eſſe *calorem totius corporis a corde lædentem operationes*; Quià verò cor in febribus eatenùs tantum affici putabant, ut conceptum calorem extraneum in partes omnes corporis diffunderet, compertumque eſt aliis præter calorem affectionibus cor ità laborare poſſe, ut calor exindè febrilis, ceù ſymptoma, per totum corpus diffundatur, hinc eſt, quod illi parùm in febris theoria profecerunt. Ut igitur cauſas omnes, undè ratio gignendæ febris deducitur,

ex ordine inveſtigemus, & generalis tandèm febris idea uno conceptu repræſentetur; animadvertendum eſt priùs ex pulſu frequentiore diutiùs perſeverante, majorem ſolvi per univerſum corpus calorem, niſi quid impediat; cum enim a motu ſanguinis per arterias, & venas neceſſario ſolvatur calor, diffundaturque per univerſum corpus ſecundùm naturæ leges, ut Phyſiologis perſpicuum eſt, pulſu autèm frequentiore multiplicentur impetus, quibus ſanguis ex corde in arterias, & ex hiſce in venas urgetur, manifeſtum eſt majorem exindè ſolutum iri calorem, quam ut ſtatus integer naturæ poſcat.

Hoc itaque poſito, quoties contingerit pulſum frequentiorem ab alia quacumque cauſa fieri, etiamſi cor ipſum calore extraneo non afficiatur; febris procul dubio ſuborietur, accendeturque calor, in quo proindè febris eſſentia conſiſtere non poterit, cum ipſa illum natura ſua præcedat. Si ergò oſtenderimus poſſe frequentiam pulſus, & quidèm perſeverantem aliundè provenire, quam a calore cordis aucto: perſpicuum erit hunc febris naturam non compræhendere.

Jàm verò, ut id oſtendamus, aſſumatur Hipocratica hypotheſis, a recentioribus anatomicis demonſtrata: cor ſcilicèt eſſe muſculum, & proindè, ut cæteris datum eſt muſculis, ad ipſius motum, ut cumque fiat, neceſſarium eſſe influxum ſpirituum animalium per nervum cardiacum, atque ità neceſſarium quidèm, ut pro varia ratione, qua influxus iſte mutatur, mutetur & pulſus; vidèmus enim, & per iram, & per laborem, & per ſtimulum doloris, & per quaſcumque hujuſmodi cauſas, quæ efficiunt, ut ſpiritus animales frequentiùs in cor fluant, frequentiorem pulſum fieri. Sed video te, quæ ex hac firma hypotheſi deducenda ſunt theoremata, vel me ſilente percepiſſe: ac in primis non eſſe neceſſarium calorem ad pulſus frequentiam febrilem concitandam, cum aliæ multæ prætèrò ſint cauſæ, quæ ſpiritus animales in nervi cardiaci fines frequentiùs fluere cogant, etiam diutiùs.

Supereſt, ne tedio te afficiam, ſumma tantummodò genera illàrum omnium cauſarum exponere, & analitica methodo ad ſingulas cauſarum febrilium ſpecies deſcendere.

Summa genera hoc uno theoremate compræhendo: quod ſpiritus animales eatenùs frequentiorem pulſum concitent, quatenùs, vel aucto eorumdem momento, vel aliundè concepto impetu majore, in cordis villos fluunt. Si enim auctum ſit, vel multiplicatum momentum ſpirituum, neceſſariò intrà datum tempus, per tubulos nervorum, & per nervum quoque cardiacum fluet copia major, ideoque multiplicabuntur cordis contractiones, ſimilitèr ex majore impetu aliundè concepto, idèm neceſſariò ſequetur; nec alià de cauſa, quæ in hiſce non comprahendatur, fieri poteſt major, aut crebrior ſpirituum fluxus in cor, nec proindè pulſus frequentior. Mo-

Momentum ſpirituum neceſſariò augetur, quoties multiplicantur liberiores particulę nerveum laticem conſtituentes, & ſolutæ magis fiunt, atque ità cauſæ omnes, quæ humidum, ſeù retinaculum ſpirituum imminuunt, aut conſumunt, quamvis opem neceſſariam, vireſque ſuffurentur, momentum tamèn ipſorum, qui remanent, ſpirituum adaugent; inter has recenſeo evacuationes nimias, exſicationes omnes, & vim caloris, illæ enìm humidum præfatum imminuunt, hæc idipſum paulatìm abripit. Hinc ad ſingulas, quæ ad hoc genus cauſæ ſpectant, ſpecies deſcendo, & enumero intèr non naturales res aeris æſtum, moram ad ſolem, balnea calidiora; cibos, & potus calidiores, vigilias diuturnas, evacuationes immoderatas, nimiam venerem, triſtitiam, ſollicitudines improbas, contentiones animi, & ſimilia, quæ febrem inducere poſſunt aucto ſpiritum momento alterutra ex præfatis rationibus; ut etiam inter cauſas internas, ſanguis fervidior, acrior, particulis activis degeneribus nimis abundans, & magis ſolutus.

Denique (vt ſecundùm genus attingamus), quinque animadverto eſſe cauſas, quæ majorem impetum ſpiritibus imprimunt, a clariſſimo Laurentio Bellini adnotatas. Prima eſt ſpecies momenti majoris, ut ipſe loquitur, idque experimur in ira. Secunda eſt motus improbus corporis, quo ſuccutiuntur nervi, ideòque fluere crebriùs cogitur liquidum eorum, ſivè ſpiritus in muſculos, & proindè quandoque etiam in cor. Tertia eſt preſſio major glandularum cerebri, quibus appenſa ſunt prima nervorum ſtamina; fit autèm hæc preſſio ex majore dilatatione arteriarum piæ matris, hujuſque cauſæ neceſſitas evidens eſt inſpicientibus poſituram arteriarum illarum, ad contactum corticis cerebri undecumque intercurrentium. Quarta eſt omne id, quod cor ſtimulare poteſt, cum ad partem ſtimulatam confluat neceſſariò major copia liquidi, ut idem auctor luculentèr oſtendit, ad ſtimulum verò pertinet etiam calor naturali major. Quinta demùm cauſa eſt ſtimulus vividus aliarum partium ſenſu præditarum, ad quas præſertìm nervea ſtamina pertingunt, proximam nervo cardiaco originem ducentia; fit enìm refluxus ſpirituum versùs originem, indèque major copia eorundem in nervum cardiacum derivatur, juxtà hypoteſim viri meritiſſimi nuper citati. Ad hoc verò cauſæ genus refero etiam quidquid, citrà ſtimulum ſenſu doloris perſpicuum, ità commovere ſpiritus poteſt, ut confertìm

De febrib.

In diſſer. de ſtimul.

ad originem, indèque ad nervum cardiacum irruant; Videmus enim, & in hyſtericis, & in hypocondriacis pravas perſpirationes; tametſi ſenſum doloris non pariant, ità ſpiritus commovere poſſe, ut in ataxias varias, & in motus etiam cordis inordinatos atque febriles univerſum ſpirituum ſyſtema adigant.

His poſitis facilè eſt jam ad alias omnium febrium cauſas internas deſcendere; enimverò plenitudo, præterquamquod ad primum ex duplici adnotato cauſæ genere ſpectat, hùc etiam revocatur, quatenùs diſtendit vaſa piæ matris: rareſcentia, fervorque ſanguinis id ipſum neceſſariò præſtat, & prætereà ex rareſcentia, & afferveſcentia ſanguinis particulæ ſtimulo inſtructæ poſſunt exurgere, quæ cor ipſum, aliaſve partes ſenſu inſtructas feriant, vel ſaltèm tanta caloris copia, quæ idipſum faciat; denique lentor ſanguinis in arteriolis minimis calorem quoque producere poteſt, cum reſiſtat magis ſuccedenti ſanguini, cordis impetu perpetim protruſo, undè preſſio, & lucta major, majorque propterea caloris ſolutio.

Sed, & poteſt ſanguis ità vitiari in craſi ſua, ut & ſi non ſemper ferveat, aut rareſcat, aut quocumque modo incaleſcat, particulas tamèn degeneres in ſe diſperſas contineat, quæ alicubi ſensim congregatæ, in ſeparationibus glandularum, vel aliis modis inferiùs exponendis, vim tandèm, aut ſtimuli, aut fermenti febrilis acquirant; atque hùc reducuntur cauſæ febris, quas recentiores propemodùm omnes fusè ſuo quique conceptu protulerunt.

Quinque cauſas a Galeno adnotatas ad ſecundùm quoque genus refero; docuit enim optimè univerſa corpora plùs incaleſcere, vel ex motu improbo, vel ex putredine, vel ex conſortio alteriùs corporis calidioris, vel ex cohibita perſpiratione, vel cibo ad accendendam caliditatem accomodato, quas profectò cauſas, aut fervorem ſanguinis excitare patet, aut ſaltèm tantùm caloris invehere, ut exindè tandèm cor ſtimulo ſolicitetur; idque fusè oſtenderem, niſi tibi moleſtus futurus eſſem, rem ſatis manifeſtam fruſtrà proſequens.

Hæc meditabar circà febrium naturam, & cauſas, ex quibus facilè patere arbitror febrem non poſſe reduci ad ullum ex tribus vulgatis morborum generibus, & in primis ad intemperiem; calor enim febrilis, vel cauſa, vel ſimptoma eſt: cauſa quidèm, quatenùs in ſanguine conſideratur;

ante-

antequam cor ſtimulet, aut lædat, ſpirituſve concitet ad pulſum febrilem conſtituendum, ſimptoma verò, quatenùs ex frequentioribus cordis contractionibus augetur; multòque minùs ad ſolutionem unitatis, aut malam conformationem, tametſi enim quandoque hujuſmodi morbi cum febre jungantur, ab ipſa ſatis diſcriminantur; cumque alibi animadverterim tria hæc morborum genera ſolidis partibus tantummodò convenire, dari verò præterea in fluidis vitia, quæ morbi ſint, ſcilicèt vitia in motu fluidorum ad actiones neceſſario, & morbi quidèm ſint, non cauſæ, nàm ab iis vitiis proximè, ſivè primò, & per ſe læduntur operationes, abſque ullo affectu intermedio, luculentèr inferre poſſe ratus ſum febrem potiſſimùm ad hoc quartum, quod excogitavi genus reduc.; eſt quippè, ut generatim ipſam definiam, *motus auctus animalium ſpirituum, diù pratèr naturæ modum in cor fluentium, undè pulſus frequentia, calor, & cætera ſymptomata pendent.* Siquidèm oſtenſum eſt cauſas tùm internas, tùm externas, in id unum coincidere, ut fluxum ſpirituum animalium in cor frequentiorem concitent, ex quo ſolo immediatè læditur actio cordis, & cætera, quæ ad febrem ſpectant neceſſariò deducuntur, ut non mirer, ſi Helmontius *exoticis* verbis *furorem Archei* febrem appellaverit.

Non immorabor in exponenda omnium febrium analyſi, quam a duabus primis differentiis *continua*, & *intermittente* auſpicari licet cum Galeno; nàm ſuo loco diſtinctè a ſummis hiſce generibus ad omnes uſque febrium differentias diſcendemus, referentes etiam ad primum genus ephemeram, atque hæcticam, hic autèm tua patientia nimis abuti, tempuſque terere in rebus notiſſimis non convenit. Ea tantùm, quæ ad intermittentium febrium theoriam attinent, attingenda ſunt, ut problemata, quæ omnium uſque adhùc ingenia torquent, quantùm tenuitati meæ datum fuerit, elucidanda proponantur. *Primo de Criſib.*

Continuæ febres eatenùs ab intermittentibus diſcriminantur, quatenùs in illis viget ſemper, operaturque continuò cauſa, quæ fluxum ſpirituum in cor auget; in his verò non operatur perpetuò, ſed certis intervallis deſinit, atque recurrit. Hinc ſi ſanguis a recta craſi recedat, non diſtendens nimiùm vaſa cerebri, non actu fervens, nec quoquo modo calorem continuò expromens, aut cor aliamve partem ſentientem, ſtimulo, quantùm in ſe eſt, ſollicitans,

alicubi

alicubi, tamen præparet intereà certis intervallis materiam, undè, vel ſtimulus cordis, & partium ſentientium exurgat, vel quomodocumque pulſus frequentior diutiùs concitetur, ex quo calor febrilis emergat, neceſſariò fiet certò intervallo febris, ut ex ſuperiùs dictis patet, quomodò autèm id contingere poſſit, breviter innuam.

Suppone interim, ut libet, ſanguinis craſim, expoſita ratione, vitiatam; luxurient, v. g. ſuprà naturæ modum particulæ, ut inquiunt, bilioſæ, vel alteriùs generis, quæ ſanguini permixtæ, & inconſpicuæ non ſtimulent, non ferveant, nec aliud quippiam ex dictis efficiant, ſed tantummodò rationem particularum ſanguinis ad invicem, ipſarumque ordinem, & poſituram mutent, uno verbo craſim alienam, atque degenerem conſtituant. Certum eſt, quod ſi ſanguis [ut & quodlibet liquidum etherogeneum] craſim ſuam mutaverit, perſpirationem neceſſariò mutabit; diverſa enim erunt interſtitia particularum ab iis, quæ recta craſis liquidi continebat, ideòque ſubtile fluidum perſpirationes omnes promovens (quidquid iſtud ſit, de quo in phyſicis diverſa ratione, ac Des Cartes, agemus) diverſo momento per illa interſtitia fluet, ſcilicet, aut majore, aut minore, quam in ſtatu naturali, & ſi quidem majus fuerit momentum ſuperabit majores reſiſtentias, ideoque neceſſariò in perſpirationem urgebit, abripietque particulas, quæ in ſtatu naturali perſpiraturæ non erant, præſertim ſi multæ alienæ, ac degeneres particulæ luxurient; ſi verò minus momentum fuerit, minores ſuperabit reſiſtentias, ideòque non omnes eodem dato tempore particulas abripiet in perſpirationem, quæ cæteroquin per hanc viam eliminandæ fuiſſent; quamobrèm alterutro de nomine ſemper mutabitur perſpiratio, ſi mutetur ſanguis craſis, ut & cujuſcumque aliùs liquidi etherogenei. Patet autem id quoque autopſia, cum videamus ex lacte, ſanguine, vino, & ſimilibus ſecundum craſim mutatis, diverſa effluvia emanare, ſenſuſque ferire diverſimodè, guſtum ſcilicèt, odoratum, cæteroſque ſenſus aliter afficere; immò experimur perſpiratione ipſa febrili cutis colorem valdè mutari, & odoratum aliter tangi, quam in ſtatu naturæ integro.

Si ergo ex ſanguine, ut ſupponimus vitiato, ex perſpirent particulæ, quæ in ſtatu naturali, intra datum aliquod tempus perſpiraturæ non erant, & hæ altius cumulentur alicubi ad conctatum nervearum propaginum, poterunt vim

ſtimuli

ſtimuli per ſui multiplicationem aquirere; cum etherogeneæ ſupponantur, & figuris ad id munus aptis inſtructæ eſſe poſſint, vel ſaltèm nil obſtat, quo minùs nerveas propagines obſeſſas ità movere valeant, ut etſi ſtimulo doloris illas non afficiant, in oſcillationes enormes tamen a conſueto naturæ modo diverſas adigant, ità ut ſpiritus incolæ in motus tumultuarios urgeantur.

Quoniàm itaque doctiſſimus Stenon obſervat in partibus animalium, ubique eſſe cavitates, in quas [ut inquit] *ſecretæ a ſanguine partes fluido iſtius loci miſcentur, indè partibus ſolidis apponendæ, pariter ac in eaſdem cavitates relabuntur attritæ particulæ ſanguini denuò reſtituendæ, ut illius ope ad fluidum externum revehantur*; Poterunt alienæ illæ a ſanguine ſpirantes particulæ in his cavitatibus altiùs cumulari intra datum aliquod tempus, ipſaſque replere, cùm in majore proportione hùc propellantur, quàm ut eodem tempore per foramina, quæ ad extrà vergunt, exitum habeant; idque præſertìm continget, ſi foramina iſta particulis alienis obſtruantur, vel quacumque de cauſa occludantur, anguſtioravè reddantur, aut talia jampridèm evaſerint. *Prodomum de ſolid. intra ſolidum.*

Jàm verò hac ſola de cauſa manifeſtum eſt intrà datum aliquod tempus febrem fieri, & recurrere poſſe certò intervallo, cum determinatum tempus requiratur, ut illæ cavitates aliena perſpiratione repleantur, & hæc, ubi illas repleverit ſtaminibus nerveis circumdatas, ſtimulum dolorificum, vel ſaltèm oſcillationes inſuetas incutere poſſit, ac in refluxum turbulentum ſpiritus agere, febremque tandèm, modo ſuperiùs expoſito, concitare, cum frigore, vel ſine frigore, pro diverſa illius perſpirationis natura, & diverſo tremore nerveis partibus incuſſo, tamdiù duraturam, donèc frequentioribus cordis pulſationibus accenſus calor perſpirationem collectam conſumpſerit, & quoniàm in tertianis febribus videmus intervallo quadraginta horarum circiter recurſum fieri, hinc determinamus illud idem datum tempus, quo collectio fabrilis miaſmatis fieri conſuevit, quod a bile procedere non ſine fundamento dicebant veteres in ſua hypotheſi, utpotè quia in longè minore proportione particulæ bilis ſunt ad alias in ſanguine exiſtentes præter melanchoniam.

Sed, & alia ratione poteſt explicari febris, hac de cauſa certo intervallo recurrens, niſi tibi arrideat allatum ſpirituum machinamentum. Collecta enim perſpiratio febrilis,

& jam

& jam præfatas implens civitates, nerveaſque fibras præ copia diſtendens, agere poterit in ſanguinem, ut mox exponemus: ſcilicèt cum per foramina, quæ ad extra hiant, impendi non poſſit, propter ſuper affluentem copiam, vel propter occluſionem meatuum ad extra hiantium, neceſſe eſt cavitates impleri, & diſtendi, ideòque ſtimulatis contractilibus fibris nerveis illarum cavitatum, neceſſe eſt perſpirationem iſtam degenerem per foraminula ſanguiferorum vaſorum, veluti per totidem ſyphunculos urgeri, motumque propterea ſubtilis fluidi deturbari, & introrsùm remeare cogi, quo tandèm impetum faciente, ac totum ſucceſſivè ſui generis ſubtile fluidum commovente, ſanguinem rarefieri, & agitari neceſſe eſt. Nec deſunt exempla perexigui miaſmatis ſanguinem perturbantis, & in excandeſcentias febriles commoventis, ſi animadvertamus vim halituum venenatorum, miaſmata peſtilentiæ, hyſtericos afflatus, perexiguam ſaniem paronichæ, cujus perſpiratio perditiſſimè fervet, cæteraque hujuſmodi: ut non mirum ſit refluentem a noſtris cavitatibus perſpirationem per poros vaſorum in ſanguinem, refluenſque cum ipſa per ſyphunculos illos fluidum ſubtile, introrsùm agere occurrens ſubtile fluidum, quod ad extra ſpirare nitebatur, ſpatiumque majus ipſam materiam affectare, impetum facere in ſanguinis particulas, & rareſcentiam febrilem excitare, donec ſoluto magis, magiſque calore, aliena illa effluvia diſſipentur.

Quod ſi perſpiratio prava cavitates duarum, aut trium partium repleverit, quarum foramina, quæ ad extrà vergunt, priùs occluſa fuerint, hac lege, ut quemadmodùm una pars, priuſquam alia, fortè obſtructionem foraminum contraxit, ita diverſo tempore in illis partibus ad turgeſcentiam uſque perſpiratio cumuletur, & refluxus proindè, quem exſpoſuimus; aut ſi mavis; immediata ſanguinis turbatio diverſo tempore fiat, manifeſtum eſt etiam circuitus febrium compoſitos, alternè proportionales effici poſſe.

De diferent. feb. Hæc omnia doctrinæ Hipocratis, & Galeni omninò congruunt, ſi veterum illorum doctrina ad leges æconomiæ animalis deducatur. Docens quippè Galenus ſuperfluitates in partibus collectas eſſe cauſam circuituum febrilium], haſce intelligendas indicat pro materia perſpirationis; inquit enim; *neque hoc per circuitus deſinit fieri, quamdiù in particula gignente ſuperfluitates, perſeverarit affectio*; ſubditque. *Impoſſibile eſt autèm ſolvi remanentem diſpoſitionem, ſi uni-*

ſi univerſum corpus variis refertum ſit excrementis, *at multò etiam magis*, *ſi iis accedat omnium*, *per quos excrementa membri excernuntur*, *adſtrictio meatuum*. Palàm eſt enim per excrementa membrorum intelligi ea, quæ ex tertia coctione reſultant, quæque per tranſpirationem eliminari conſueverunt. Sed, & magni Hipocratis doctrinæ, de flatibus reſpondent, quæ de miaſmate in cavitatibus cumulato dicta ſunt; ſi ritè accipiantur, quæ de vi flatus ad febrem ciendam Divinus Senex tradidit.

Magni febrifugi vis, quæ in perſpiratione conſiſtit [ut facilè in cauſas rerum altè penetrans percipies] notum etiam facit miaſma febrile, quod velut hoſtem illa petit, ac diſſipat, in perſpiratione conſiſtere.

En igitur doctiſſime Vir Pyrethologiæ prodromus, quo non ad calorem, nec ad ullum ex tribus morbi generibus febrem reduci, ſed ad quartum genus in motu fluidorum neceſſario, & eſſe motum auctum ſpirituum frequentiùs in cor fluentium, ad quem cauſæ omnes febris poſſibiles collimant, & ex febrili perſpiratione circuitus, & recurſus oriri breviter innui donec tantùm mihi detur otii, ut ſingula hæc, congrua theorematum, & problematum ſerie, fuſiùs explicare, atque meam liberare fidem valeam.

Intereà ex iis, quæ de ſanguinis miſſione dicta ſunt, patet hoc magnum auxilium multifariàm ab omnibus propemodùm febribus indicari, quantùm ad generalia remedia pertinet; cumque abſque ullo ſtimulo, & abſque ullo turbulento motu hæc avacuatio fiat, motumquè regularem ſanguinis, & aliorum fluidorum concilìet per directiones ſuas, manifeſtum eſt etiam longè tutius eſſe remedium, quàm cæteras evacuationes, quæ cum turbatione, ac ſtimulo fiunt. Vale diù meritiſſime Vir, & me, quod facis, ama.

F I N I S.

DISSERTATIO DE FEBRIBVS,

Et obiter de aliis morbis connexis.

TRACTATUM de febribus, quem in præmiſſa Epiſtola innui, modo breviſſimè duabus ſectionibus comprehendam, prima ſcilicet de febris eſſentia, & cauſis in genere; ſecunda de differentiis febrium, & utramque ſectionem in ſua capita diſtribuam; ſit itaque.

SECTIO I.

De febris eſſentia, & cauſis in genere.

FEbris eſſentia, ut jam ſuperiùs oſtendi, non in ſolo calore præter naturam conſiſtit, neque ullo ex tribus vulgatis morborum generibus integrè comprehenditur; ideòque altiùs eſt inquirenda, & methodo definitiva illud inveniendum eſt, quo poſito cordis actio ità læditur, ut calor indè febrilis ſubſequatur, & ſine quo neutiquam ita lædi poteſt actio cordis, ut iſte calor ad partes corporis erumpat; in eo enim quæſitam febris eſſentiam neceſſariò conſiſtere palam eſt ex pronunciatis primæ philoſophiæ. Iſtud autem in definitione jam allata conſiſtere oſtendam, quarè ipſam hic denuò perſtringere operæ pretium eſt.

CAPUT I.

De febris definitione, ipſiuſque definitionis analyſi.

FEbris eſt motus auctus animalium ſpirituum, diù & frequentiùs præter naturæ modum in cor fluentium, undè pulſus frequentia, & calor naturali major, ſaltem ad interiora, neceſſariò dependet.

In hac definitione præciſa non memoro fluidum ſpirabile ab arteriis coronariis proveniens, quamvis enim hujuſmodi ſpirabile ſanguinis

ad motus muſculorum omnium, & per conſequens etiam cordis, neceſſariò concurrat, non tamen movet niſi a ſpiritibus impetum concipiat, ut experientiis phyſiologicis irrefragabilibus ratum eſt. Quamobrem ad motum ſpirituum animalium præter naturam auctum febris reducitur tamquam ad genus morborum cordis in fluido, juxtà meam analyſim expoſitam in pathologia generali; atque iſta definitionis particula eſt loco generis; nam & alii præter febrem ſunt morbi cordis in motu quoque fluidorum conſiſtentes, undè palpitatio, liſpothimia, pulſus intermittens, ſyncope convulſiva, & alia hujuſmodi fiunt. Quæ poſteà ſubſequuntur definitionis particulæ differentiam febris ab aliis morbis explicant, in hoc ſitam, quod per frequentiores pulſus diuturnos, & multiplicatos per conſequens impetus, quibus urgetur ſanguis in arterias, calor naturali major ab eodem ſanguine ſolvatur, diffundaturque, ut dictum eſt; ſi enim per impetum naturalem, quo ſanguis a corde urgetur, naturalis calor, quo ipſe abundat, ab eodem ſolvitur, ac in univerſum corpus diffunditur, ut ex phyſiologicis communi omnium conſenſu, & notione ratum eſt, maniſeſtiſſimè patet hanc ſolutionem fieri neceſſariò majorem pro ratione impetus multiplicati. Per ea tandem verba: *ſaltem ad interiora* conprehendo etiam nonnullas febres, ut lypiriam, & algidam, in quibus ob cauſas particulares, ſuo loco exponendas, impeditur progreſſus caloris ad exteriora; veruntamen in his quoque interiora præter naturæ modum incaleſcere deprehendimus ex ariditate linguæ, ſiti, aliiſque ſignis maniſeſtiſſimis, quibus nedum calor perſeverans, ſed & naturæ operationes ab eodem evidenter læſæ cognoſcuntur.

Hæc definitio ex hypotheſi de motu cordis aſſumpta in prodromo antecedente, atque in meo tractatu de homine, ad mentem clariſſimorum auctorum, analyſi facillima explicatur. Sed nihilominùs rata etiam eſt in qualibet hypotheſi; nam experientia irrefragabili patet [ut in prodromo dictum eſt] pulſum frequentiorem ſemper fieri, quotieſcumque ſpiritus animales frequentius in cor irruunt, ac præterea ſine hoc influxu frequentiore neutiquam contingere poſſe analytica methodo in ſequentibus propoſitionibus fiet maniſeſtiſſimum, hujuſque rei neceſſitatem in qualibet excogitabili de motu cordis hypotheſi evidentiſſimam propoſitione IV. ejuſque corollario afferam.

PRO-

PROPOSITIO I.

THEOREMA I.

Calor extraneus neutiquam poteſt præciſa, et proxima vi ſua pulſum frequentiorem facere, ſed quatenùs irritat fibras cordis, hac de cauſa motum ſpirituum impetum faceintium excitare poteſt, quo cordis pulſus frequentior fiat.

QUoniam enim præciſus calor, utcumque auctus in ſanguine, indeque cordi communicatus, abſque ullo impetupartibus ſolidis incuſſo, evaporat, ut manifeſtiſſimum eſt experientia, qua conſtat, vel in ipſis febribus ardentibus muſculares fibras totius corporis, quamquam vehementer calefactas neutiquam moveri, ergo calor extraneus ſola, & præciſa vi ſua neutiquam poteſt pulſum cordis frequentiorem facere. Quia verò cordis fibræ ſenſitivæ a calore naturali majore irritantur, poteſt hac de cauſa calor ſpirituum impetum naturali majorem, & frequentiorem in ipſas concitare, quo cordis pulſus frequentior fiat, ut propoſitum fuerat.

COROLLARIUM.

Eadem omninò militat ratio de alia quacumque hujuſmodi cauſa fibras cordis irritante.

PROPOSITIO II.

THEOREMA II.

Morbus quilibet ſolidarum partium non poteſt febrem inducere, aut quomodocumque fovere, quin ſpirituum frequentiorem influxum in cor promoveat.

SIT enim in ſolidis partibus quilibet morbus, quo febris inducatur, vel quomodocumque foveatur, puta ulcus, tumor, obſtructio, inflammatio, & quicquid aliud recenſeas. Quoniam iſte quilibet

morbus

morbus in partibus ſolidis conſiſtens, præciſè per ſe movere cor non poteſt, ut ex terminis patet, ſolida enim præciſa quieſcentia impetum non faciunt, & [quod idem eſt] cor movere non poſſunt; ergò id tantummodò efficere poterunt communicando liquidis aliquid fibras cordis movere valens. Jam verò iſtud, quodcumque velis, movere aptum communicet ſanguini, aliiſque omnibus liquidis cum ipſo fluentibus in cor; manifeſtiſſimum eſt ex antecedente, ac ipſius corollario poſſe quidem alterare ſanguinem, neutiquam tamen febrem inducere, aut quomodocumque fovere, quin frequentiorem ſpirituum, impetum facientium, influxum in cordis fibras concitet. Quod ſi dicas morbum partis cujuslibet ſenſitivæ febrem inducere poſſe (tametſi nullatenus movere ſanguinem, aut ipſi aliquid moveos communicare ſupponamus) per ſolam ſcilicet, ac præciſam vim, qua partes eaſdem afficiunt, vel ſenſum doloris proximè inducendo, vel per intermedias perſpirationes ſubtiliſſimas incutiendo ſpeciem impetus naturali majoris etiam abſque ullo ſenſu doloris; jam per hoc præciſè fit agitatio, & motus naturali major, & frequentior ſpirituum, ut ex doctrina de ſenſibus patet in quacumque hypotheſi. Neceſſe eſt autem motum iſtum ſpirituum naturali frequentiorem ad cor per nervum cardiacum pervenire, ſiquidem cor ipſum hoc motu moveri quoque debeat, ut ex legibus communicationis motus evidenter conſtat, quarè ſemper manifeſtiſſimum eſt, quod propoſui.

PROPOSITIO III.
THEOREMA III.

Fluidum ſpirabile ab arteriolis coronariis proveniens, & diſtributum toti muſculo cordis, etiam ſi quovis vitio vel quantitatis, vel qualitatis affectuum ſit, febrem non infert, niſi ſpiritus impetum facientes, in ſinulos fibrarum motu frequentiore præter naturam concurrant. Spiritus autem hi, ſi qualibet de causa frequentiùs, & diutiùs illùc urgeantur, febrem conſtituunt, etiamſi fluidum ſpirabile arteriarum in ſtatu naturali ſit, abſque ullo videlicet vitio.

EX phyſiologicis luculenter conſtat ſpirabile fluidum ab arteriis coronariis in fibrarum cordis interſtitia evaporans, ejuſdem omninò

omninò naturę eſſe, ac illud, quod ubique a ſanguine unà cum calore vitali ſolutum diffunditur per muſculorum interſtitia; nullum impetum effatu dignum in fibras faciens, nec muſculi actionem promovens, ut in definitionis explicatione innui, ſed tantummodò impetum neceſſarium a ſpiritibus per nervos fluentibus concipiens, idque communi conſenſu ratum eſt, atque quotidianis experentiis manifeſtiſſimum. Quoniam itaque ſpirabile illud ſanguinis non ſufficit ad muſculi cordis actionem, ſive pulſum efficiendum abſque impetu validò ſpirituum, ergò multò minùs idem ſolum efficere valet pulſum frequentiorem, ſeù (quod idem eſt) multò minùs poteſt impetum, quem a ſe non habet multiplicare, aut [quod rurſus idem eſt] febrem inducere. Nec quicquam refert ſi quolibet vitio, vel quantitatis, vel qualitatis afficiatur. Ponamus enim primò ipſum vitio quantitatis affectum, ſeù magis, quam par eſt conferctum, poterit equidem fibras ipſas comprimere, neutiquam verò ſine impetu, quem a ſe non habet, motum cordis efficere, ut ex terminis patet, multò autem minùs id præſtare poteſt, ſi vitium in quantitatis defectu ponatur. Secundò eadem ratione diſcurras de quovis alio qualitatis vitio hoc eten m ad ſummum irritare fibras poteſt, & hac ratione influxum ſpirituum excitare, neutiquam verò abſque hoc influxu, impetum facere, ut ex prima, & corollario luculenter infertur, quarè manifeſtum eſt, quod primo loco propoſui.

Secunda verò propoſitionis pars nedùm experientia conſtat, ſed ex prima parte itidem infertur; experientia quidem notiſſimum eſt, quod in fine antecedentis innui, per ſtimulum validum partis alicujus exquiſito ſenſu præditæ ſpiritus valdè agitari, & uſque ad nervuum cardiacum impetu majore fluere, febremque conſtituere, tametſi ſanguis, & ſpirabile ipſius a naturali ſtatu non recedat, ut vidèmus in doloribus vehementibus qualibet de cauſa etiam externa ortis, nec non in vulneribus, paronichia, & aliis hujuſmodi. Sed & perſpicuum hoc eſt ex prima parte hujus, nam ſi ſpirituum influxus in fibras cordis unà cum ſpirabili ſanguinis naturaliter ſe habente neceſſariò pulſum efficit, ut ex phyſiologicis conſtat; ergo eadem neceſſitate frequentior influxus ſpirituum unà cum eodem ſpirabili ſanguinis naturaliter ſe habente frequentiorem pulſum pro ratione impetus multiplicati efficiet. Quare manifeſtiſſima eſt tota propoſitio.

PRO-

PROPOSITIO IV.

THEOREMA IV.

Spirabile fluidum ab arteriis coronariis proveniens ſi vel in copia excedat, vel aliquo vitio qualitatis afficiatur, duplici neceſſitate frequentiorem excitat motum ſpirituum in fibras cordis.

QUod celeberrimus Borelli propoſitione 80. ſecundæ partis de motu animalium docuit, videlicet: *poſſibile eſſe cordis motum fieri a facultate animaſtica*, clarè oſtendi, in meo tractatu de homine, fieri ope naturalis appetitus, quem univerſæ naturæ corporeæ ineſſe, atque operari neceſſariò ex hypotheſi finis pro cujuſcumque compoſiti naturalis aptitudine luculenter etiam patet ex elementis phyſices meę generalis. Quamobrem in hac rata hypotheſi omnium planè phyloſophorum [exceptis inſipientibus, qui caſum ſomniarunt] propoſitionem hanc demonſtraturus, aſſero fluidum ſpirabile ſanguinis in corde, vel copia excedens, vel qualitatis vitio affectum neceſſariò in primis per appetitum naturalem excitare impetum frequentiorem, ſive [quod idem eſt] febrilem a tubulis nervorum cordis in fibras ipſius. Sit enim primò iſtud fluidum excedens in quantitate, palam eſt pro ratione copiæ naturali majoris, magis preſſurum fibras quarum interſtitia occupat; ergò neceſſitate ex hypotheſi finis contranitetur tunc appetitus naturalis, quantum poterit, ut noxiam illam preſſionem excutiat, impetuque ideò frequentiore ſpiritus in fibras cordis fluent, ſeù [quod idem eſt] febrem conſtituent. Sit jam ſecundò in quolibet vitio qualitatis poſitum, puta nimis incaleſcat, vel temeratum ſit qualibet miſcela particularum quomodolibet infenſarum fibris cordis, easque ſtimulet, vel quavis ratione offendat, idem neceſſariò ſequetur frequentior ſpirituum impetus in fibras cordis, ut noxiæ illi vi extraneæ appetitu naturali contranitantur eadem omninò vigente neceſſitate finis. Cogita denique utrumque vitium, & eamdem neceſſitatem ingeminabis, quarè mamanifeſtiſſima eſt propoſitio.

Quod ſi hanc neceſſitatem naturalem [quæ prima, & potiſſima eſt] non agnoſcas totum id nihilominùs, quod propoſui alia neceſſitate fieri luculenter conſtat ex doctrina celeberrimi Laurentiis Bellini

de ſti-

de ſtimulis, ut ex ſuperioribus patet, immò etiam in qualibet hypotheſi hæc alia neceſſitas generatim oſtendetur inferiùs in Scholio prop. XII.

SCHOLIUM.

PAlam eſt autem primam, & potiſſimam neceſſitatem ex hypotheſi finis in qualibet, de motu cordis, hypotheſi militare. Semper enim, & neceſſariò appetitus naturalis noxiæ vi expoſitæ pro aptitudine ſua, ac pro viribus contranititur, quomodocumque id fieri dicas.

PROPOSITIO V.

THEOREMA V.

Ex pulſu frequentiore diutiùs perſeverante calor præter naturam ſolvitur, ac per univerſum corpus, vel ſaltem per interiora neceſſariò diffunditur, perſeverans, & naturæ operationes lædens.

QUoniam per ſanguinis motum neceſſariò ſolvitur calor, quo ſanguis ipſe abundat, diffunditurque in univerſum corpus, ut ratum eſt ex phyſiologicis, ergò adaucto motu iſto, augebitur neceſſariò caloris in ſanguine abundantis ſolutio, utpotè motui præfato proportione reſpondens; per pulſum autem frequentiorem augetur ſanguinis in motus, multiplicato pro ratione frequentiæ impetu, quo in arterias urgetur, indeque in univerſum corpus progreditur; ergo ex pulſu frequentiore diutiùs perſeverante [calor auctus [hoc eſt præter naturam] neceſſariò ſolvitur, diffunditurque per univerſum corpus, vel ſaltem per interiora, ut ex definitione ſuperiùs explicata. Quarè manifeſtiſſima eſt propoſitio.

CAPUT II.

De cauſis febrium.

HActenùs generalem definitionis analyſim expoſui, nunc ſummum genus, quo cauſæ omnes febrium comprehenduntur,

&in

& in quo eadem methodo inveniuntur animadvertendum eſt, ejuſque analyſis uſque ad omnes cauſarum differentias, hoc & ſequentibus capitibus, inſtituenda.

PROPOSITIO VI.

THEOREMA VI.

Cauſa febris eſt omne incongruum, & adverſum humano corpori, vel intùs productum, vel extrinſecùs adveniens, quod aut proximè ſolidis, & fluidis affectionem inferre, aut antecedenter ad affectionem diſponere, qua ſpirituum motus in corde naturali frequentior excitetur.

IN hac definitione cauſæ omnes comprehenduntur nedùm internæ proximæ, & antecedentes verum etiam externæ quæcumque internas gignunt, & promovent, vel quomodolibet diſponunt. Eſt autem loco generis prima pars: Videlicet: *Omne incongruum, & adverſum humano corpori, vel intùs productum, vel extrinſecùs adveniens*; in hoc enim cauſa omnis generatim continetur nedùm febrium, ſed & aliorum omnium morborum. Alia pars differentiam explicat, qua præcisè febris fit.

Iſtud autem Theorema evidenter ex antecedentibus neceſſaria conſequutione deducitur. Quoniam enim febris nullatenùs fieri poteſt abſque frequentiore motu ſpirituum in corde, & in hoc præcisè ipſius eſſentia conſiſtit ex definitione, ac allatis demonſtrationibus, palam eſt cauſas omnes, quæ aſſignari, vel excogitari poſſunt in hoc neceſſariò comprehendi.

PRO-

PROPOSITIO VII.

THEOREMA VII.

Cauſæ omnes internæ, atque conjunctæ febrium, tàm in ſolidis, quàm in fluidis conſiſtentes, febrem producunt, vel quia frequentiorem ſpirituum impetum quomodocumque promovent, vel quia vim fluxus in latice nerveo adaugent, vel quia utrumque faciunt.

QUia febris in hoc motu aucto ſpirituum ad cor conſiſtit ex ſuperioribus, nequeunt autem ſpiritus hoc motu aucto, ſivè frequentiore fluere in cor, quin aut augeatur ipſorum impetus, aut fluxilior fiat latex nerveus ipſos continens, aut utrumque contingat, ut ex legibus motus, & re ipſa evidens eſt, nec alia ſupereſt iſtus frequentioris motus ratio excogitabilis, quæ in hiſce non comprehendatur; ergò cauſæ omnes internæ atque coniunctæ febrium, tàm in ſolidis, quàm in fluidis conſiſtentes, alterutra, vel utraque ratione propoſita neceſſario agunt. Quomodò autem cauſæ internæ coniunctæ febrium frequentiorem ſpirituum impetum promoveant, præter irritationem cordis, aut partium ſenſiſtivarum, ſuperiùs indigitatam, & quomodò item laticis nervei fluxilitas per eaſdem augeatur manifeſtum fiet ex ordine in ſequentibus.

PROPOSITIO VIII.

THEOREMA VIII.

Cauſa omnis interna, & coniuncta febrium neceſſariò vel ineſt ſanguini, vel ab eodem proficiſcitur.

HIs poſitis manifeſtum eſt cauſam quamlibet coniunctam iſtorum motuum febrem conſtituentium ineſſe neceſſariò ubi ſpiritus motum concipiunt. Ratum eſt enim ex phyſicis neutiquam communicari poſſe motum, niſi movens ad contactum corporis moti perveniat;

omnis autem cauſa interna & coniuncta, nerveas partes, & ſpiritus incluſos movere valens, aut laticem nerveum fluxiliorem facere, neceſſariò vel ineſt ſanguini, vel ab eodem proficiſcitur, ut ex anathomicis patet; (ineſt enim ſanguini tantummodò, aut humoribus, ab eo per glandulas quaslibet derivatis, quicquid interiùs exiſtens, aut præter naturam intùs productum pervenire ad contactum nervei generis poteſt, ut ratum eſt, ac ſenſibus omninò perſpicuum ex anathomicis demonſtrationibus) ergo vel ineſt ſanguini, vel ab eodem derivatur, quicquid proximè impetum ſpirituum, aut fluxilitatem laticis nervei augere intrà corpus poteſt, ſeù [quod idem eſt] omnis cauſa interna, & coniuncta febrium neceſſariò, vel ineſt ſanguini, vel ab eodem proficiſcitur, ut propoſitum fuerat.

SCHOLIUM.

ETiam per totam fiſtulam inteſtinorum a ſanguine derivatur per glandulas quicumque latex ibidem vitiatus, qui ad contactum nervearum partium illic diſtributarũ perduci poteſt; exceptis ingeſtis, & iis, quæ ad ipſa pertinent, in cenſu cauſarum externarum reponendis ſuo loco; idque itidem ex anathomicis conſtat.

PROPOSITIO IX.

THEOREMA IX.

Omnis affectio præter naturam ſanguinis, neceſſariò conſiſtit in vitio quantitatis, vel qualitatis, vel motus, vel horum aliquot, vel omnium.

QUoniam enim ſanguis per debitam quantitatem, & qualitatum propriarum commoderationẽ, & per debitum motum in ſtatu naturali conſtituitur neceſſariò in qualibet hypotheſi, nec aliud quidpiam requiritur. Ergo ex lege contrariorum palam eſt per hoc præcisè, ac neceſſariò ſanguinem a naturali ſtatu recedere, ſeù (quod idem eſt) vitiari, aut penes quantitatem, aut qualitatem, aut motum, horumve aliqua, vel omnia; nec aliud prætereà ſupereſſe vitium, quod in his non comprehendatur. Manifeſtiſſima eſt igitur propoſitio. Cum autem fusè actum ſi de omnibus hiſce vitiis in pathologia, nunc tantummodò ſupereſt explicare, quomodò inde ſingillatim febris emergat.

CAPUT

CAPUT III.

De ſanguinis vitio in quantitate quatenùs eſt cauſa febris interna.

CAuſæ febris aliorumque morborum aliæ ſunt internæ, aliæ externæ, atque internarum, aliæ ſunt antecedentes, aliæ coniunctæ, ut ex pathologicis conſtat, Quoniam verò inter antecedentes adnumerantur quoque vitia ſanguinis in quantitate, & qualitate, quandò nondùm morbos conſtituunt, ſed ad ipſos tantummodò corpora diſponunt; nunc inceptus ordo exigit, ut primum de hiſce vitiis agam, quatenùs eo perveniunt, ut cauſas coniunctas febrium conſtituant incipiendo a quantitate.

PROPOSITIO X.

THEOREMA X.

Vitium ſanguinis in ſolo, & præciſo quantitatis exceſſu præter naturam, ſpirituum impetum augere poteſt, ſeù febrem efficere.

DUas affert cauſas doctiſſimus Laurentius Bellini, quibus propoſitione II. de febribus oſtendit a præciſo quantitatis ſanguinis exceſſu pulſum frequentiorem, & per conſequens febrem fieri. Una eſt preſſio major glandularum corticis cerebri; nam arteriæ ubique per anfractus ejuſdem cerebri ad contactum iſtarum glandularum poſitæ, ac pro ratione copiæ, magis quam par eſt, diſtenſæ, neceſſariò magis premunt, ideoque validiùs urgent liquidum nerveum in iis ſeparatum, pulſuſque inde frequentior fit: altera eſt calor naturali major pro ratione auctæ præter naturam copiæ ſanguinis, undè in fibris auricularum cordis, & ipſius etiam cordis excitatur ſenſus ejuſdem caloris naturali major, & per conſequens derivatio liquidi nervei copioſior, qua frequentior pulſus fit.

Sed prætereà propoſitio alia ratione oſtenditur. Quoniam enim ſanguinis vitium ponitur in ſolo, & præciſo quantitatis exceſſu præter naturam, cæteris videlicet ſecundum naturæ leges ſe habentibus; erit ergo ex æquo iſta quantitas ſanguinis in omnibus vaſis pro ratione

horum

horum amplitudinis; Quare ſuperabundabit etiam ſanguis in arteria coronaria, ejuſque propaginibus per univerſum cor diſtributis; & ibidem pro ratione auctæ copiæ ſanguinis, copioſius erit, quod ab ipſo evaporat, ſic enim fert naturalis conſtitutio; & iſtud ſpirabile auctum excitare poteſt frequentiorem ſpirituum influxum in cor ex tertia, ergo ex eadem tertia manifeſtum eſt, quod propoſitum fuerat.

PROPOSITIO XI.

THEOREMA XI.

Vitium ſanguinis in præciſo defectu quantitatis augere poteſt fluxilitatem laticis nervei.

NAm pro ratione defectus imminui poteſt liquidum nerveum, quod a quantitate majore ſanguinis uberiùs in ſtatu naturali derivabatur in glandulas corticis cerebri, ideoque tunc minùs conferctis componetur particulis, quare liberiùs per anguſtiſſimos nervorum canales fluet, ſeù (quod idem eſt) ex hoc præciſo defectu augebitur ejuſdem fluxilitas, ut propoſui. Debet autem ea ſaltem remanere quantitas ſanguinis, quæ neceſſariam laticis nervei materiam omninò non deneget. Alioquin enim illicò mors ſequitur.

SCHOLIUM.

QUamquam vitium ſanguinis in defectu quantitatis rariſſimè contingat; ſicut è contra plerumque plectora vel ad vaſa, vel ad vires adeſt. Opus fuit nihilominùs iſtud etiam adnotaſſe, quod in annonæ cavitate miſerrimum vulgus quandoque affligit, febreſque inducit nullo artis præſidio curabiles, ut vidi multis ab hinc annis in urbe antiqua Tigulia, vulgò Rapallo, ubi pauperes a ruribus montanis in noſocomium delati, & fame conſumpti, & febre acuta correpti cum pulſu valdè frequenti, & parvo, nedùm ulliùs capaces erant auxilii, ſed neque alimenta ullactenùs tolerabant, nam his calor nativus jam omninò languidus facilimè ſuffocabatur.

CAPUT

CAPUT IV.

De ſanguinis vitiis in qualitate, ac motu prout ſunt cauſæ coniunctæ febrium aliorumque morborum.

TAmetſi qualitatis vitium generatim veteres nomine cacochimiæ intellexerint, hoc etiam nomine veniunt aliæ omnes qualitates morboſæ, quæ ab alteratione qualibet emergunt. Quamobrem hic primùm cacochimiam, deindè alterationem, qua ſanguis vel nimis fluidus, vel nimis conſiſtens, vel inæqualis fit, animadvertere debemus, prout ex his conſtituuntur cauſæ coniunctæ febrium, aliorumque morborum vel a febre pendentium, vel cum ipſa coniunctorum. Deinque vitia, quatenùs febrem pariunt, generatim perſtringere.

PROPOSITIO XII.

THEOREMA XII.

Cacochimia quælibet ultrà certos limites aucta, febris aliorumque morborum cauſa coniuncta fieri poteſt.

SIT enim aliquod ex miſcibilibus ſanguinis ab aliis diſgregatum; hoc ipſo igitur [ut ex terminis patet] inſenſibiles particulæ iſtius, quę cum aliis, itidem inſenſibilibus, aliorum generum permiſceri debuerant pro naturali cõpoſitione ſanguinis, in cohæſiones a recta mixtione alienas veniunt, conſtituuntque cacochimiam, ſivè ſuccum naturæ propriæ, ſenſibiliter diverſum a natura ſanguinis, cum ipſo quidem ſanguine confuſum, & unà ſimul fluentem per vaſa, ſed vi propria inſtructum, diſgregatum, ſivè [ut loquitur Hipocrates] in ſe ipſo manentem, qui proindè ſui ſenſum a naturali commoderatione alienum in corde, aliiſque partibus ſenſitivis excitare poterit, ſeù [quod idem eſt] ſtimulare, vel quomodocumque ſpeciem impetus naturali majoris incutere pro ratione ſuæ vis, eademque ratione febrem inducere, ut jam ex communi conceptu conſtat, nedùm in hypotheſi Laurentii Bellini, ſed generatim etiam in qualibet hypotheſi.

Præte-

Prætereà ſi extranei unius, vel plurium hujuſmodi ſuccorum particulæ diverſa gravitate ſpecifica inſtructæ ſint, aut nullatenùs ad æquilibrium, ſanguinis mixtioni conveniens, comparatæ, hoc ipſo jam neceſſariò, vel magis, vel minùs graves erunt, quam proba ſanguinis mixtio exigat, ex hypotheſi; quæque ideò majorem habebunt gravitatem ſpecificam, in minimis vaſorum propaginibus, ubi minima viget vis cordis, neceſſariò ſubſidebunt, ſi reſiſtentia earum ibidem ſit major illa minima vi cordis impellente, ut ex pronunciatis phyſicis patet; quarè in minimis vaſis ſubſidentes, &, unà cum ſupervenientibus aliis cohærentes, obſtruent vaſa, poteruntque etiam tumores varii generis paulatim producere vel ſinceros, vel mixtos, proùt ſinceræ, vel mitxæ fuerint coherentes illæ particulæ, indeque per conſequens emergent etiam alii morbi, qui ex iſtis tumoribus pendere ſolent, pro varietatæ locorum, ubi congeſtiones iſtæ, aut tumores fiunt, nec non prò variis preſſionibus, expreſſionibus, & derivationibus humorum, aliiſve præter naturam effectibus. Quæ verò ex præfatis particulis minorem habebunt gravitatē ſpecificam, exprimi ab aliis poterunt, & ad ſolidas partes ſentienties protrudi, ac vel eaſdem ſtimulare, vel iiſdem incutere impetum naturali majorem, ac febres propptereà inducere, ut ex ſuperioribus conſtat, vel etiam cum aliis varii generis effluviis a ſanguine, aut ſuccis glandularum emanantibus, uniri, & unà ſimul coherendo puſtulas inflammationes eriſipelatodes, alioſque hujuſmodi morbos conſtituere, a quibus febrem rursùs per irritationem partium fieri poſſe conſtat ex ſuperioribus in hypotheſi Laurentii Bellini, & in qualibet etiam, ut in ſequenti Scholio.

SCHOLIUM.

QUę Doctiſſimus Laurentius Bellini de ſtimulis generatim docuit, quæquè inde propoſitione IV. de febribus deduxit, explicans quomodò ſtimuli vis febrem inducat, generatim, & facillimè in qualibet hypotheſi percipiuntur, etiamſi doctrinam illius de liquido per nervos omittamus; palàm eſt enim ex quarta, hujus quamlibet vim naturæ infenſam neceſſariò excitare naturam ipſam, ut pro ſuis viribus noxiæ illi vi contranitatur, & nedùm quidem prima neceſſitate ibidem expoſita, ſed etiam neceſſitate mechanica, nam quælibet vis præter naturam agens in partes nerveas neceſſariò aut in ipſas nititur, aut ipſas movet [in hoc enim actio quælibet univerſæ naturæ corporeæ conſiſtit ex pronunciantis phyſicis] niſus autem: aut motus iſte præter naturam, ſpiritibus incluſis, & ad contactum fibrillarum quarumibet interiùs poſitis, atque continuata ſerie per totum ſiſtema nerveum

nerveum conſpirabile neceſſariò communicatur ex legibus motus; ergo neceſſitate mechanica movebuntur hi motu præter naturam per totum ſiſtema ſenſitivum, & per conſequens ad fibras etiam cordis; idque contingent etiam abſque ullo ſenſu doloris, ubi ea non fit partium ſolidarum divulſio, aut diſtenſio, quæ dolorem conſtituat, ut ex ſecunda hujus patet.

PROPOSITIO XIII.

THEOREMA XIII.

Sanguis nimis fluxilis poteſt eſſe cauſa coniuncta febrium.

NAM in ſanguine nimis fluxili minor [quod idem eſt] cohæſio minimarum particularum, quibus ipſe componitur, adeſt; ac per conſequens liquidum nerveum, quod ab ipſo in glandulis cerebri ſeparatur, particulis quoque minùs cohærentibus ſeù fluxilioribus conſtabit, ſpirituſque ideò erunt liberiores, quare fluent frequentiùs in nervos, & per hos in cor, undè febris ex ſeptima.

Sed & ex ſanguine nimis fluxili faciliùs ſolvetur, & erumpet calor, magiſque ideò, quam in ſtatu naturali partes ſenſu præditas feriet, undè febris ex prima. Quarè bifariam patet propoſitio.

PROPOSITIO XIV.

THEOREMA XIV.

Sanguis minùs fluxilis, quam in ſtatu naturali fieri poteſt cauſa coniuncta febrium.

SIT enim ſanguis minùs fluxilis, ſeù (quod idem eſt) aucta ſit cohæſio particularum ipſius: Ergo materia humorum per glandulas excernendorum ſolutioni magis reſiſtet, nam reſiſtentia proportione reſpondet cohæſioni auctæ particularum iſtius materiæ ſolvendæ, ut ex terminis patet; ergo minor dato tempore ſecernetur quantitas humorum per glandulas, quam in ſtatu naturali, & [quod idem eſt] remanebit in ſanguine major iſtorum quantitas, infarciens

magis vaſa, diſtendenſque ideò magis arterias omnes, ac per conſequens illas, quæ ad contactum glandularum cerebri ſunt diſtributæ, undè major fiet iſtarum preſſio magis propterea urgens laticem nerveum per nervum cardiacum in cor, indeque febris emergere poterit, ut oſtendit Laurentius Bellini.

Quod ſi ſanguinis lentor cum ſiccitate coniungatur, calor acrior effluet ab arteriis, utpotè liber a compeſcentibus particulis humidis, qui proindè partibus ſentientibus, & fibris etiam cordis ſenſum naturali majorem excitabit, unde febris ex prima; præterquamquòd ſpiritus etiam liberiores ob imminutum humidum eorũ retinaculum majore impetu, & frequentiùs fluent per nervos, & per conſequens etiam in cor, undè alio de nomine febris ex ſeptima.

PROPOSITIO XV.

Idem aliter demonſtrare.

SIT ſanguis quolibet lentore præter naturam vitiatus: Palam eſt fore ut pro lentoris ratione magis reſiſtat motui circulari per vaſa minima, ut ex phyſicis, & ex propoſitione 33. de homine luculenter infertur; ergo ſanguis ſuccedens inveniet reſiſtentiam naturali majorem, eademque ſucceſſivè militabit ratio uſque ad cor; quamobrem vis major requiretur ad majorem illam ſuperandam reſiſtentiam; & quia in ſtatu naturali ſingulæ pulſationes cordis validiſſimæ ſunt, ut ex demonſtrationibus Doctiſſimi Alphonſi Borelli, & autopſia ipſa conſtat, ergo major vis illa requiſita cordis ad reſiſtentiam naturali majorem ſuperandam non alia ratione haberi poteſt niſi per multiplicatione pulſationum, ſeù [quod idem eſt] per frequentiorem pulſum, ut ex terminis patet; in hoc autem febris conſiſtit ex ſuperoribus, ergo a præfata cauſa febris proximè oritur, ut propoſitum fuerat.

PRO-

PROPOSITIO XVI.

THEOREMA XV.

Sanguis inæqualiter fluxilis cauſa febrium coniuncta fieri poteſt.

NAM ſi ſanguis aliqua in parte ſit fluxilior, & aliqua ex parte minùs fluxilis, partim ea ſequentur, quæ XIIJ. expoſui, partim ea, quæ XIV., & XV. ex quibus ideò manifeſta eſt propoſitio.

PROPOSITIO XVII.

THEOREMA XVI.

Cæteræ qualitates noxiæ, ac producta omnia, quæ à vitiata ſanguinis craſi emergunt, ea generali ratione febrem accendunt, qua ſpiritus agitant.

PAtet autem propoſitio ex ſuperioribus Capitibus, & ex Prop. XII., nam cæteræ qualitates omnes præter naturam, & noxia quælibet a vitiata ſanguinis craſi per motum quemvis particularum ejus producta, eo ipſo, quod naturam lædunt, admota partibus ſentientibus, & ipſi etiam cordi, ſenſum ſui excitant a naturali commoderatione alienum, & (quod idem eſt) ſpirituum motum augent, febremque ideò inducunt.

SCHOLIUM.

IN hoc cenſu comprehenduntur quoque venena ingenita, & vermes; Jam verò luculenter deducitur, quomodò febrium cauſæ fiant nedum vitia circularis motus in exceſſu, vel defectu, vel inæqualitate fluxilitatis præcisè conſiſtentia, ſed & vitia quoque inſenſibilis motus inteſtini particularum ſanguinis, undè generatim dependent omnia, quæ in hac propoſitione innui, quæque in pathologia generali fusè ſunt expoſita. Supereſt ſpeciatim auctum, & ſenſibi-

lem particularum ſanguinis motum, quatenùs cauſa febris, aliorumque morborum eſt, breviter explicare.

PROPOSITIO XVIII.

THEOREMA XVII.

Sanguinis motus inteſtinus adeò auctus, ut ferveat, & rareſcat ejuſdem maſſa, febris, aliorumque morborum cauſa coniuncta eſt.

DEducitur luculenter propoſitio ex 14., nedum equidem ex demonſtratione ibidem adnotata Laurentii Bellini [nam ſanguis rareſcens in arteriis quoque piæ matris, eaſque neceſſariò magis quam par eſt diſtendens, preſſione majore urget liquidum per nervos in cor] ſed etiam quia fervor ſanguinis præter naturam cor ſtimulat.

Præterea ubicumque vaſa minima debilia fervor ſanguinis plus diſtendit, quam ut contrahi poſſint, neceſſariò alios morbos hoc denomine parit, inflammationes videlicet, ſacros ignes, aut varii generis tumores, pro varia temperie, ac mixtione ferventis ſanguinis, hemorragias quoque, ac hemoptiſes eadem ratione inducere poteſt; quæ omnia clarè percipiuntur ex ſuperioribus, & ex pathologia generali.

CAPUT V.

De perſpiratione, ac ſecretionibus quatenus febrium cauſas coniunctas conſtituunt.

HActenùs de vitiis in qualitate, ac de vitiis in motu ſanguinis primi generis, dictum eſt ſatis; nunc vitia perſpirationis (motus videlicet ſecundi generis in pathologia expoſiti) prout ad pyretologiam pertinent, animadvertenda ſunt, ſicut vitia quoque ſecretionum in glandulis.

PROPOSITIO XIX.

THEOREMA XVIII.

Omnia vitia in motu perſpirationis cauſam coniunctam febrium conſtituere poſſunt.

PAlàm eſt, atque in omni quidem hypotheſi ratum: Vitam noſtram flammæ analogam eſſe, flammamque vitalem corporis humani conſiſtere in motibus, quibus congruæ particulæ regenerati ſanguinis ad reparationem humidi radicalis, actioneſque naturales neceſſariæ, digerantur, & apponantur ſolidis partibus loco earum, quæ conſumuntur; incongruæ verò ab eodem ſanguine perſpiratæ depellantur; quemadmodum fieri cernimus in flamma vulgari, pabulum accipiente a congruis particulis ipſam inſtaurare aptis, fumum verò, halituſque incongruos excernente. His poſitis, & ex phyſiologia ratis, hoc ipſo flamma vitalis in vitio erit, ſi motus iſti a naturæ legibus declinaverint, ut ex terminis patet. Quoniam itaque omnia vitia, quæ in motu perſpirationis contingere poſſunt, in hoc neceſſariò conveniant, quod a naturæ legibus declinent, eamque per conſequens lædant ex pathologicis eo ipſo, quod vitia ſunt, ut ex terminis quoque patet. Manifeſtum eſt nedùm ex antecedentibus propoſitionibus, ſed ex 17., & Scholio hæc omnia vitia naturam lædentia febrem accendere poſſe, ut generatim demonſtrandum erat. Sed ſingillatim quoque id oſtendam in ſequentibus.

PROPOSITIO XX.

PROBLEMA I.

Quomodò primum vitium perſpirationis febrem inferat explicare.

OPeræ pretium eſt hic inprimis reminiſci ſumma genera vitiorum, quæ in perſpiratione ſanguinis contingunt, & ea recolere, quæ cap. 2. pathologiæ prop. 2. & 22. innui. Generatim itaque motus perſpirationis trifariam a naturæ legibus recedit. Primò, ſi particulæ incongruæ ſanguinis, quæ ab ipſo effluere, ac extra corpus

pus tranſpirare debent, in ipſius maſſa, vel in interſtitiis vaſorum, & fibrarum, vel (uno verbo) intrà corpus remaneant. Secundò, ſi culpa ſanguinis particulæ hujuſmodi adeò ſuperabundent, ut, etiam ſi tranſpiratio conſueta non deficiat, intus tamen remaneant etiam incongrua ſpirabilia, copioſiùs, quam par eſt, emergentia, ut fumus in flamma vulgari lignis viridibus accenſa. Tertiò, ſi nedùm ſuperfluentes, atque hoc tantùm de nomine incongruæ ſint, ſed etiam qualitate polleant ſenſitivas partes irritante, vel quomodolibet naturæ infenſa.

His poſitis jam clarè intelligitur quomodò primum vitium febrem accendere poſſit; manifeſtum eſt enim detentas in ſanguine illas particulas pro ratione multitudinis ipſum infarcire, ac plenitudinem, aut lentorem conſtituere, undè febris emergere poteſt ex ſuperioribus, detentas item in interſtitiis fibrarum, ubicumque velis, ipſas præter naturam premere, ſenſumque ideò naturali majorem facere, undè nitantur illas excutere, quæ cum ad extrà expelli non poſſint, ſed remaneant intrà corpus ex hypotheſi, neceſſariò tandem intrà ſanguinis vaſa urgentur, ut patet ex anatomicis, ideoque cauſam febris præfatam fovent; quod ſi prætereà in interſtitiis fibrarum cordis cumulentur, febrem quoque inducere poſſunt ex quarta.

PROPOSITIO XXI.

PROBLEMA II.

Quomodò ſecundum perſpirationis vitium febres inferat.

Quoniam in ſecundo perſpirationis vitio, ità ſuperabundant particulæ ſpirabiles incongruæ, ut quamvis tranſpiratio non deficiat, multitudo tamen earum intus retinetur ex hypotheſi, palàm eſt iiſdem rationibus jam expoſitis febrem hinc fieri poſſe.

PRO-

PROPOSITIO XXII.

PROBLEMA III.

Cùr faciliùs ex tertio perſpirationis vitio febris oriatur.

QUod ſi particulæ illæ ſuperafluentes intùs retentæ ſint præterea inſtructæ qualitate quomodolibet partibus ſentientibus infenſa, palàm eſt nedùm ratione quantitatis excedentis inducere poſſe febrem, ſed etiam ratione qualitatis, ut ex 12, & Scholio, itemque ex 15. conſtat, faciliùs ergo ingeminata cauſa febris fiet. Poſſunt autem perſpirationes hujuſmodi adeò ſubtiles eſſe, ut citrà ſenſum doloris poros etiam nerveos penetrare valeant, ſpirituſque ipſos miris modis agitare, ut in malignis, ac venenatis omnibus morbis videmus.

PROPOSITIO XXIII.

PROBLEMA IV.

Quomodò humores a ſanguine ſecreti per glandulas, vel in aliis etiam partibus expreſſi, febrem proximè inferant explicare.

VItia ſecretionum per glandulas jam expoſita ſunt in pathologia generali, ſicuti expreſſiones omnes morboſæ in aliis partibus. Nunc adnotare ſupereſt quomodò humores a ſanguine præter naturam in glandulis ſecreti, vel etiam in aliis partibus expreſſi febrem proximè inferant. Id verò luculenter deducitur ex ſuperioribus, nam iſti humores, vel proximè ad contactum nervearum partium, ipſas pondere præciſo quantitatis præter naturam incumbentis, validè premere poſſunt, ſpirituſque incluſos per conſequens validè urgere; vel etiam vitio qualitatis eas irritare, ſpirituſque contentos hoc de nomine valdè agitare; vel tandem per intermedia ſpirata effluvia id efficere, ut ex antecedente.

CAPUT

CAPUT VI.

De cauſis antecedentibus internis, atque externis.

ANtecedentes cauſæ internæ ſunt, vel diſpoſitiones præviæ in ſolidis, ut temperamentum, habituſque totius corporis, & partium, de quibus in pathologia; vel diſpoſitiones in liquidis, ut Plethora, & cacochymia, quandò nondùm eò pervenit, ut cauſa proxima, & coniuncta fiat juxtà ea, quæ hactenùs dicta ſunt, ex quibus luculenter cauſæ antecedentes internæ intelliguntur. Quarè ſupereſt nunc externas tantummodò febrium cauſas [tametſi etiam in pathologia traditas] ulteriùs animadvertere.

PROPOSITIO XXIV.

PROBLEMA V.

Quomodò cauſæ externæ ſanguinis vitia promoveant, quomodò item proximè febrem inferant.

EX his, quæ in pathologia dixi cap. 2. ſect. 3. conſtat aerem ſanguinis vitia promovere *alteratione*: *preſſione*: & *expreſſione*: dictum eſt inſuper cæteras res neceſſarias, *non naturales*, dictas, vitiare poſſe ſanguinem, atque internas febrium cauſas parere, ſi quis improbè in his delinquat.

Sed prætereà poſſunt cauſæ externæ ſpiritus in motus febriles proximè urgere; ſic videmus in aere fervido corpora debilia, poſt diuturnam ſub Sole moram confeſtim, quandoque in febrem incidere, antequam ulla poſſit in ſanguine mutatio effatu digna fieri, ex qua tàm citò febris oriatur; cumque Solis æſtus, aeriſque fervor ſpiritus movere valeat, ea prorsùs ratione, qua in termometro cernimus hac de cauſa moveri ſpirituoſum liquidum, atque ex motu ſpirituum aucto febris dependeat ex ſuperioribus; manifeſtum eſt hac ratione ab hujuſmodi cauſa proximè oriri poſſe febrem. Similiter loquamur de motu improbo, labore, vigiliis, nimiis, ebrietate, ira, contentione animi, cæteriſque hujuſmodi.

Hic

Hic verò adnotare ſubeſt difficultatē ſophiſtarum quorundam, quos refert Franciſcus Vallefius olim negantes cauſarum hujuſmodi efficaciam, ut in libello Galeni de cauſis procatharticis videre eſt. Dicebant hi: quod ſi Sol per ſe cauſa febrium foret, in quemcumque hominem incideret hujuſmodi vis, febrem generaret; ſed ſi bis mille homines ſint in theatro conferctiſſimi, æſtivo tempore, ſub meridie, ſi ita ſors ferat, unum, vel alterum contingit febricitare, manentibus omnibus aliis a febre liberis; undè inferebant hujuſmodi cauſas febrem non inducere. Facilè tamen Galenus ſolvit hanc Sofiſtarum ratiunculam primò de differentiis febrium cap. 4., a Valeſio relatus libro 4. controverſiarum; Inquit enim: oportere toto hoc ſermone memoria repetere, quod nulla cauſarum ſine patientis aptitudine agere poteſt. Poſſunt itaque hæc ex natura ſua febre n facere, modo ſit in iis, qui perpeſſuri ſunt, diſpoſitio, idque conſtat ex pathologia generali propoſitione 5. 6. 7. 8., & 9.

PROPOSITIO XXV.

PROBLEMA VI.

Inter contenta in ventriculo, & inteſtinis, externas febrium, aliorumque morborum, cauſas ab internis diſtinguere.

HOC problema ex propoſitione 8., & ejuſdem Scholio reſolvitur. Patet enim ad internas cauſas pertinere quidquid a ſanguine per glandulas in ventriculum, & inteſtina derivatur, ut ſaliva; ſuccus glandularum ventriculi, & inteſtinorum; bilis; ſuccus pancreatis; tùm calor ab arteriis emanans, & ſpiritus animales a nervis; quæ omnia propoſitione 22., & 23. primæ partis de Homine ſunt expoſita; quæque ſi vitientur morbos ventriculi, & inteſtinorum inferre valent; ideòque ſi alicujus ex illis fluidis, aut plurium, aut omnium vitio morbi oriantur, illud vitium in cenſu cauſarum internarum reponitur. Cætera, quæ præcisè ab ingeſtis, atque extrinſecùs adveniunt ad cauſas externas referuntur. Quia verò hæc diſtinctio cauſarum apprimè neceſſaria eſt ad febrium tutam curationem in arte parva expoſitam. Ideò ſequentibus etiam propoſitionibus eſt confirmanda.

PROPOSITIO XXVI.

PROBLEMA VII.

An, & quomodò aer contentus in cavitate ventriculi, vel inteſtinorum, febres, alioſque morbos inducere poſſit.

AER contentus in cavitate ventriculi, & inteſtinorum vix poteſt quicquam præter naturam ibidem facere alteratione, preſſione, & expreſſione; ſolidarum enim partium iſtarum firma textura, muco interiùs munita, validè aeris contenti alterationi reſiſtit; nec præterea preſſio ulla effatu digna, & præter naturam ab aere contento fieri poteſt in iiſdem, quarum reſiſtentia ſuperat pondus ingeſtorum, longè majus pondere aeris.

Poteſt fortè atmoſphera ibidem vermium ova deponere, quæ ſi congruum nanciſcantur locum, & apto involvantur fomite, qui calore nativo non diſſipetur, vermes producunt, undè per ſtimulum dolores, & febres excitantur. Plerumque tamen in iſtis caſibus accedit fomes a cauſa interna, ex iis videlicet liquidis a ſanguine vitiato ſecretis, quæ in antecedente adnotavi, quæque ſi rectè ſe habeant, ac ab ingeſtis tantummodò, eorumdemque recrementis foveantur, vermes, raro febres pariunt, immò videmus tunc vermes obvolutos excrementis per alvum deiei abſque ulla præcedente, vel ſubſequente noxa, idque in me ipſo, & aliis obſervavi.

PROPOSITIO XXVII.

THEOREMA XIX.

Aer factitius, ſivè flatus præcisè a cibo, & potu immoderato dependens, poſt primam coctionem, digeſtionem, & fæcum excretionem citò evaneſcit, niſi novus error in ingeſtis committatur; flatus autem, qui, ceſſante ingeſtorum cauſa, perſeverant, ab interna cauſa dependent.

PRima pars manifeſta eſt ex hypotheſi; nam ſi præcisè ab ingeſtis aer factitius, flatuſve, ac ructus oriantur [cæteris videlicet bene

nè habentibus] palam eſt ex terminis, ablata omninò cauſa iſta poſt peractam concoctionem, digeſtionem chili, & fæcum excretionem, nec ampliùs renovata per alium errorem ingeſtorum, eos brevi ceſſaturos. Secunda verò pars ex prima evidenter deducitur; qui enim perſeverant, ceſſante vitio ingeſtorum, flatus, jam non dependent ex pura, & præciſa illa cauſa, quæ ampliùs non adeſt; ſupereſt igitur ut ab interna cauſa fiant. Itaque ructus, borboriſmos, cæteroſque hujuſmodi flatus, itemque diſpepſias, debilitates ventriculi, aliaſque hujuſmodi affectiones, ab aliqua, vel pluribus internarum cauſarum, quas innui ſuperiùs, proximè pendere neceſſe eſt, atque remotè ab aliquo ex vitiis ſanguinis ſuperiùs expoſitis, nam quæcumque cauſa interna in his generatim comprehenditur.

COROLLARIUM.

HInc deducitur manifeſtè ratio curandi affectiones iſtas per ablationem cauſarum internarum, proſpiciendo interim debilitati ventriculi, & inteſtinorum, omnibuſque læſionibus actionum earumdem partium; iis adhibitis remediis, quæ blandè quidem actiones ipſas adiuvent, ſine ulla tamen violentia, quæ irritare partes ipſas poſſit, impetumque cauſæ internæ augere.

SECTIO II.

De Differentiis Febrium.

OBvia eſt, ac omninò ſenſui perſpicua diviſio febrium a Doctiſſimo Laurentio Bellini expoſita, quam ideò, utpotè notiſſimam, eſſentiæ febrium indagandæ præmiſit, eamdem ego tanti Præceptoris diviſionem aſſumo faciliore methodo, poſtquam nota eſt eſſentia, in qua differentiæ omnes conveniunt.

CAPUT I.

De duobus ſummis generibus febrium, eorumque diviſionibus, ac de cauſarum utriuſque generis diſcrimine.

PRimùm autem iſte motus, quem febrem appellamus, bifariam omninò fit; aut enim a ſui principio uſque ad finem continuus

 eſt,

eſt, aut per intervalla deſinens, & recurrens; quarè duo ſumma genera ſunt febrium

Continua, & *Intermittens*.

quibus, ut innui febres omnes comprehenduntur, ita ut nulla dari, aut excogitari poſſit, quæ ſub uno, vel altero ex his non contineatur.

Continua eſt cujus motus nunquam per ullum tempus intermittit, donec omninò deſinat. *Intermittens* verò: cujus motus per intervalla deſinit, iterumque viciſſim per intervalla redit, donec omninò finiatur.

Continua eſt vel *eſſentialis*, vel *accidentalis*. Eſſentialis, vel ſimplex, vel compoſita, & utraque ab antiquis apud Avicennam *febris morbus* dicitur. Simplex continua eſt, cujus motus eſt ſimplex, ſeù nullis circuitibus alteratus. Continua compoſita ea dicitur, quæ ex ſe quidem continua eſt, ſed periodicis exacerbationibus componitur; diſtinguitur autem a periodica, quæ continua per accidens eſt, ſcilicet per ſubingreſſum paroxiſmorum, compoſita videlicet ex ſolis intermittentibus, quarum alter periodus recurrit, priore quidem remiſſo, ſed nondum deſinente; Quamobrem hanc non in cenſu continuarum [quas appellant ſynecas] ſed intermittentium compoſitarum comprehendo. Utraque verò vel eſt *ordinata*, ſi recurrat eodem ſervato temporis ordine; vel *vaga*, & *erratica*, ſi non ſervet eundem temporis ordinem; idemque dic de intermittentibus.

Simplices continuæ ſunt: *Ephemera legitima*: *Ephemera extenſa*: *Synochus ſimplex*: *Synochus putris*, *ſeù febris continens*: *Cauſus*, ſeù febris ardens ſine periodo.

Continuæ compoſitæ, ſeù ſynechæ, ſunt *cauſus periodica*, quæ tipum tertianæ habet, ad quam reducitur etiam *colliquans*: *Aſſodes*: & *elodes* a Sympthomatibus ita nuncupatæ. Huic finitima eſt tertiana continua. Sequitur quotidiana continua, ad quam reducuntur *Epiala*: *Syncopalis minuta*: *Syncopalis humoroſa*, ſic dictæ a Sympthomatibus. Tandem ex ordine adnumeratur quartana continua. Sed ad ſynechas quoque reducitur febris maligna, & peſtilens, ſi periodos exacerbationis habeat; ſin minùs e genere continuarum ſimplicium eſt; Reverà enim per omnia genera vagatur. Hic autem adnotandum eſt, quod ſuperiùs innui, ſynechas eſſentialiter eſſe continuas, quamquam ſuas exacerbationes periodicas habeant, ut capite 3. explicabo, ad differentiam compoſitarum intermittentium.

Altera ſequitur febris continua accidentalis, ſeù ſympthomatica ab Avicenna *febris accidens* nuncupata, eſt enim velut accidens ab alio morbo dependens, ut ab Eriſipelate, diciturque Eriſipelatodes, vel a *phlegmone* phlegmonodes, aut inflammatoria; & inter has re-

cenſen-

cenſentur *Typhodes*, & *lipiria*; recenſetur quoque lenta dependens ab obſtructione viſceris alicujus, ceù morbo principali. Ad hanc reducunt etiam nonnulli febrem variolarum, & morbillorum. Sed hæc ante variolàs, & morbillos inſurgens, a cauſa quidem ipſi febri, morbilliſque, ac variolis communi, magis propriè febris comitata dici poteſt, velut etiam adnumeratæ ſuperiùs febres, quando primariò gignuntur, & illum alium inferunt morbum, vel unà ſimul ab eadem cauſa interna utrique morbi fiunt.

Symptomatica febris quandoque componitur cum ſimplici continua eſſentiali, atque confuſæ tunc dicuntur ambæ, ſiquidem eodem tempore incipiunt, ſimulque durant adeò ut non diſtinguantur.

Aliud ſummum genus febrium conſtituit *intermittens*, quæ rurſus vel eſt ſimplex, vel compoſita. Simplex vel ſingulis diebus accedit, deſinitque relinquens corpus integrum, quæ *quotidiana*, & a Galeno *amphimerina* dicitur; vel alternis diebus, eſtque *tertiana*; vel quarta quoque die; *quartana*. Sunt etiam aliæ (rariores tamen) quæ plurium dierum intervallo recurrunt, ut *quintana*, & cæteræ pro ratione intervalli, *ordinatæ* quidem, ſi ſerveat eundem temporis ordinem, ſin minùs, *vagæ*, & *erraticæ*.

Compoſita, ſeù multiplex eſt vel dupla, vel tripla, vel quadrupla tertiana; dupla item, aut tripla quartana. Quotidiana verò intermittens nunquam multiplicari dicitur, ſed unica, eademque ſingulis diebus ceſſat, redditque, niſi continua fiat, vel cum alia diverſæ ſpeciei febre componatur, ut *hemitriteus*, ſeù *febris horrida* ex quotidiana continua, & tertiana intermittente compoſita.

Multiplices autem intermittentes dicuntur *ſubintrantes*, quandò alter invadit paroxiſmus antequam prior deſinat, qua ratione continuæ videntur, cum reverà tales eſſentialiter non ſint, ſed ex accidente, per anticipationem videlicet paroxiſmorum; *coalternæ* verò appellantur quando brevi a fine prioris invadit alter paroxiſmus.

Porrò febres omnes utriuſque generis hactenus expoſitæ vel ſunt legitimæ, vel nothæ: illæ ſunt, quæ omnes proprietates ſuæ ſpeciei habent; hæ, quæ non omnes, ſed aliquas tantum, propter quas ad illam quoque ſpeciem reducuntur.

His quoque planè omnibus adnotatis febribus competunt generalia diſcrimina, quæ omnibus morbis accidunt: Febres videlicet *magnæ*, vel *parvæ*, *longæ*, vel *breves*, *acutæ*, vel *cronicæ*, *boni*, vel *mali moris*, *læthales*, vel *ſalutares*, *epidemicæ*, vel *ſporadicæ*.

Jam verò ſequentibus capitibus febrium ſpecies ſingillatim expoſiturus aliquas propoſitiones præmittere operæ pretium duxi, quibus generale diſcrimen cauſæ proximæ febrium continuarum, & intermittentium innoteſcat.

PRO-

PROPOSITIO I.

THEOREMA I.

Quicquid in ſanguinis vaſis exiſtens, aut ab ipſis derivatum, febris continuæ cauſa proxima eſt, neceſſariò ſpirituum influxum in cor frequentiorem promovet continenter.

CAuſam internam, & proximam febrium omnium, vel ineſſe ſanguini, vel ab eodem derivari oſtenſum eſt ſectione antecedente; nunc aſſero quicquid aut in ſanguine exiſtens, aut ab ipſo derivatum, febris continuæ cauſa proxima eſt, neceſſariò promovere *continenter* ſpirituum influxum frequentiorem in cor. Patet autem propoſitio ex ipſa febris eſſentia, quæ conſiſtit in influxu frequentiore ſpirituum in cor. Quarè ad hoc ut febris continua ſit, neceſſe eſt continuum eſſe iſtum influxum frequentiorem, ut ex terminis evidens eſt, & per conſequens cauſa proxima undè febris continua dependet, quæcumque ſit, neceſſariò hunc influxum continuum facit, ſivè (quod idem eſt) *continenter* promovet, ut propoſitum fuerat.

PROPOSITIO II.

THEOREMA II.

Quicquid vel in ſanguine exiſtens, vel ab hoc derivatum febris intermittentis cauſa proxima eſt, non continenter, *ſed per intervalla movet.*

IDque omninò manifeſtum eſt ex lege Contrariorum, ex hypotheſi, ex definitione, atque ex terminis ipſis, nullus enim datur motus præter naturam, ſive febrilis, eo tempore, quo febris ceſſat, ſed tantum per intervalla redit.

SCHO-

SCHOLIUM.

Continuarum febrium eſſentialium cauſæ proximæ ſunt vitia ſanguinis per vaſa fluentis, vitia nimirùm in quantitate, qualitate, ac motu jam ſuperiùs expoſita, quæ continenter agunt, donec ab ipſa natura per artem adiuta ſuperentur. Eademque ratione continuas febres accidentales faciunt morbi partium ſolidarum febrem inducere apti, ut inflammatio, eriſipelas, &c. donec durant, ut ex dictis etiam, & ultrò patet. Nunc jam de intermittentium cauſis.

PROPOSITIO III.

PROBLEMA III.

Quomodò vitiata perſpiratio ſanguinis febres intermittentes efficiat explicare.

HOC idem problema pridem expoſitum, & breviter reſolutum in præmiſſa Epiſtola, ceù prodromo, nunc denuò, & cohærenter quidem repetere opus eſt, ut hujus opuſculi ordinem proſequar.

Jam ibidem innui, quod Nicolaus Stenon docuit in prodromo diſſertationis de ſolido intra ſolidum pag. mihi 33. videlicet: non reſpondere rationi, aut experientiæ illam opinionem, qua, in minimam quamlibet particulam corporis, venarum, & arteriarum extrema, deſinere creditur. *Sed ubique eſſe cavitates, in quas ſecretæ a ſanguine partes miſcentur fluido ipſius loci*, quod fluidum internum propriè appellat, capillaribus vaſis circumfuſum, ad differentiam fluidi interni communis, quod (pagina 32.) contineri dicit venis, arteriis, & limphaticis vaſis; itaque in cavitates partium ſolidarum ubique conſtructas emitti a ſanguine tenuiſſimas particulas, nutriendis partibus ſolidis apponi; pariterque in eaſdem cavitates relabi detritas particulas, ſanguini denuò reſtituendas, ut, illius ope, ad fluidum externum revehantur. Sed & iſtæ detritæ a ſolidis particulæ, atque aliæ ſubtiles a ſanguine manantes, nutritioni minùs aptæ, poſſunt etiam [ut alibi dixi] per meatus earumdem cavitatum viciſſim communicantium extrà corpus per tranſpirationem eliminari, abſque eo quod in ſanguinis vaſa denuò urgeantur, ſiquidem flamma vitalis quoquoversùm extrà ſanguinis vaſa diffunditur, &, quod ipſi non congruit, expellit, ut flamma vulgaris fumum.

His poſitis; quoniam in Pathologia oſtenſum eſt: vitiata craſi

cujuſ-

cujuſcumque liquidi, neceſſariò vitiari perſpirationem ejuſdem; idque [ut in prodromo præmiſſo innui] manifeſtiſſimum eſt ſenſibus ipſis, nam ex lacte, vino, & ſimilibus liquidis ſecundum craſim mutatis deprehendimus mutata etiam effluvia manare, guſtum, odoratum, cæteroſque ſenſus diverſa ſpecie moventia; immò experimur quoque, In ipſa perſpiratione febrili, cutis colorem mutari, & odoratum aliter affici, quam in ſtatu naturæ integro. Palam eſt igitur a ſanguine, per plectoram, aut cacochimiam a ſtatu naturali recedente, perſpirari quoque particulas degeneres, ac nutritioni minùs aptas, idque contingere pro ratione receſſus a ſtatu naturali, tametſi receſſus iſte non ad eum gradum pervenerit, ut jam actu fervent, vel quacumque alia ex rationibus expoſitis antecedente ſectione, motum ſpirituum frequentiorem in cor excitet, ceù [quod idem eſt] febrem accendat, ſed tantummodò cauſam febris antecedentem, ac remotam conſtituat. Interim verò ſi perſpiratio vitietur aliqua ex rationibus expoſitis in prop. 20., & in cavitatibus congeratur in majore proportione, quam ut poſſit extrà corpus tota, per ſeries cavitatum versùs periferiem diſtributas eliminari, neceſſariò tandem has cavitates infarciet, quæ magis diſpoſitæ ſunt, & ubi minor viget naturæ vis, obſtruenturque ideò meatus ipſarum, per quos liberè debuiſſet illa excurrere ſi minùs conferćta fuiſſet, ut ex legibus motus manifeſtiſſimum eſt; iis autem obſtructis, quæ retrò ſuccedunt cavitates, adveniente ſemper nova ejuſmodi perſpirationis materia, neceſſariò quoque replebuntur; & ſi ad contactum nervearum propaginum repletio iſta pervenerit, illaſque vel nimis premat, vel noxia qualitate ſtimulet, vel ſpeciem impetus naturali majoris incutiat, febrem neceſſariò excitabit rationibus expoſitis in quarta ſectionis antecedentis, & in Scholio duodecimæ. Cum verò ad hanc ſpirabilis materiæ collectionem, certum requiratur tempus, manifeſtum eſt ex dictis eo dato tempore febrem [expoſitis prop. 4. neceſſitatibus] fieri tandiù duraturam, donec frequentioribus cordis pulſibus accenſus calor collectam illam perſpirationis materiam conſumpſerit, quo peracto, ceſſabit equidem febris, ſed antecedens cauſa præfata, quæ ineſt ſanguini novam ſemper intrà datum tempus materiam perſpirationis illius morboſæ ſuppeditabit, recurretque ideò eâdem ratione febrilis paroxiſmus certo temporis intervallo, & ſic deinceps per alterna intervalla ceſſabunt, redibuntque alii paroxiſmi, fietque ita febris intermittens, cum frigore, vel ſine frigore, pro varietate ſpeciei ſentientibus partibus incuſſæ a varia perſpirationis vi. Et quoniam obſervatum ſemper fuit in tertianis febribus recurſum fieri 40. circiter horarum intervallo, hinc deducimus collectionem ſpirabilis materiæ febrilis in tertiana, hoc temporis intervallo fieri, quare non abſre

veteres

veteres a bile procedere tertianam docuerunt, ſiquidem particulæ bilis in minore ſunt proportione ad alias in ſanguine exiſtentes, melancolia excepta; ideòque in cacochimia bilioſa longum iſtud intervallum temporis requiritur, ad hoc ut ejus perſpiratio febrem excitatura coacervetur; ſicut longius adhuc requiritur in quartana febre, quæ ex melancolica perſpiratione pendet ad mentem veterum. Quotidiana verò, quam ex pituita fieri docent, quotidiè recurrit, quia major hujus humeris ad alios eſt proportio; atque propterea ejuſdem perſpiratio citiùs cumulatur.

Porrò ſi perſpiratio præfata cavitates duarum corporis partium ad contactum nervearum propaginum repleverit, obſtructis priùs meatibus, per quos extrà corpus debuerat eliminari, & hæc obſtructio præcedens diverſo tempore in illis partibus facta fuerit, palam eſt diverſo quoque tempore in ſuccedentibus cavitatibus interioribus, ad contactum nervearum partium poſitis, perſpirationem continuò manantem cumulatum iri, & ideò circuitus febrium compoſitos alternè proportionales temporibus illis futuros, ut in duplici tertiana, vel etiam triplici; ſimiliter diſcurras de quartanis compoſitis. Hæc autem compoſitio in quotidiana non fit, ſiquidem quotidiè recurrit, ideòque unica ſemper ad ſenſum eſt, quæ ad ſummum fieri poteſt continua, vel cum alia febre diverſi generis componi, ut in hemitriteo contingit.

PROPOSITIO IV.

Idem aliter.

SED & vitioſa perſpiratio, ut ſuprà in cavitatibus præfatis dato intervallo collecta, eaſque præ copia diſtrahens, aut qualitate noxia irritans excitat his de nominibus earum vim naturalis contractionis, adeò ut ipſam, quæ per meatus obſtructos obviarum cavitatum ed extrà pelli non poteſt, repellatur in vaſa obvia ſanguinis, motumque fluidi ætherei, ſivè nativi caloris, qui ab eodem ſanguine ad extrà diffundebatur, introrſum convertat, eademque actione unà ſimul repercuſſa, quæ a ſanguine ipſo perpetim eliminari debuerat, fuliginoſa materia, & nova iſta præter naturam intùs immiſſa, motum inteſtinum præter naturam, ſivè fervorem ſanguinis neceſſariò unà ſimul concitant, ex quo febris ex prop. 1. primæ ſectionis, tandiù quidem duratura donec fuliginoſa iſta materies aucto ipſo calore febrili diſgregetur, attenuetur, & conſumatur; quo peracto, remanens adhuc in ſanguine cauſa antecedens, undè vitioſa perſpiratio

emanat ex hypotheſi, dato iterùm eodem intervallo, hanc denuò in præfatis cavitatibus cumulandam ſuppeditabit, recurretque ideò febris vel ſimplex, vel compoſita, ut in antecedente.

SCHOLIUM.

QUæ hactenùs dicta ſunt, Hipocratis, & Galeni doctrinam conſequuntur, ut in prodromo præmiſſo propè finem videre eſt, atque ex his integra idea febrium intermittentium, necnon cauſarum earumdem habemus, itaut ſupervacaneum ſit de his inferiùs agere; nam cætera, quæ ad ipſas pertinent, luculenter deduci poſſunt ab expoſitione continuarum hujus generis, quæ periodos proportionales habent, ut inferiùs.

CAPUT II.

De Febribus continuis ſimplicibus.

PRimum autem febres continuæ ſimplices, earumque phænomena, & cauſæ ſunt exponendæ, nimirùm febris ephemera legitima, & extenſa; ſynochus ſimplex; febris continens; cauſus; hæctica.

Febris ephemera.

BIfariam hæc febris conſideratur, prout videlicet *eſſentialis* eſt, vel prout *accidentalis*, ac utraque rurſus, vel eſt legitima, quæ intra 24. horas deſinit, vel ſpuria, & extenſa, quæ ad triduum uſque durat.

Febris ephemera *morbus*, ſeù eſſentialis, & legitima quidem, eſt febris oriens a cauſa externa, ſeù evidente, ſolumque illius impetum retinens uſque ad terminum 24. horarum, abſque alia cauſa coniuncta, niſi ad aliam ſpeciem febris per antecedentem internam diſpoſitionem tranſmutetur. Ephemera item ſpuria, quæ ad triduum protenditur a cauſa etiam evidente oritur, neque cauſam coniunctam ſaltem effatu dignam habet præter majorem diſpoſitionem pro cuius ratione magis protenditur; niſi poſtmodum ad aliam ſpeciem febris tranſeat.

Ephemera verò febris *accidens* ab alio morbo dependet, externo tamen, & levi; fitque vel ex bubone, vel ex furunculo miti, & cutaneo, præſertim dum ſuppuratur, vel ex odontalgia, & hujuſmodi morbis

morbis levibus, vel ex levi conſtrictione meatuum a cauſa externa tranſpirationem prohibente, abſque alia cauſa interna, quæ meatus eoſdem obſtruat. Cauſæ evidentes, a quibus oritur febris ephemera *morbus*, ſunt æſtus aeris; mora ſub Sole; motus vehementes, & labores; hypocauſtum; vigiliæ; crapula; ebrietas; retentio excrementorum; ira; ſollicitudo; animi contentio; mæror, & ſimilia.

Phænomena ſunt pulſus, celer, frequens, magnus; capitis dolor cum calore tamen blando, & ſuavi, bono adſpectu, & abſque ſignis malis animalium functionum in ſemeiotice adnotatis, & hæc in utraque febre ephemera tàm eſſentiali, quàm accidentali.

Epiphænomena nulla obſervantur, niſi ad aliam ſpeciem febris tranſeat, terminatur plerumque molli ſudore.

Synochus ſimplex.

EST febris continua a cauſis externis excitata, quarum tamen motum concipit etiam antecedens plectora, & ejuſdem febris cauſa coniuncta ſit. Phænomena ſunt pulſus magnus, plenus, frequens, & æqualis; reſpiratio item naturali frequentior; venæ turgidæ, color plerumque rubicundus; calor non mordax, ſed mitis; urina paulò rubicundior naturali. *Homotona* ſynochus dicitur, quæ calorem, & pulſum æqualem a principio uſque ad finem tamquam proprium phænomenon habet. *Epacmaſtica* verò, quæ continuò, & æqualiter creſcit; *Paracmaſtica* tandem, quæ ſimili ratione decreſcit. Hæ quippe tres iſtius febris differentiæ ſunt.

Cauſa interna, ut innui, hujus febris eſt antecedens plectora, quæ poſt impetum a cauſis externis conceptum, ut in ephemera, per frequentiores pulſus neceſſariò majorem ſolvit calorem pro ratione copiæ, fitque hac ratione cauſa coniuncta, ut ex ſuperioribus; quamquam nec fervor, nec aliud vitium in ſanguine ſit; major autem, vel minor plectora proportione reſpondet triplici præfatæ differentiæ; nam ſi tanta ſit, ut per ipſam augeatur ſemper ſolutio caloris, fiet *epacmaſtica* febris, longum augumentum, breviſſimum ſtatum, ac declinationem pariter breviſſimam habens; at ſi ea tantum ſit ratio plectoræ, quæ ſemper eamdem caloris quantitatem ſolvat, erit febris *acmaſtica*, ſivè *homotona*, breviſſimum principium, & augumentum, ſtatum verò longum, & breviſſimam poſtmodum declinationem habens; tandem ſi minor ſit plectora, pro cujus ideò ratione minor ſemper ſolvatur calor, *paracmaſtica* erit febris, longum declinationis tempus habens reſpectu ad principium, augumentum, & ſtatum.

Epiphænomena in ſynocho ſimplici nulla, niſi ad aliam ſpeciem

 febris

febris tranſeat; terminatur autem, vel hemorragia, vel ſudore quarta die, aut ſeptima; ſi verò per omiſſas miſſiones ſanguinis ultrò protrahatur in aliam ſpeciem febris, inflammatoriā præſertim, deſinit.

Synochus putrida, ſeù febris continens eſſentialis.

EST febris continens acuta a ſanguinis vitio in quantitate, ac motu [ſi legitima ſit] dependens; &, ſi biliosa ſit, a vitio quoque in qualitate ortum ducens; legitimam appello eam, quam alij ſanguineam vocant, de qua Galenus loquitur 2. methodi cap. 1., itemq; 9. methodi cap. 3., & 5. Spuriam verò illam, quæ biliosa dicitur, & ad cauſum propè accedit; de qua loquitur Galenus 2. de differentiis febrium cap. 1., & 2. de criſibus cap. 6. legitima putris diſcriminatur a ſimplici expoſita ſuperiùs; tametſi enim utraque plectoram pro cauſa antecedente habeat, putrida tamen non a ſola, & præciſa plectora tamquam cauſa coniuncta fovetur; ſed inſuper a vitio ſanguinis in motu inteſtino particularum adaucto proficiſcitur, quo nedum incaleſcit, ſed ad putredinem tendit. Hujus quoque tres differentiæ ſunt ſuperiùs adnotatæ videlicet, vel epacmaſtica eſt, vel homotana, vel paracmaſtica, pro majore, vel minore vi cauſæ iſtius eadem ratione ſuperiùs allata.

Cauſæ externæ utriuſque ſynochi putridæ ſunt eædem, quæ ſuperiùs, & ſectione 1. fuerunt expoſitæ.

Phænomena ſunt initium ſine frigore, rigore, aut horrore; progreſſus caloris æqualis abſque ulla videlicet acceſſione, vel exacerbatione; calor acrior quam in ſimplici; pulſus magnus, vehemens, celer, frequens, inæqualis; reſpiratio frequens, & difficilis; dolor capitis; vigiliæ; ſitis; urina craſſa ſine ſedimento, aliquando turbata, quandoque in principio rubicunda, quandoque cruda, & alba. Ex his autem ſignis variis epiphænomena varia præſagire poſſumus, ut ex ſemeiotice.

Epiphænomena ingraveſcentis morbi ſunt vel inflammatio aliqua interna [quæ facilè ſuccedit niſi rectè curetur, immò etiam quandoque in principio cum ipſa coniungitur]vel peticulæ, aut etiam puſtulæ lividæ, ac nigræ, quando præſertim accedit conſtitutio aeris maligna, & alia inſuper, quæ de febre maligna exponentur.

Terminatur nonnumquam primo ſeptenario, plerumque autem ſecundo, &, quæ ſalutaris eſt, hemorragia, vel ſudore, vel urina copioſa, & concocta. Quæ autem læthalis eſt in abſceſſum aliquem internum deſinit.

Synochus

Synochus putris accidens; comitata; vel confuſa.

DIcitur accidens, quæ ab inflammatione interna priùs genita dependet, ut pleuritide, peripneumonia, & hujuſmodi aliis. Quæ verò unà ſimul cum inflammatione gignitur *comitata* nuncupatur. Quæ tandem ſuperveniente inflammatione, iterum producitur, & cum eadem, quæ prius genita fuerat, componitur, *confuſa* nuncupatur. Adſunt autem in hiſce omnibus phænomena inflammatæ partis, vel antecedentia, ſi febris hinc dependeat, vel unà ſimul, ſi *comitata* ſit, vel ſubſequentia (quæ propria ſunt epiphænomena) ſi ſuperveniens inflammatio febrem augens ipſam cum priore confundat. Terminatur autem per ſuppurationem, & mortem niſi prompta, larga, & repetita quinquies, vel ampliùs miſſione ſanguinis inflammatio reſolvatur. Inter hujuſmodi febres continuas recenſentur etiam

Cauſus, ſivè Febris ardens ſine periodo, & aliæ ad hoc genus pertinentes.

CAuſus autem legitima eſt febris continua, & acuta ſine periodis a motu aucto, & ebullitione particularum ſanguinis dependens; diſtinguitur a ſynocho putrida, quatenus in febre ardente ſanguis ad uſtionem potiùs, quam ad putredinem tendit, atque hæc duo habet phænomena propria: calorem urentem, & ſitim ineſtinguibilem, quæ manifeſtè oſtendunt cauſam internam antecedentem fuiſſe non ſolam plectoram, ſed apparatum inſuper ignearum particularum, ſivè [ut majores noſtri loquuntur] cacochimiam bilioſam, quæ, per adventum cauſarum evidentium expoſitarum ſuperiùs, in motum fervoris, ſivè ebullitionis citata, jam facta eſt cauſa coninncta, undè febris ardens proximè dependet.

Apparent in iſta vel ſtatim, ceù phænomena, vel poſtmodum, ut epiphænomena. Linguæ ariditas, & ſcabrities: rubor ejuſdem intenſus ad nigrum vergens: quandoque nigredo integra, & alia epiphænomena inferiùs adnotanda, quæ ſpecies alias febrium ad hoc genus pertinentium oſtendunt.

Terminatur non raró ad ſalutem, ſi duo adhibeantur opportuna remedia Galeni, videlicet ſanguinis miſſio [non uſque ad animi deliquium, ut ipſe inquit] ſed larga tamen, & repetita; nec non frigidæ potus, nam deferventе ſanguine ſuccedit ſudor, & copioſa tranſpiratio: Rigor autem [ut docet Hipocrates 4. aphoriſm. 58.] proximam hujus febris ſolutionem ſignificat mutata enim perſpiratio,

quæ

quæ ſenſum iſtum membranis incutit, mutationem ſanguinis jam deferventis clarè oſtendit.

Læthalis verò cauſus plerumque ſenibus eſt, nec non habitibus denſis, ac temperamentis frigidis, ubi magnus eſt a conſtitutione naturali receſſus; & præſertim hyemali tempore, nam hæc omnia ſalutarem præfatum terminum impediunt.

Ad cauſum quoque, ut innui, reducuntur mox adnotandæ febres, quæ per phænomena, & epiphænomena propria innoteſcunt. Videlicet

Primò Febris colliquativa.

QUando ſtatim ſupervenit inſignis macies, fundente calore pinguedinem, partiumque ſolidarum ſubſtantiam, quæ liqueſcens per ſudores, urinas, aut per malos alvi fluxus conſumitur; & conſequuntur epiphænomena faciei corruptæ adnotata in ſemeiotice, ubi de aſpectu ægrotantium. Huic autem Galenus malignam ſæpè, ac peſtilentem qualitatem coniungi docet comm. in tertium epid. ſect. 3.

Supervenire ſolet etiam hæc liquatio nedum ardenti periodicæ, atque ſynechæ tertianæ capite inferiori exponendis, ſed & ſynocho putridæ ſuperiùs expoſitæ, nam ardentes quoque ſunt cum ardor fundens adſit; faciliùs autem ſi (ad mentem Galeni) calori ardenti coniungantur effluvia quæcumque maligna unà ſimul cum eo inter ſubſtantiæ ſolidæ particulas inſinuata, ipſaſque in fluxum fundentia. Hujus generis eſt liquans per ſudores, diciturque

Febris elodes

CUjus nimirùm phænomenon proprium [præter generalia ſuperiùs adnotata] eſt perpetuus ſudor, & ad ardentem colliquativam refertur, ſiquidem ardoris interni, & ſitis phænomena in principio, adſunt cum ſignis faciei corruptæ, ſubſequiturque inſignis macies: reducitur item ad genus ardentium.

Febris Aſſodes.

CUjus phænomæna ſunt (præter ſitim extremam, & calorem urentem) jactatio, & inquietudo, plerumque vomitus, vel nauſea inſignis, aliæ verò ſunt ſpecies febrium, quæ ad cauſum referuntur

runtur a morbis primariis ortæ, vel iis unà ſimul comitatæ, ut *Typhodes*, *Crypodes*, & *Lypiria*.

Typhodes.

IDeſt ſuccedens, quæ ab hepatis eriſipelate fovetur.

Crypodes.

QUæ ab eriſipelate pulmonum, & in his calor adhuc magis accenditur, in Typhode quidem æſtus in dextero hypocondrio, dolor tactu etiam levi excitatus, & reſpiratio difficilis adeſt, incidente, dum inſpiratio fit, in viſcus dolens diaphragmate. In Crypode autem tuſſis ſicca, reſpiratio valdè magna cum anxietate, fervens enim ſanguis in pulmonibus, difficile, nec ſine magna, & crebra reſpiratione urgeri poteſt per vaſa pulmonaria anxio interim ægro per ſenſum æſtus illius moleſtiſſimi. Denique

Lypiria.

QUÆ vel ab inflammatione, potiſſimum Eriſipelate, ventriculi dependet, ac tunc *accidens* eſt, vel primariò ingruens cum ipſa eadem inflammatione jungitur, & *comitata* dicitur. Utriuſque autem phænomena propria (præter jam dicta communia) ſunt: frigus externarum partium, & uſtio internarum, pulſus parvi, & quandoque lypothimiæ, ob conſenſum nervorum inflammati ſthomaci cum cardiaco, quarè languens cordis actio non adeò viget, ut ad ſummas arterias exteriores propellere valeat ſanguinem, undè calor exteriùs diffundi debuerat, ideoque frigent exteriora.

Febris hectica.

INter ſimplices continuas etiam adnumeratur, cujus calor accenſus in ſolidis partibus, earum humidum depaſcitur. Hujus autem tres gradus diſtinguuntur; primus eſt quo abſumitur *ros*; ſecundus, quo *cambium*; tertius, quo *glutem*. Galenus in ſecundo gradu nedùm ad ipſas, ſed & carnoſas; in tertio membraneas, & fibroſas, ſeù (quod idem eſt) ſolidas particulas abripi docet. Iſta febris, vel *morbus*

cus eſt, vel accidens; morbus dicitur quando primariò invadit, antequam alius morbus adſit a quo dependeat; ac tametſi rariſſimè contingat, neque hanc me umquam vidiſſe meminerim; fieri nihilominùs poteſt in habitibus gracilibus, temperamento calidioribus, ſi adveniant cauſæ humidam ſubſtantiam partium ſolidarum abſumentes, ut evacuationes immoderatæ; labores, triſtitia diuturna; curæ; inedia, quæ [ut ait Galenus] Diatricarios, ob abſtinentiam cibi triduanam in febres heticas perduxit. In his enim caſibus partes ſenſitivæ calidiore ſanguine irrorari aſſueſcunt, itaut naturalis ille ſenſus caloris per aſſuetudinem ſenſim, & ſine ſenſu creſcat, nec propterea eum impetus exceſſum ſpiritus concipiant, quo aliæ ſpecies febrium excitari, ſuperiore ſectione oſtendi, ſed gradatim partes ſolidæ incaleſcunt, inciditque æger in febrem habitualem, priuſquam febrire ſe ſentiat.

Plerumque autem febris hectica morbus eſt ſecondarius, & Deuteropathicus, aliis videlicet febribus ſuccedens; cujuſmodi eſt, quæ febribus colliquativis ſupervenit, *maraſmodes* dicta; vel etiam, quæ peſtilentes febres conſequitur, hectica *peſtilens* nuncupata. Iſtæ autem ſunt morbi Deuteropathici, nam, vel ceſſante priore morbo, perſeverant.

Hectica verò *accidens* ab alio videlicet morbo dependens in praxi ſæpè obſervatur: in ulceribus pulmonum, uteri, renum, aliarumque internarum partium.

Phænomena cujuslibet incipientis hecticæ, ſeù primi gradus obſcura ſunt, ac obſervatu difficilia, nam, ut innui, ſenſim & ſine ſenſu irrepit, vel inſcio ægrotante ipſo; veruntamen calor adeſt primo quidem altactu mitis, diutiùs autem protracto acer, præſertim in arteriis, pulſus parvus naturali frequentior, & æqualis, quorum ſanè phænomenon neceſſitas a præfatis cauſis luculenter percipitur. Frequentia verò pulſus adeò parva eſt, ut nedum eam imperiti a naturali non diſtinguant, ſed & periti non ſine animadverſione acuratiſſima diſcernant. Calor, & frequentia pulſus ab aſſumpto cibo ſemper augentur per totum tempus, quo chilus diſtribuitur, deindè ad priſtinum gradum redeunt, nullum præcedit frigus, non oſcitatio, aut alia hujuſmodi phænomena, quæ in acceſſionibus febrium obſervantur, niſi fortè cum aliqua ex his complicetur. Urina eſt naturali ſimilis, intereà debilis æger in dies fit cum pigritia, deſidia, & motu difficili.

Porrò in hectica pulmonari, vel alia qualibet accidente, adſunt phænomena propria morborum, a quibus dependet, ut in pulmonari tuſſis, & ſputum purulentum, prægreſſa hemoptiſis, & ſic de aliis diſcurras, quæ morbos aliarum partium demonſtrant.

Epi-

Epiphænomena ſunt eadem ſigna, ſed magis conſpicua pro ratione aucti gradus, macies præſertim inſignis, in tertio gradu ad maraſmum fatalem pertendens.

CAPUT III.

De Febribus continuis Periodicis, ac de malignis.

IN diviſione ſuperiùs tradita febres ſynechas periodicas, per ſe quidem continuas, diſtinxi ab intermmittentibus compoſitis, quæ tantùm ex accidente continuæ apparent per ſubingreſſum paroſiſmorum. De his nil aliud adnotare ſubeſt, quam numerum, cæteroquin enim, quoad cauſam, & eſſentiam omninò ad intermittentes jam expoſitas pertinent. Nunc verò febres verè continuas, quæ unà ſimul periodicæ ſunt recenſeo; ipſaſque reverà dari perſpicuum eſt in ardente periodica, immò in ipſa ſynocho, quæ cum eſſentialiter continua ſit, ſuas tamen exacerbationes periodicas perſæpè habet. Sed & cum quibuslibet periodis componi poſſe febrem continuam generatim oſtendere operæ pretium eſt.

PROPOSITIO V.

THEOREMA II.

Qualibet poſita in ſanguinis vaſis cauſa coniuncta febris continuæ; cum ea iungi poteſt cauſa febris cujuslibet periodicæ ab eodem ſanguine ſpirata extra vaſa, & certo intervallo alicubi congeſta, qua periodus febris ſupervenientis producatur.

TOta propoſitio manifeſtiſſimè infertur ex tertia. Sit enim cauſa coniuncta febris continuę, vitium in quantitate, vel in qualitate, vel in motu, vel in horum aliquibus, vel in omnibus [ut quamlibet modo iſtius cauſam compræhendamus] palàm eſt jam, pro ratione

tione

tione receſſus a ſtatu naturali ſanguinis, ipſius perſpirationem quoque vitiari ex prop. 20. primæ ſectionis, & poſſe in cavitatibus prop. 3. expoſitis, eadem ratione congeri, donec periodicos motus ipſi febri continuæ ſuperaddat. Jam verò febres hujuſmodi breviter ordine incæpto exponamus.

Cauſus Periodica.

EST febris acuta, & continua manifeſtas quoque acceſſiones periodicas habens ſine rigore, aut frigore, cujus eadem ſunt phænomena, & epiphænomena, immò eadem eſt cauſa interna, & coniuncta, quæ cauſum ſine periodo facit, cum ſuperaddita perſpiratione fuliginoſa coacervata certo temporis intervallo in cavitatibus prop. 3. deſcriptis, periodos quoque febriles addente iiſdem rationibus ibidem, & ſequenti propoſitione 4. expoſitis. Fiunt autem periodi ſine frigore, aut rigore, quia prævalens fervor ſanguinis continuus urens vim ſuperat cujuslibet qualitatis, qua perſpiratio ſenſum frigoris cæteroquin poſſit nerveis partibus incutere.

Febris tertiana continua.

FInitima eſt ardenti præfatæ periodicæ, immò ad hoc etiam genus reducitur, eſt enim febris acuta, & continua mitior tamen, ab iiſdem cauſis orta, & iiſdem phænomenis, ac epiphænomenis [quamquam remiſſioribus] comitata. Simplex verò dicitur tertiana continua, quæ tertio quoque die ſuperadditas periodos habet; duplex, quæ quotidiè. Cauſa item periodorum, eadem perſpiratio eſt, ut in antecedente, ipſorumque ratio eadem, ut ex tertia, & quarta.

De hujuſmodi febre, quæ verè continua eſt, ac inſuper tertio quoque die exacerbatur, intelligendam arbitror Hipocratis doctrinam 4. aphoriſmorum 63. ubi ait: Febres quæcumque non *intermittentes*, tertia quoque die fortiores fiunt, periculoſæ.

Febris quotidiana continua.

EST febris continua, & acuta, quotidianas habens exacerbationes circà veſpertinas horas, abſque rigore, ac frigore affligens latente, atque abſcondito calore, undè Barbaris latica dicitur.

Diſtinguuntur autem quotidianæ continuæ periodi ab illis tertianæ

dsuplici

duplicis quotidiè quoque recurrentibus ; nam (ut docet Galenus 2. de diff. febr. cap. 7.) in febre tertiana duplici primus tertio proportione reſpondet, ſecundus quarto, at in quotidiana ſimillimi omnes ſunt, nec ulla diſſimilitudo, ut in tertiana duplici, obſervatur. Sed & alia phænomena propria, & cauſæ iſtius febris clariorem ſui ſpeciem faciunt; phænomena quippe propria ſunt : Calor primo attactu blandus ob humiditatem, ſed, attactu diutiùs protracto, acris ob latentem fervorem, qui tardiùs ſe prodit; contra verò in tertiana continua ſtatim acrior, & ſiccior eſt; pulſus in quotidiana continua inæqualis, minùs verò fræquens, quam in ardente, ac tertiana continua; ſitis etiam minor; anorexia; carnes laxæ; facies ſubtumida; ſomnolentia; urina primùm cruda, deinde craſſior, ſed minùs rubra, quæ omnia clarè oſtendunt cauſam coniunctam eſſe latentem fervorem in ſanguine humidiore concluſum; idem confirmant cauſæ antecedentes, ut humidum temperamentum, habitus corporis craſſus, & obęſus, cacochimia pituitoſa, quæ cum a pravo victus regimine aucta fuerit, ſupervenientibus aliis cauſis externis, pura extu aeris, aut ſyderum influxibus, ira, contentionibus animi, ebrietate, ac ſimilibus, jam tùm latentem præfatum fervorem concipit. Undè perſpiratio calida, & humida in cavitatibus carnium coacervata quotidianos motus, inſuper periodicos excitat ſine rigore, utpotè blanda, & ad hunc tremorem incutiendum inepta.

Epiphænomena ſunt quandoque animi deliquia, præſertim in periodorum principio, quæ peculiarem conſtituunt ſpeciem ſyncopalem dictam paulò poſt adnotandam; quandoque ſoporoſi affectus; parotides; ventris infimi tenſio, vel ab obſtructione, vel non raro ab alicujus tumoris principio dependens. Ad ultimum acutorum terminum protrahitur, & ulteriùs etiam excurrit, ſi obſtructio aliqua in infimo ventre perſiſtat, aut ſuperveniat; decidenſque tunc ab acutie morbus, in febrem lentam, cachexiam, & hydropem tranſit. Si autem non obſtructio ſimplex, ſed abſceſſus ibidem fiat, ad mortem terminatur, niſi fortè ad extra vergat abſceſſus circa muſculos abdominis factus, exitumque ſibi pariat, quo in caſu ſalutaris eſſe poteſt, ut anno 1679. obſervavi; ſimiliter ſi parotides prævalente jam natura emergant, ſalutares perſæpè ſunt, immò in his caſibus, tametſi tumor non ſuppuretur, per ſalivam non raro morbum ſolvit, ut & majores noſtri, & ego quoque vidi. Cæterum, ubi nec abſceſſus, nec obſtructiones adſunt, prævalente natura, per ſudorem, aut urinam, aut alvi fluxum hæc febris terminari ſolet. Ad ipſam quoque [ut innui] pertinet

Febris Syncopalis.

QUÆ duplex eſt: *humoroſa* videlicet, ac *minuta*. Prima dependet a copia pituitoſi humoris in ventriculo, undè ſthomaci debilitas, & ſenſus moleſtus. Altera verò a tenuiore ſucco acri, aut maligna qualitate imbuto; utraque autem de cauſa ſenſus moleſtus in ſthomaticis nervis excitatur, qui uſque ad cor per communicationem cardiaci nervi perductus, deliquium parit, ut fusè Doctiſſimus Laurentius Bellini expiicat. Reducitur etiam ad quotidianam.

Febris Epiolæ.

IN qua, ut inquit Galenus, æger unà ſimul calore, ac frigore affligitur, vel [ut opinatur Avicennas] interiora frigent, exteriora calent. Neutrum ex his phænomenis unquam obſervavi, nec deſunt inter majores noſtros, qui hanc febrem nunquam viderint, immò ipſam dari negent: ſi tamen unquam detur, impoſſibile non eſt eodem tempore ſenſum frigoris, & caloris ab ægro percipi diverſis partibus nerveis diverſimodè trementibus, ut fusè idem ſuperiùs citatus Author explicat, abſque eo quod interiora frigeſcant, ut opinantur Arabes, quod equidem ipſi vitæ repugnat. Hoc autem admirabile phænomenon in mea hypotheſi fieri poſſe patet ex perſpiratione ſuperiùs expoſita, ſi humidæ particulæ, atque igneæ, quibus illa componitur, adeò diſgregatæ ſint in ſingulis cavitatibus, quas implent, ut eodem tempore ſingulæ ſeorſim ſui ſenſum fibris nerveis incutiant, illæ quidem frigoris, hæ verò caloris. Sequitur

Febris Rheumatica.

QUÆ adſcribitur etiam quotidianæ, ac duplici ſpecie diſtinguitur; altera enim levis eſt, a temporum injuriis oriens transpiratione cohibita, ejuſque phænomena ſunt: gravedo: coriza: tuſſis humida non infra guttur irritans: tonſillarum infarctus humidus abſque inflammatione: calor mitis: pulſus parum a naturali diſtans, frequentior tamen: urina vel naturali ſimilis, vel cruda: recurſus quotidiani ſubintrantes abſque fervore ſanguinis effatu digno. Intra triduum quandoque deſinit, eſtque tunc ephemeræ ſpecies; at perſeverante poſtmodum rheumatica fluxione non raró ad 40. dies, & ultrà protenditur.

Altera

Altera verò ſpecies gravior eſt, ortum ducens ab antecedente Plectora, una ſimul cum humido infarctu, quæ motum fervoris concipiens a cauſis externis fit cauſa coniuncta iſtius febris cum phænomenis in quotidiana ſuperiùs adnotatis. Quando autem rheumatica fluxio, & ipſi analoga perſpiratio periodica membranam internam tracheæ occupat, ejuſque glandulas infarcit, humida tuſſis adeſt; excreatus in principio difficilis ob cruditatem; difficilis quoque reſpiratio pro ratione infarctus. Protrahitur uſque ad 40. dies, & ultra; & niſi congruis, ac repetitis venæ ſectionibus in principio curetur, quandoque in peripneumoniam ſpuriam, ſæpè in recidivas frequentes abit; tandemque pulmonum flaciditatem, ſeù tabem ſecundæ ſpeciei accerſit; hujus rei non deſunt exempla ſub hoc noſtro Januenſi cœlo rheumatico, quin immò, dùm in noſocomio curabam, vel me ſilente, obſervarunt alii fæliciſſimè curatas hujuſmodi febres per ſanguinis miſſiones opportunas, uſumque olei amigdalarum quotidie in pauca quantitate repetiti, aliaque hujuſmodi tutiſſima; dùm intereà, quæ in altera hujuſmodi xenodochii parte aliter curabantur nunquam integrè ceſſabant, ſed toto hyemis decurſu recidivas frequentes ægri patiebantur.

Quando autem ad exteriora vergit materia, tumidæque carnes apparent, rehumatiſmus a recentioribus appellatur, qui diutiùs etiam perſeverat, niſi largis, & repetitis venæ ſectionibus per urinam, aut ſudorem, ac tranſpirationem eliminanda materia diſponatur.

Poſt quotidianam continuam recenſenda eſt

Febris Hemitritæus, ſeù Phricodes, ac horrida nuncupata.

Quæ ex quotidiana continua, ac intermittente tertiana componitur ob miſcelam cauſarum utriuſque febris expoſitarum.

Hujus propria phænomena ſunt rigores, & horrores, præſertim verò dùm tertianæ paroxiſmus ingruit: tùm ephidroſis hoc eſt parvus ſudor in fine iſtius paroxiſmi abſque levamine: pulſus frequens, & inæqualis: urina tenuis, decolor, interdum turbata, nullum habens ſedimentum, aut [ſi aliquod adſit] craſſum, grave, ac malum. Læthalis ut plurimum eſt; nam epiphænomena ſuccedunt terrifica, ut affectiones oris ventriculi; ſudatiunculæ debilitantes, linguæ ſiccitas; quandoque ſyncopes, aliquando veternus; nonnumquam cataphora; ſæpè vigiliæ; non raro delirium. Quæ omnia ex cauſis utriuſque febris jam ſuperiùs expoſitis, & ex prava earundem perſpiratione luculenter deducuntur.

Plerum-

Plerumque hanc febrem ab inflammatione inteſtinorum, & meſenterii dependere, vel una ſimul cum ipſa jungi detexit Spigelius.

Raram hemitritæi ſpeciem Riverius obſervavit centuria 4. obſervatione 23. in qua bini quotidiè aderant paroxiſmi cũ rigore invadentes; & componentes quattuor tertianas; ſimilem ego quoque Juvenis vidi Benoniæ in Palatio Eminentiſſimi Cardinalis Gaſtaldi de latere Legati curatam feliciter a Celeberrimis Viris Alberto Fabri, & Marcello Malpighi; certò quidem ſcio bis in die cum rigore, aut horrore febrem illam proceſſiſſe, ac tertianam quadruplicem a Doctiſſimis Viris præfatis appellatam fuiſſe; integram verò hiſtoriam ſcribere memoria non ſuggerit.

Quartana continua.

Recenſetur quoque inter ſynechas periodicas, & acutas, cujus propria phænomena ſunt exacerbatio caloris 4. quoque die abſque frigore, aut horrore; tum remiſſio ſine ſudore, calor minùs acer, quam in tertiana, magis verò, quam in quotidiana; eademque ratione ſitis major, quam in hac, minor quam in illa; pulſus in principio tardus, minus frequens, & languidus, poſteà validior, crebrior, & inæqualis; urina in principio tenuis, poſtmodum varia. Epiphænomena ſunt magna virium dejectio, viſcerum obſtructiones, ac tumores, qui tametſi quandoque præcedant, ut de tumore lienis tradiderunt antiqui, non raro etiam ſuperveniunt. In hac enim febre præter cacochimiam melancolicam, ejuſque perſpirationem, ut in quartana intermittente, magnus adeſt infarctus in ſanguine a cauſis externis jam ſuperiùs expoſitis fervorem concipiens, & cauſam conjunctam ipſius conſtituens. Protrahitur ad 40. dies, & ultra, deſinit non raro in quartanam intermittentem, ſi ritè curetur in principio; ſin minus in cachexiam, aut etiam in tabem tranſit, quando tamen has metamorphoſes mors non prævenit. Hic adnotanda ſupereſt

Febris maligna.

Quæ tametſi ut plurimum ſynocha ſit, ſub ſpecie quoque periodicarum hactenùs expoſitarum non raro vagatur; immò etiam quandoque intermittens eſt, ut tertiana pernicioſa. In his enim omnibus venenum ingenitum produci poteſt, quod ad mentem omnium planè auctorum cauſa iſtius febris eſt.

Ex pathologia generali luculenter infertur, quid ſit febris maligna, & peſtilens, & ipſa peſtis, a veneno videlicet ingenito per cauſas ibidem expoſitas proximè dependens. Præthereà venenum illud a ſanguine magna ex parte corrupto ad ſolidarum uſque partium adyta, penetrare majores noſtri tradiderunt ad inſtar auræ; idque luculenter etiam intelligitur per ea, quæ de perſpiratione ſanguinis ibidem oſtendi; nam ab ejuſdem corruptione, ac perſpiratione per conſequens etiam corrupta, omnia dependere poſſe patet producta morboſa, toto genere a naturali conſtitutione aliena, omniaque ſimpthomata, phænomena, & epiphænomena, quæ majores noſtri, & nuper Laurentius Bellini fusè deſcripſerunt, quæque in ſemejotices recenſu breviter ſcripta ſunt juxtà Hypocratis doctrinam præſertim ubi de ſign s morbi maligni, & Læthalis, & ubi de aſpectu ægrotantium.

Intereà ſatis eſt in hoc ſumma breviter adnotare hanc febrem proprio phænomeno dignoſci a proſtratione ſcilicet virium abſque cauſa manifeſta, & ſub ſpecie benignæ febris, nam abdito potius motu ſubtilium particularum ſanguis corrumpitur, quam fervore manifeſto excandeſcat, ideoque calor mitis, pulſus, & urina in principio parum, aut nihil a naturali diſtans, cum inſigni tamen actionum præſertim naturalium, & animalium læſione, ut anorexia: nauſea cum lingua cænoſa, vel etiam livida; vomitu; frontis, ac cervicis doloribus vagis, vel fixis, cum præcordiorum anxietate, languore ſpirituum, quos maligna ſangninis perſpiratio, vel obruit, vel agitat, vel diſſipat.

Inter epiphænomena ſubſequitur pulſus frequens, parvus, debilis, peticulæ vel rubræ; vel lividæ; aliquando vibices, & exanthemata etiam livida, motus convulſivi, delirium convulſiones, vigiliæ, inflammationes internæ, parotides, urinæ tenues, quandoque confuſæ veluti jumentorum, non rarò deponentes craſſum ſedimentum farinaceum, furfureum, aut lamineum; fluxus alui colliquantes, fætidi, aliaque id genus in ſemejotice fuſiùs recenſita:

In peſtilentibus conſtitutionibus parotides, pubones, & antraces in principio morbi apparent cum dolore capitis antequam æger febrire ſe ſentiat, immò quandoque in corporibus malè diſpoſitis efferavis venenatæ perſpirationis cor ſtatim adoritur, & ſyncopem convulſivam, ſubitamque mortem infert, ut Hipocrates tradidit; vel pauco temporis intervallo perimit. velocitate ſuperans omne auxilium, apparente ſtatim facie livida, præcordiorum anxietate magna, paraphrenitide, languore, cordis, obtutu fixo, & caliginoſo, antequam alia ſuperveniant, ut nuper audivimus in peſte Maſſilienſi contigiſſe.

Cæte-

Cæterum qui ab antecedentibus cauſis non adeò male diſpoſiti ſunt, ut vis naturæ ſuperetur, & inducias det auxiliis, a peſte quoque liberari poſſunt. Sunt autem aliæ prætereà febres acutæ nedum ſporadicæ, ſed epidemicæ aliquibus phænomenis, & epiphænomenis malignarum febrium inſignes, quæ tamen ad gradum veræ malignitatis non perveniunt, ſed magna ex parte ad ſalutem terminantur niſi Medici temeritas morbi vires adaugeat.

Variolæ, ac morbilli.

NON rarò cum febre maligna, immò etiam epidemica, junguntur, quamquam ſæpè etiam cum febre ſalutari erumpant. Sunt autem variolæ, ac morbilli puſtulæ per univerſum corpus cum febre erumpentes; illæ majores varis perſimiles cum inflammatione ad ſuppurationem primo ſeptenario pervenientes, ac ſecundo ut plurimum exareſcentes; hi minores, ac perexigui cum intenſa rubedine citiùs, & intra primum ſeptenarium plerumque deſinentes abſque ſuppuratione; aliæ inſuper ſunt ſimiles variolis puſtulæ, quæ Italis *Rauaglione* dicuntur humore ſeroſo plenæ, ſine febre (ſaltem effatu digna] quæ citiùs, & abſque periculo diſrumpuntur, & exſiccantur.

Antequam variolæ veræ, ac morbilli erumpant febris acuta invadit cum pulſu valido, & frequenti, ſæpè cum dolore capitis pulſatorio in fronte, ac temporibus, nec non in dorſo ex iiſdem fortaſſe arteriarum validè pulſantium ictibus; ſomnolentia; inſomnia terrifica; quandoque delirium, & convulſivi motus febrem iſtam comitantur. Raucedo, ac tuſſis in morbillis præſertim, & ſpirandi difficultas, aliaque ſympthomata pro majore, vel minore vi cauſæ morboſæ obſervantur.

Sunt variolæ (idemque dicas de morbillis) vel *depurativæ*, in quibus partes tantummodò ſanguinis incongruæ mixtioni abſcedentes cum tumultu, [reſiſtentibus tamen aliis] prævalente natura expelluntur ad cutem, vel *corruptivæ*, in quibus ſanguis plùs, vel minus ad corruptionem tendit, læthales ideò, aut ſaltem periculoſæ. Depurativæ nedum ſalutares ſunt, ſed plerumque ſola victus ratione congrua curantur, quando febris ante eruptionem vehemens non eſt, nec ſanguinis miſſionem poſtulat, & quando præſertim erumpunt diſtinctæ humidæ, molles, faſtigiatæ, paucæ, ſolam cutem occupantes, febriſque tunc ceſſat, vel admodum imminuitur, ceſſantibus etiam, vel remiſſis omnibus ſymthomatis. Corruptivæ tardiùs erumpunt, multæ, depreſſæ, una ſimul complicitæ, ſive confluentes, duræ, ſiccæ,

lividæ,

lividæ, nigræ, maculis purpureis mixtæ, deficiente interim tumore faciei, qui a benignis variolis elevari ſolet, ſæviſque ſupervenientibus in progreſſu epiphænomenis, difficili nimirum reſpiratione, aphonia, raucedine, anxietate, delirio, alvi dejectionibus lividis, nigris, hemorragia, urinis item lividis, nigris, aliiſque hujuſmodi omninò læthalibus.

Ante variolarum utriuſque generis eruptionem, ſecta vena obſervavi non ſemel in educto ſanguine concreſcente interſtincta foraminula ſanguine non concreto ſed fluido plena, undè conieci hanc eſſe portionem corrupti humoris a reliqui ſanguinis mixtione ſejuncti, & memini quidem hoc viſo phænomeno me variolas erupturas prædixiſſe. Obſervavi quandoque rimas concretum ſanguinem interſtinguentes, præſertim ante morbillorum eruptionem; verumtamen phænomena iſta non ſemper vidi. Ex his verò etiam patet: febrem variolarum rectè dici comitatam potiùs quàm ſympthomaticam. Illud enim virus erupturum, & variolas conſtituturum, febrem etiam præcedentem excitat rationibus in ſectione prima expoſitis.

Inter febres hujuſmodi eadem ratione adnotatur coherenter

Febris Eriſipelatodes,

QUÆ ut plurimum ante Eriſipelatis eruptionem excitatur, non rarò cum ſomnolentia, delirio, anxietate, aliiſque ſævis ſympthomatibus, tunc enim cauſa eadem eſt & præcedentis febris, & erupturi Eriſipelatis, illud nimirùm fervens in ſanguine, atque ab ipſius mixtione alienum, quod natura expellere conatur; & propterea non ſympthomatica febris eſt, ſed vel eſſentialis, vel comitata. Hic verò has febres recenſendas duxi, quia in peſtilentibus quoque conſtitutionibus obſervantur.

CAPUT IV.

De Febre lenta, de affectione item hypocondriaca, & Febribus varijs ab ipſa oriundis.

FEbres lentæ omnes a latentibus plerumque obſtructionibus dependent. Inter has frequentiſſima eſt

Chloroſis, ſeù Febris Alba.

CUius cauſa eſt in puellis, infarctus plerumque humidus obſtruens uteri vaſcula, & vitalis flammæ inteſtino motui reſiſtens, undè tandem cacochimia ſeroſa emergit, quæ iſtius febris cauſa coniuncta fit, ut ex propoſitione 12. primæ ſectionis luculenter conſtat. Sic diſcurras de aliis obſtructionibus glandularum, quæ febres inferre poſſunt, ut ex propoſitione 23. lentas quidem, ac diuturnas quando, citra irritationem effatu dignam, ſola preſſione propagines nerveas, incluſoſque ſpiritus urgent, ut ibidem innui.

PROPOSITIO VI.

PROBLEMA II.

Affectionem hypocondriacam, & morbos, quibus ipſa componitur, explicare.

UT febres ab hypocondriis dependentes clarè cognoſcantur, affectio ipſa hypocondriaca primum eſt recenſenda; & quia hæc ex variis morbis, præſertim abdominis, componitur, cauſam internam, undè hi omnes oriuntur, breviter animadvertere operæ pretium eſt.

Affectio hypocondriaca morbus flatuoſus ab Authoribus appellatur; flatus autem hujuſmodi affectionem hypocondriacam conſtituens, non eſt ille, qui ab ingeſtis in cavitate inteſtinorum gignitur, ſed eſt perſpiratio ſanguinis vitioſa, in plectoricis præſertim aeream naturam participans (quod eſt ſecundum perſpirationis vitium ſuperiùs propoſitione 20. expoſitum) in cacochimis autem ex pravis etiam halitibus compoſita [quod eſt tertium perſpirationis vitium ibidem adnotatum] in plectoricis flatus illi, & in cacochimis halitus iſti pravi extrà ſanguinis vaſa in hanc, vel illam abdominis præſertim partem fluitantes, omnia, quæ in hypocondriaca affectione admiramur phænomena, & morbos pro locorum affectorum diverſitate conſtituunt. Rectè autem flatus hypocondriaci dicuntur, quatenus ab hypocondriis magna ex parte oriuntur, ut in Scholio propoſitionis 31. Pathologiæ.

In primis ventriculus hac vitioſa perſpiratione afficitur, nonnunquam [tametſi non ſemper] cum tenſione ejuſdem, & proximarum partium;

partium ; quare Galenus ad mentem Dioclis ventriculum ponit præcipuam hujus morbi ſedem ; flatuoſa enim perſpiratio, ab arteriis in glandulas ventriculi confluens, naturalem ſuccorum ſeparationem temerat, ſpirituſque a nerveis propaginibus influentes, chyloſim inſtauraturos, obruit, undè diſpepſiæ vel acidæ, vel nidroſæ cum ructibus ; bradipepſiæ ; diſpepſiæ ; apepſiæ ; vomitus acidi ; dolores ventriculi, & hypotimiæ oriuntur ; aliique morbi ventriculi pro varia diſpoſitione, intemperie, laxitate, infarctu, ſuccorumque in illis glandulis ſeparatorum alteratione ; qui omnes morbi particulares ventriculi ſunt, ſi ſolus ipſe afficiatur ; ad affectionem verò hypocondriacam referuntur, ſi alia quoque ſympthomata mox adnumeranda concurrant, quæ tot, tantaque ſunt, ut non omnia in omnibus, ſed in his, vel illis diverſa obſerventur pro varia cauſæ morboſæ vi, partiumque affectarum diverſitate.

Accedunt in hypocondriacis: difficultas reſpirationis, vel ſursùm preſſo, per diſtentionem ventriculi a flatibus, diaphragmate, vel irritato a pravis perſpirationibus ; rugitus, & murmura præſertim in hypocondrio ſiniſtro ; ſæpè alvus adſtricta, præſertim in ſiccioribus temperamentis, & malancholicis, ob lubricantis humidi defectum, vel ob motus periſtaltici languorem, vel utraque de cauſa ; nonnumquam alui fluxus ob acrimoniam halituum, qua inficiuntur glandularum ſucci, ſtimulantes ideò inteſtina ; ſimiliter linguæ, ac palati exſiccatio, & ſitis, ab iiſdem halitibus illùc per exophagum excurrentibus ; eademque de cauſa extus in alterutro, vel utroque hypocondrio ; ſi ſubtilium iſtorum halituum undequaque a ſanguine manantium ſtimuli eo uſque procedant, ut membranas cæterarum partium in contractiones convulſivas adigant, vaſorumque minimorum tunicæ, vel a compreſſione membranarum adiacentium arctentur, vel ipſæ quoque ab eadem cauſa contrahantur, facies incaleſcit rubore ſuffuſa, & febris interdum ſtimulo eodem excitatur.

Infer hinc etiam ſuffocationes, & convulſivos tendinum ſubtultus; Infer validam arteriæ cęliacæ pullationem, a conſtrictis præfata de cauſa propaginibus minimis ejuſdem arteriæ, vel etiam obſtructis ; palam eſt enim alterutro, vel utroque de nomine augeri reſiſtentiam fluxuro per ipſas ſanguini, cujus propterea impetus a corde conceptus tunicas trunci arteriæ illius extrorſum validè trudit, præſertim ſi utraque concurrat auctæ reſiſtentiæ cauſa in præfatis propaginibus, libertatem fluxus impediens.

Si flatuoſa perſpiratio uberior, aut etiam ſtimulantes halitus, qui ex vaſis ſanguineis diaphragmatis emanat, fibras ejuſdem muſculi in petant, reſpirationis difficultatem, ſuſpiria, motuſque convulſivos ejuſdem muſculi excitant, irritatis ibidem propaginibus nervorum,

illùc in multò majore copia, quàm in alios muſculos, ab inſigni plexu ſolari, aliiſque duobus, influentium. Similiter diſcurras de plexibus meſentericis vitioſa illa perſpiratione irritatis, undè hypocondriacis dolores per diſtenſionem membranarum fiunt.

Si verò unà cum ſanguine circuens flatuoſa illa materies aeris naturam participans, & uſque in ventriculos cordis delata, vel elateris vi parietes eorumdem ventriculorum impetat, vel erumpat veluti ventus, palpitationem infert.

Eadem ratione ad caput delata, & a ſanguine quaſi ventus erumpens, aurium ſibilos, trepidationes, aliaque hujuſmodi ſympthomata inducit; quin immò & alii, & ego quoque non ſemel obſervavi, hac de cauſa, convulſiones quandoque etiam cum paralyſi oppoſitarum partium abſque ulla præcedente facultatum principum, vel minima læſione, quæ in apoplecticis fieri ſolet. In omnibus tandem hypocondriacis frequentiſſima, & propemodum continua ſpecies timoris adeſt major, vel minor pro majore, vel minore vi perſpirationis moleſtæ, ſpeciem hujuſmodi excitare aptæ, quæ ſi diutiùs perſeveret, fixam aliquam aprehenſionem inducens, melancholicum delirium parit.

Febres ab hypocondriis.

VAriæ ſunt. Quædam enim leves, & benignæ, ut Galenus innuit, ad genus ephemerarum reduci poſſe videntur; & a cauſa evidente ſolent excitari ſicut ephemeræ; ab animi nimirùm paſſionibus; tranſpiratione cohibita; cæteriſque hujuſmodi, quibus major fit flatuum ad hypocondria confluxus, & motus extum quendam inflammatoriæ affectioni ſimilem concitans, a qua tamen clarè diſtinguitur per contractationem hypocondriorum, & per exactam omnium actionum contemplationem, ac vel ipſo adſpectu ægrotantium diſcernitur, ut ex recenſu ſemejotices, quia ibi non adſunt phænomena inflammatoriæ affectioni neceſſariò reſpondentia. Obſervavi non ſemel fluxiones rheumaticas a mutatione temporum, apud nos frequenter contingentes, cum gravatiuo quodam per ambitum corporis dolore, in hypocondriacis febrem etiam diutiùs durantem excitare, quaſi dixerim compoſitam ex levi rheumatica, & hypocondriaca, utramque verò ab eadem cauſa cohibitæ tranſpirationis ortum ducere.

Sed & ab hypocondriis febres quandoque oboriuntur acutæ cum inſigni difficultate ſpirandi ob læſionem actionis diaphragmatis ſuperiùs expoſitam, quæ ſi a flatuoſa tantum perſpiratione fiat in bonis præſertim habitibus, malignæ non ſunt, nec inflammationes pariunt, ſi opportunis venæ ſectionibus in principio curentur. Imperitos tamen

Medi-

Medicos , & ſemejotices Hypocraticæ ignaros terrent , ut anno 1698. contigiſſe vidi in ægritudine Illuſtriſſimi , atque Eruditiſſimi D. Abbatis Jo: Baptiſtæ Bielati Patritii Janu enſis , qui periodica febre typum duplicis tertianæ continuæ ſervante laboravit, cum vomitu , præcordiorum præfocatione , inſigni difficultate reſpirandi , abſque aliis tamen phænomenis malignitatem conſequentibus; quamobrem adversùs perterritos alios Medicos febrem illam abſre malignam appellantes , tunc ſalutem [quæ paulò poſt 14. diem ſucceſſit] ex recta ſyndromes contemplatione prædixi . Si tamen in hujuſmodi febribus acutis magnæ , appareant actionum læſiones , malignæ atque læthales tunc ſunt , ac non raró inflammationibus comitantur , ubi præſertim dolores , ac tenſiones adſunt . Ideò Hypocrates in coacis inquit : *Ex præcordiorum dolore obortæ febres, malignæ ſunt . In his profundus , ac altus ſopor peſſimus .*

Aliæ tandem ab obſtructionibus circà hypocondria lentæ febres fiunt , magis , vel minùs diuturnæ pro majore , vel minore cohæſione lentoris obſtruentis . Ad has reduci poteſt illa , quam Baglivus vocabulo ſpecioſo *meſentericam* appellat , meliùs equidem ab Illuſtriſſimo Jo: Baptiſta Verna nuper diſtincta , & longè cautius curata . In his febribus Barbari etiam [qui cæteroqui facilè purgantibus utuntur] à purgationibus abſtinent . Sed methodus curandarum omnium , quæ in hac ſumma recenſui , proximè ſubiicitur .

LIBER IV.

METHODUS THEORETICA

Tutò curandarum febrium, aliorumque morborum curabilium, generatim comprehenſa, & certitudini ſcientiæ innixa etiamſi eorum abditæ differentiæ nos lateant.

BREVIS PRÆFATIO.

N. H. Dominus Benedictus S. Jo: Toſetti Nobilis Venetus, Dominus, & Amicus meus plurimum colendus, nedùm præclaro genere, ſed & virtutibus omnibus, quæ Nobilem Virum componere ſolent, ornatus, me inſcium ad primam Patavini Lycei catedram promovere cupiens, beneficiis officiis apud excelſum illud Tribunal tantum profecit, ut ipſi Illuſtriſſimi, atque Excellentiſſimi Patavini ſtudii reformatores, probatiſſimi Viri ſuaſionibus annuentes, meam tenuitatem ad ſummum illud honoris faſtigium in ampliſſimo totius Europæ Gymnaſio evehere ſtatuerint. Ego quidem obſequium meum P. P. illis promptiſſimum obtuli; exindè autem ſubortis difficultatibus, ac novum, inſuetumque laborem renuente ſenio, veniam petii, quam [favente Clariſſimo Valiſnerio ſtudiorum præfecto] clementer dederunt.

Quæ verò; fuſa lectionum praticarum explicatione, diſtinctè tradditurus eram, generali ſaltem methodo nunc perſtringere duxi; nam & ſenium ingraveſcens, & medicinæ faciendæ munus id tantummodò mihi permittunt. Brevem medendi methodum analiticam, & ſyntheticam ad Hypocratis, & Galeni mentem Italico idiomate pridem edidi, ubi rationem a temeritate omninò diſtinxi, eamdemque in fine hujus Operis denuò imprimendam paravi; ſupereſt modo methodum iſtam, & coherenter Hypocratis, & Galeni doctrinam ab Hiſpaniarum Hypocrate Franciſco Valleſio elegantiſſimè perſtrictam in generalia theoremata breviter diſtribuere, ac ſcientiæ certitudine ratam oſtendere quatenùs a temeritate ſejungitur.

Initium methodi.

AD rem itaque properans in primis aſſumo communem ideam finis ipſius artis Medicæ, cujus nomine intelligimus *ſanitatis conſervationem*, *& reparationem*; hinc enim luculenter patet omnes indicationes a Laudato Valleſio luculenter diſtinctas ad hæc ſumma genera reduci: *conſervationem* videlicet, quam *ſimilium adiectione* preſtamus; atque *curationem*, quæ fit *ablatione contrariorum* lædentium, vel etiam læſionem minantium: juxtà Medicorum effatum: *contraria contrariis curantur*, *& ſimilia ſimilibus conſervantur*. Jam igitur conſtat ex ipſo communi conceptu duplex eſſe *indicans*, dupplicemve [ut alii loquuntur] *ſcopum*: id ſcilicem, quod ſecundum naturam eſt, ſui conſervationem poſtulans; & quod præter naturam eſt, ſui ablationem exigens.

Primum indicans generatim ab eodem Valleſio *virtutis*, & *virium* nomine appellatur; ſecundum dividitur in *morbum*, & *cauſam* in corpore permanentem, ſive *internam*; quæ enim jam præteriit, *externa* videlicet, cum non lædat ampliùs, remedium non exigit, ſive (quod idem eſt) nullam indicationem facit. Sympthoma verò ſi lædat indicat, non lædit autem ut ſympthoma, ſed prout morbi, vel cauſæ rationem habet; quarè tria ſunt vera, & propriè dicta indicantia; *virtus*, *morbi cauſa*, & *morbus* ipſe, illa *conſervationem*, reliqua duo remotionem exigentia; cætera enim, quæ, ad mentem Hypocratis, Galenus ponit, ad iſta referuntur, & appellantur *coindicantia*, ut [inter naturales res] temperamentum totius, & partium, conſuetudo, ætas, ſexus, fætus geſtatio, partus, & ſi quæ alia hujuſmodi; tum [inter res non naturales] aer, ad quem reducitur anni tempus, regio, cœli ſtatus, & ſimilia, quæ vel *ſimilium*, vel *contrariorum* indicationem faciunt, prout ad alterutrum ex præfatis indicantibus referuntur.

Porrò, quia ſæpè contingit unum ex tribus præfatis indicantibus poſtulare aliquid, cujus contrarium aliud exigat, iſta ſic oppoſita dicuntur *contraindicantia*, vel *repugnantia* exempli gratia ſi pravus humor indicet evacuationem, vires autem hanc ferre non poſſint, hoc ipſo vires contraindicare dicuntur, & iſtud contraindicans tunc appellatur *prohibens*; contra verò dicitur *permittens*, quando minor imminet ab evacuatione debilitas, quam ſit præſens humoris oppreſſio: hac enim ablata vires ipſæ levantur, & reviviſcunt. Similiter diſcurras de *viribus indicantibus* alimentum pro conſervatione, ac de morbo, & cauſa *contraindicantibus* ipſum, quatenùs oppreſſionem auget. Eadem ratione *corepugnantia* dicuntur illa ipſa, quæ appellantur

coindi-

coindicantia, quandò unà cum principalibus repugnantibus adverſantur alicui remedio. Exempli gratia ſi vires evacuationem aliquam prohibeant, eidem etiam corepugnare dicuntur ætas ſenilis, adverſa conſuetudo, cæteraque hujuſmodi.

Tandem ex dictis patet, quid ſit *indicatum*; quemadmodum enim indicatio eſt compræhenſio juvantis unà cum compræhenſione nocentis, ex Galeno; ita juvans *indicatum* dicitur, quod, & *remedium*, & *auxilium*, & *ſcopum ſecundum* appellare majores noſtri conſuęverunt.

Jam verò his (pro Tyronibus) nomine tenùs præmiſſis, generalem methodum theoreticam duplici ſectione abſolvam. Prima erit de indicatione virium; ſecunda de indicatione contrariorum.

SECTIO I.

De indicatione virium.

QUoniam indicatio virium nedum prima eſt, ſed omnis etiam indicatio contrariorum ad hoc debet collimare, ut viribus naturæ auxilium præſtet, ipſaſque levet, auferendo impedimenta, improbaſque reſiſtentias, & omnia, quæ lædere quocumque modo poſſunt; operæ pretium eſt triplici capite ipſam diſtinguere; atque in primo de dieta, ſive recta victus ratione agere; in ſecundo de virium defenſione ab omnibus, quæ ipſas lædere poſſunt, quæque ideò ab ipſis viribus prohiberi dicuntur; in tertio tandem de cibis, potionibus, & condimentis, quæ medica facultate pollent.

CAPUT I.

De dieta.

CUM in omnibus planè morbis indicatio ſimilium, quæ adiectione alimenti completur, oppoſita ſit indicationi contrariorum, quæ in ablatione conſiſtit, ac propterea morbus *contraindicans* dicatur alimenti, quo ipſe augetur. Primum hic agendum eſt de ratione victus, qua nedum ſervemus vires, ſed & auferendo morbo, & cauſæ proſpiciamus.

PRO-

PROPOSITIO I.

THEOREMA I.

Alimenti quantitas, pro ſanitate conſervanda, ea ratione moderanda eſt, ut ejus reſiſtendi vis minor ſit viribus naturalibus alimentum ipſum per omnes vias digerentibus, & ſecernentibus.

HOC theorema ex Phyſiologicis equidem, & ex compendio Hygienes luculenter infertur, quia verò primum, & univerſale eſt, undè cætera hujus capitis deducuntur, breviter hic demonſtrandum eſt.

Itaque ſi alimenti reſiſtentia viribus naturalibus minor non ſit, neceſſariò erit vel æqualis, vel major; ſi autem æqualis, vel major ſit, naturales vires ipſum alimentum digerere, ac ſecernere non poſſunt ex decimo pronunciato phyſicorum; neceſſe eſt igitur ut ſit minor ex eodem pronunciato; quarè maniſeſtiſſima eſt propoſitio.

COROLLARIUM.

ERgò ex lege Contrariorum omnis repletio alimenti, cujus reſiſtentia non ſit minor viribus naturalibus hæmatoſim perficientibus, & incongrua ſecernentibus, hoc ipſo contraria ſanitati eſt, & ſanguinis vitia, ceù morborum primordia parat, quæ fusè in Pathologia expoſui.

PROPOSITIO II.

THEOREMA II.

Ægrotantibus alimentorum repletio noxia magis eſt quàm ſanis.

SAnis enim, & integris naturæ viribus repletio jam reſiſtit, ac reluctatur ex antecedente, addita ergò per morbum læſione virium

ex definitione morbi, neceſſariò his reluctabitur illa magis, nam ejus reſiſtentia majorem proportionem habet ad vires naturæ læſas, & infirmas, ceù [quod idem eſt] minores, ut ex propoſitione 8. libri 5. Euclidis conſtat; ideoque pro hac majore ratione reluctabitur magis infirmis viribus, quàm ſanis ex communi notione, ac pronunciato 10. phyſicorum. Erit ergò [quod idem eſt] alimentorum repletio ægrotantibus magis noxia, quàm ſanis, ut propoſui.

COROLLARIUM.

ERgò data quantitas alimenti, minor etiam, quàm quæ repleat, magis reſiſtet viribus jam læſis, & ægrotantibus, quàm ſanis, majorem enim proportionem habet iſta eadem data quantitas ad illas vires minores, quam ad haſce majores ex eadem Euclidis propoſitione.

PROPOSITIO III.

THEOREMA III.

In quovis morbo a qualibet cauſa interna producto, ſi alimentum ea ratione moderetur, ut vires conſerventur quidem, ſed illius quantitas minor ſit quam, quæ viribus infirmis reſiſtat, jam tenemus primum ex univerſalibus remediis, quo nedum adiiciuntur ſimilia, ſed contraria quoque auferuntur.

PAlàm eſt experimentis Hygienes in ſanis conſervari vires tametſi pauco utantur alimento; immò quotidiana experientia docet agricolas quamquam cibis minùs euchimis veſcantur, ſufficere tamen maximis laboribus, quibus pro ipſorum vitæ genere, diù incumbunt; multò autem magis in ægrotantibus parcum victum ſufficere cernimus, cum natura in illis id ipſum inſtituat minuendo appetitionem. Hypotheſis ergo ſenſibus ipſis conſpicua eſt.

Manifeſtiſſima item eſt propoſitio ex prima, & ſecunda, ejuſque corollario, pro eadem enim ratione moderati alimenti, nedum vires conſervantur per adiectionem ſimilium ſufficientem ex hypotheſi, ſed contraria quoque auferuntur prævalente natura morborum medicatrice,

trice, ſiquidem calor nativus tùnc ab adempta reſiſtentia liber, faciliùs digeſtiones, & perſpirationes molitur, & [quod idem eſt] faciliùs *contraria* per vias congruas, ac tranſpirationem expellit.

PROPOSITIO IV.

PROBLEMA I.

Alimentum ægrotantium ad ſumma genera reducere, ipſiuſque gradus diſtinguere.

TRifariam dividitur omnis recta victus ratio; alius nimirum victus plenus eſt, alius tenuis, tertius mediocris. *Plenùs* eſt, quo nedum vires conſervantur, ſed & in benevalentibus augentur, dummodò plenitudo iſta naturæ modum non excedat; *tenùis*, quo conſervantur tantum, ac *mediocris* eſt, qui pleno quidem minor, ſed major tamen, quam qui præcisè conſervationi virium ſufficit. In hiſce tribus generibus recta omnis victus ratio comprehenditur; nulla enim alia excogitari poteſt alendi ratio, quæ ad unum, vel aliud ex his non reducatur; quamquam verò hæc diviſio & ſanorum, & ægrotantium victui generatim conveniat, plenus tamen victus ægrotantium, de quo hic agimus, differt a pleno ſanorum, ut ex propoſitione 2. patet.

Hypocratis tempore plenus victus ægrotantium in morbis ſimpliciter acutis erat integra pthiſana; tenuis autem per gradus diſtinguebatur, videlicet ſimpliciter talis, vel tenuior, vel tenuiſſimus. Pro primo utebantur pthiſanæ ſucco, ſive hordei cremore percolato; pro ſecundo in uſu erat idem cremor magis dilutus, aut melicratum; pro tertio panis decoctum, aut quid ſimile in morbis extremè peracutis.

Obſolevit autem hæc alendi ratio etiam in morbis acutis, & pro conſuetudine largioris victus in ſanis, moderatum eſt regimen ægrotantium; nam in noſtris regionibus pro victu ſimpliciter tenui concedimus in acutis panem tritum jure incoctum, aut ſimile ferculum, & una ſimul ſorbile ovum, ac poma dulcia cocta, vel alimentum aliud æquivalens cum aquæ potu. Pro tenuiori fercula rariora tantum, vel juſcula carnium pluries in die intervallo videlicet quatuor, vel quinque horarum exhibita, & congruum aquæ potum. Pro tenuiſſimo tandem, hordei cremorem, aut quid ſimile in jure liquidiore. Iis verò qui admodum debiles ſunt carnis vitulinæ ſuccum balneo maris

paratum, cochleatim exhibemus, aut ſimiliter pulli elixi & contuſi expreſſionem cum aquæ potu congruo.

Pro victu tandem pleno in longis morbis concedimus carnem pulli, aut avium ſylveſtrium, aut vitulinam, alioſve cibos euchimos ejuſdem rationis, in quantitate tamen moderata, & plurimum, a victu pleno ſanorum deficiente, magis equidem, vel minùs, proùt morbus magis, vel minùs diuturnus eſt. Exhibemus etiam vinum magis, vel minùs dilutum pro ratione conſuetudinis, ac temperamenti, quandò morbus ipſum permittit. Quia verò potiones etiam ſimplices, aliaque liquida, nedum ad rectam victus rationem pertinent, ſed & magnam habent, pro indicatione contrariorum, facultatem; de hac in tertio capite diſſeram; intereà de potu & in acutis, & in longis morbis pro victu præciſo, hæc dixiſſe ſufficiat. Qualitas, & modus exhibendi alimenta in acutis, comprehendetur in propoſitionibus ſequentibus. In longis autem morbis ea qualitas alimentorum ſeligenda eſt, quæ temperamento, & conſuetudini ægrotantis congruit; quidam enim ob robur ventriculi, & famem, & conſuetudinem ſolidiores cibos amant, atque ab aliis concoctu facilioribus læduntur, idem dic de aliis cibis, præſertim ubi adeſt innata, & peculiaris appetentia, ut innuit Hypocrates inquiens: Paulò deterior cibus, & potus, ſuavior, tamen meliori, ſed inſuaviori eſt præferendus.

PROPOSITIO V.

THEOREMA IV.

Victus tenuis, antiquorum in acutis non ſemper, & ubique tutus eſt; moderatus autem ut in antecedente tutiſſimus eſt.

Prima pars propoſitionis manifeſta eſt experientia, & ejuſdem Hypocratis obſervatione, ut in 1. aphoriſmorum aph. 4., & 5. luculenter docet inquiens. *In tenui victu deliquentes ægri magis læduntur, &c.* concluditque: ob hoc igitur tenuis, & exactus victus periculoſus eſt magis quam paulò plenior. Sed & ex recta ratione, & re ipſa patet, natura enim, quæ morborum medicatrix eſt, ex communi notione, ubicumque deficere poſſunt, per nimiam alimenti tenuitatem, vires, hoc ipſo minùs valet, minuſque ideò (quod idem eſt) ſeſe a morbis liberare poteſt. Hinc autem infertur ſecunda pars evidentiſſimè, victus enim ea ratione moderatus, quam in antecedente

cedente expoſui, non replens videlicet, ſed particulis alimentariis facilè ſolubilibus, & fluidis reficiens, aptus eſt ad inſtaurandas vires, ipſarumque conſtantiam conſervandam, abſque eo quod naturæ actioni reluctetur.

PROPOSITIO VI.

PROBLEMA II.

Rationes alimentorum ad cauſas debilitatis virium comparare.

VIrium indicatio, quamquam omnium prima ſit, contraria tamen eſt indicationibus morborum, & cauſarum, ut in principio hujus innui; nam vires conſervari poſtulant per alimenta, morbi autem, & cauſæ per eadem augentur, vireſquè ideò magis læduntur, niſi recta ratione adhibeantur illa, prout a morbo, & cauſa citrà noxam permittuntur; quamobrem, ut indicantibus illis, atque contraindicantibus iſtis æqua lance ſatisfaciamus, operę pretium eſt alimentorum rationes ad cauſas debilitatis virium comparare; quæ cum multæ ſint, ex doctrina Hypocratis in pathologia recognitæ, omnes facillima, & ſtrictiore analyſi recenſentur per tria ſumma genera; vel ſcilicet per *vaſorum inanitionem*; vel per *vim contrariorum*; vel per *utramque cauſam* debilitas ſit. Nulla enim alia ratione debilitari poſſunt naturæ vires, quæ in hiſce non comprehendatur; magis verò his de cauſis debilitantur corpora [ut innuit Hypocrates] infirma, rari habitus, & reſolubilia.

Quæ ab inanitione vaſorum, vel ſola, vel cum vi contrariorum conjuncta, oritur debilitas, ſatis jam nota eſt; neque hoc genus cauſæ aliam exigit ſubdiviſionem: contrariorum autem vis aut per reſiſtentiam vires aggravat, aut per motum fatigat, aut utraque ratione debilitat. Motus verò vehemens cauſæ morboſæ in acutis, tum præciſè per ſe, ſivè [ut loquitur Hypocrates] ipſo *acumine morbi* debilitat vires, tum ratione ſimpthomatum emergentium præſertim doloris, & vigiliæ. Si autem acuti morbi motus a veneno, vel ingenito, vel propinato procedat, facilè ſubſtantiam ipſam, undè vires proficiſcuntur, tam in fluidis, quam in ſolidis corrumpit. His itaque poſitis per ſubſequentia theoremata, quæ quidem antecedentium corollaria ſunt, totum problema reſolvitur.

Primò,

Primò, in omni debilitate ex inanitione ſucci alimentarii, omninò indicans ipſum, & indicatio ſimilium prævalet cuilibet contraindicanti; ac proptereà omni alia indicatione poſthabita, vires *reficiendæ ſunt: & omni quidem meliore modo*. Prima propoſitionis pars hoc ipſo manifeſtiſſima eſt, quia vires debiles ob inanitionem faciliùs diſſipari poſſunt a quolibet morbo, & cauſa, quam ſi exinatitum corpus non eſſet, ob minorem exinanitionis reſiſtentiam ex pronunciato X. phyſicorum. Atque hinc evidenter infertur ad hanc reparandam virium debilitatem, eſſe omninò neceſſariam refectionem, & [quod idem eſt] indicationem ſimilium cuilibet contraindicanti prævalere. Altera verò propoſitionis pars nedum clarè deducitur ex prima, ſed ulteriùs rationem innuit, qua reficiendæ ſint vires: *omni ſcilicet meliori modo*; quarè potius explicatione, quam demonſtratione indiget. Non enim pro majore inanitione magis cumulandum eſt alimentum, & confeſtim exhibendum; ſed ea, quæ convenit proportione cibandus æger eſt; proportio autem conveniens neceſſariò reciproca debet eſſe alimenti quidem ad reficiendas vires, harum verò ad alimentum concoquendum. Quamobrem, ægrotantes valdè exinanitos, non confeſtim, ſed paulatim, & per brevia intervalla reficere neceſſe eſt; idque docet Hypocrates 2. aphoriſmorum 51., magiſque ad rem noſtram libro 3. acutorum, inquiens: multiplex igitur in ventre læſio eſt, ſi ex multa vaſorum inanitione, plùs moderato de repente *ingeratur*. Seligere inſuper operæ pretium eſt alimenta, quæ minùs concoquenti virtuti reſiſtant, quæque abundent æquidem particulis nutritiis, ſed facilè ſolubilibus, cujuſmodi ſunt juſcula carnium, copia magis, quam coctione diuturna elixarum, parata, vitella ovorum, vel ſorbilia, vel in eodem jure ſoluta per congrua intervalla, ut innui, exhibita.

Secundò, in debilitate virium ab *acumine morbi*, cibis equidem facilè ſolubilibus reficiendi ſunt ægri, ſed per longiora *intervalla*. Patet autem propoſitio ex 5., & 4. cum enim ſola in hoc caſu morbi acuties adſit, nondum inducta vaſorum inanitione, ac (per conſequens) neceſſitate alendi per brevia intervalla, ſatis eſt rationem victus ad morbi acutiem comparare, ut in propoſitionibus citatis.

Tertio, ſi tamen accedant vigiliæ immoderatæ, ac dolores vehementes, quæ concoctricem vim debilitent, ea ratione moderandus eſt victus ut proportio reciproca vis concoctricis,& alimento ũ reficientium ſuperiùs adnotata ſervetur. Palam eſt enim vigilias fortes, & multò magis dolores vehementes vim concoctricem debilitare, avertendo ſpiritus ventriculi actioni, & concoctioni neceſſarios; ideoque oportet in his caſibus alimenta facilè ſolubilia, ſeù (quod idem eſt) facilè

facilè virtuti concoctrici cedentia exhibere, videlicet jura carnium, ut ex 5., & hæc quidem quater, vel quinquies in die, ut viribus quantum fieri poteſt proſpiciamus.

Quartò, eadem ratione manifeſtum eſt: in morbis acutis, ubi complicitæ ſunt affectiones ventriculi, inteſtinorum, glandularum meſenterii, aliarumque partium coctioni & diſtributioni chili inſervientium, tenuiorem iſtum, & facilè ſolubilem *victum convenire*; nam partes hæ minùs validæ, minorem ſubſtinent cibi reſiſtentiam, ut luculenter etiam infertur ex 2., & corollario ejuſdem. Hinc etiam patet, ubi major eſt nauſea, nedum tenue illud alimentum convenire, ſed paucum, & ſæpè repetitum, atque etiam nauſeæ occurrendum eſſe, condimentis aptis ſuo loco deſcribendis, donec frictionibus, aliiſque remediis adjutus æger magis appetat.

Quintò, in morbis peracutis confeſtim, & ab initio victus tenuiſſimus eſt *inſtituendus*, ſed ubi debilitas virium ex inanitione, aliaque adſunt coindicantia, pro iſtorum ratione *moderandus* eſt. Prima propoſitionis pars eſt aphoriſmus 7. primæ ſectionis, quo docet Hypocrates: ubi peracutus eſt morbus ſtatim extremos inferre labores, ideoque extremè tenuiſſimo uti victu neceſſe eſſe. Quoniam enim celerrimus eſt morbi motus, & intrà quatuor dierum terminum vim ſuam totam exerit naturam opprimendo, & extremos labores afferendo ex hypotheſi, & ex pathologicis, ergo neceſſe eſt naturam ipſam oppreſſam ſtatim, ea qua pollet majore vi, oppreſſioni morbi ſubigendæ incumbere, eo autem eſt major naturæ vis pro ſubigenda oppreſſione, quo minor ipſi naturæ occurrit reſiſtentia ex legibus motus, & ex pronunciato 10. phyſicorum; & eo minor ipſi occurrit reſiſtentiam, quo minor exhibetur alimenti quantitas ex 3., & ex corollario 2., ergo quantum fieri poteſt minor exhibenda eſt in iſtis peracutis morbis alimenti quantitas, quod cum exactè fiat victu tenuiſſimo, manifeſtiſſima eſt propoſitio. Hinc Doctiſſimus Albertus Fabri anno 1678., & 79., me præſente uti ſolebat in peracutis morbis victu ad antiquorum dictam proximè accedente, ſcilicet abſque jure carnium etiam in aſſuetis, & ipſe idem tunc non peracuto quidem, ſed acuto morbo laborans, utebatur pro ſuo victu panatella ſimplici aquę incocta, ſine ſale, aliove condimento. Secunda verò propoſitionis pars luculenter infertur ex §. 1. hujus, potiſſimum autem reſpicienda ſunt coindicantia omnia in principio methodi expoſita. Sic utero gerentes in peracutis morbis paulò uberiùs alendæ ſunt pro ratione fætus, qui nutritione indiget ne deficiat, vel pereat. Enixæ autem pro ratione inanitionis, ac ſpirituum diſſipationis in partu. Similiter diſcurras de pueris, & habitibus corporis facilè reſolubilibus.

Sextò,

Sextò, in morbis ſimpliciter acutis, qui ultrà vigeſimum diem protenduntur, & ubi virium adeſt oppreſſio, alimentum in principio ſimpliciter tenue, ſed moderatum convenit ut ex 5. in augumento autem paulò ante vigorem tenuius moderatum tamen, ut ex eadem 5., & 6. In morbis tandem longis omnibus alimentum convenit moderatum, ut in eadem 5.

Prima pars luculenter infertur ex 6. nàm pro virium conſtantia conſervanda, neceſſe eſt ipſas ita refici, ut non ſolum principiis morborum opponantur, ſed futuris morbi temporibus tranſigendis ſufficiant. Eſtque hæc ipſa eadem Hypocratis doctrina manifeſtiſſima in 1. aph. aph. 10. ſecunda item pars in iſto eodem aphoriſmo expreſſa luculenter etiam infertur ex propoſitione §. antecedentis, quoniam enim tunc temporis natura magis laborat, ac toto conatu ſubigere materiam morboſam aggreditur, manifeſtè militat eadem ratio ibidem expoſita; eſtque pariter Hypocratis 10. aphoriſmorum 11. Tertia tandem pars evidenter infertur ex 1., ſi enim vires ita reficere neceſſe eſt, ut futuris morbi temporibus tranſigendis ſufficiant, patet manifeſtè in morbis longis victum pleniorem, & [quod idem eſt] moderatum, ut in fine quintæ, exhibendum eſſe.

Septimò, in febribus, quæ per circuitus redeunt, vel exacerbantur, congruum tempus cibandi ægrum eſt hora deceſſionis; & ubi altera ingruit acceſſio, antequam prior deſinat, cibandus eſt æger tribus, vel quatuor horis ante alteram acceſſionem, in declinatione videlicet antecedentis, niſi alia ſit urgens *cito reficiendi neceſſitas*; tunc enim vires minus laborant, ideoque magis concoquendo cibo ſunt aptæ. Si tamen acceſſionis hora vires ita diſſipentur, ut in deliquia, & in vitæ diſcrimen æger venire poſſit nullatenùs hæc regula eſt ſervanda. Urget enim hac de cauſa indicatio virium, quæ omnium ſemper prima eſt, ut ex ſuperioribus conſtat; ideoque tunc iſtarum diſſipationi ſtatim eſt occurrendum per alimenta congrua facilè ſolubilia. Sic Picrocoli quibus bilis ad ventriculum movetur, ut inquit Valleſius 1. methodi, nec non alii, quibus ſucci acres anxietatem, aut lypotimiam faciunt ob magnam irritationem fibrillarum paris vagi cum cardiaco conſentientis, inediam ferre nequeunt; compertum eſt enim hujuſmodi ægrotantes in ipſa acceſſione deficere.

PRO-

PROPOSITIO VII.

PROBLEMA III.

Regimen aliarum rerum ad dietam pertinentium.

AD rectam victus rationem pertinent aliæ res, quæ *non naturales*, aut *neceſſariæ* dicuntur, videlicet (præter cibum, & potum de quo hactenùs dixi) aer ambiens: ſomnus, & vigilia: motus, & quies: excreta, & retenta: & animi pathemata.

In primis itaque aer eligendus eſt, qui & virium adiuvet conſervationem, & contrariorum quoque remedium ſit, ut de cibo, & potu propoſitione quarta dixi. In morbis longis, qui organa reſpirationis offendunt, ac in hemopthyſi præſertim, undè pthyſis imminet, nec non in aliis defluxionibus cronicis, mirabiliter confert aer, cui pingue ſolum ſubiacet, procul a maritimis oris, & qui ſit minimè ventoſus; palam eſt enim atmoſpheram pinguibus effluviis a ſolo manantibus confertam, & a ſalſis vaporibus maritimis liberam, nedum naturæ hujuſmodi ægrotantium conſervandæ conferre, verum etiam ſalſas deflux ones efficaciter corrigere, tùm preſſiones vaſorum æquales, & ſaluberrimas præſtare, ubi minimè ventoſa eſt; non enim undatim, ſed æqualiter prȩmit; ventorum autem impetus in tumidas undas aerem cogens preſſiones atmoſpheræ inæquales per varios vaſorum pulmonarium, & aliorum ad ambitum corporis diſtributorum tractus, promovet, undè in corporibus plectoricis, aut cacochimis expreſſiones morboſæ fiunt.

In acutis etiam purioris aeris delectus, quantum fieri poteſt, habendus eſt; poteſt autem, ut monet Valleſius, in principio, ubi futurus prævidetur morbus acutus, mutari quandoque aer, vel in vicinum oppidum, aut rus, vel a convallibus Civitatis in montana loca, dummodò parva ſit diſtantia, & æger, abſque virium jactura, commodè vehatur hora deceſſionis; quod ſi hæc translatio fieri nequeat, cubiculum ſaltem eligi poteſt opportunum, æſtate quidem ſolo proximum, hyeme a ſolo remotum; quinimmò alterandus eſt etiam æſtate quidem frequenti ablutione ſoli, & eventilationis admiſſione per apertas feneſtras, dummodò vitetur lux vivida in capite dolentibus, aut delirantibus, ne ſpiritus validè commoveat; Alterandus verò eſt aromaticis, & gratis odoramentis, ubi putridæ, & malignæ ſunt febres, hoc tamen ea moderatione faciendum, ut caput odoramenta non offendant, præſertim in hyſtericis, nec non in delirantibus.

Somni, & vigiliæ, ut & aliarum rerum paulò inferiùs exponenda-

rum commoderatio iiſdem rationibus jam ſuperiùs expoſitis inſtituenda eſt, & ſomno magis indulgendum, ubi deliria, & ſympthomaticæ evacuationes urgent, conciliandus autem eſt hora conſueta, niſi quid obſtet, ut ſervetur conſuetudo; ſi tamen urgeant dolores, his magis, quam conſuetudini proſpiciendum eſt.

Quod verò ad motum, & quietem attinet: In omnibus ferè morbis longis, præſertim obſtructionibus convenit motus horis conſuetis, & longè a cibo, ita commoderatus tamen, ut vires non lædat, ut ſæpè contingit macilentis, & tabidis, in quibus ideò nedum inhiberi motus debet, ſubſtituendo frictiones, aut balnea, & ſi quæ alia hujuſmodi, quibus fluidorum curſus cautè promoveatur. In acutis autem ubi fluida, & ſpiritus præſertim nimis agitantur, quies omninò neceſſaria eſt, ac vitandi ſunt etiam clamores loquelæ, aliaque hujuſmodi ſpiritus commoventia. Subſtituendæ tamen ſunt motui frictiones cum unctionibus ab Aſclepiade, ac Aetio deſcriptis, vel [ut mos eſt apud nos] cum unctione olei calaminthes, conciliatur enim his diſtributio ſuccorum ad ſumma vaſa, & diffuſio flammæ vitalis, ac tranſpiratio eorum, quæ intùs retenta læderent; commodè, & cautè adminiſtratur hæc longè a paſtu, ne ciborum coctio impediatur, ea inſuper adhibita cautione, ut ſi fluxio in aliquam partem dilabatur, frictionem iſtius omittamus.

Circà excreta, & retenta ſatis eſt hic adnotare generatim ea moderanda eſſe pro ratione virium, ut videlicet excretiones nimiæ, quæ vires lædunt compeſcantur, & viceverſa retenta, quæ vires opprimunt, cautè ad evacuationem promoveantur tutiſſimis remediis in fine recenſendis.

Animi tandem pathemata pro virium conſervatione regenda ſunt, quemadmodum enim ab his ſæpè morbos fieri ex eo conſtat, quod ſoli homines, his obnoxii, multò magis propterea, quàm bruta ægrotant; ità plurimùm valet eorum moderatio ad vires conſervandas, morboſque profligandos; Hanc diligentiſſimè quoque adnotat Valleſius; & in primis pathemata omnia vehementia, moderari poſſunt contrariis paſſionibus incuſſis, ut ira commiſeratione, aut etiam timore; triſtia gaudio arte excitato; idemque dicas de aliis; Quamobrem docet laudatus Author etiam rethoricem, & muſicem, aliaque artificia tentanda eſſe, quibus ægrotantis animus a diu concepto pathemate avertatur, attento ejuſdem genio, & præſcripta converſatione amicorum colloquiis utentium ad ſedandos animi motus opportunis.

Ad hæc duo inſignia ſunt exempla delirantium, qui muſices auxilio ſanati ſunt, ut videre eſt in hiſtoria gallica Regalis Accademiæ ſcientiarum, Unum anno 1707. alterum anno 1708. Primum eſt excellen-

tis

tis muſices Magiſtri febre acuta correpti, & ſeptima die admodum delirantis cum clamoribus, lachrimis, terroribus, atque vigiliis continuis; hic tertia delirii die petiit ſynphoniam, & cantum, quo ſtatim oblectatus faciem ſerenam, & oculos hilares oſtendit, ceſſarunt omninò ſimpthomata, ſtetit liber toto ſynphoniæ, atque cantus tempore; deindè ad priſtinum ſtatum reverſus, repetitis muſices illecebris, melius habuit, tùm per dies decem continuato remedio, poſt ſecundam ſanguinis miſſionem a talo factam [cui evacuatio critica ſucceſſit] omninò a febre liber evaſit. Alterum exemplum eſt Magiſtri Coreæ febricitantis, qui quarta die, aut paulò poſt in lethargum incidit, indèque tandem a lethargo in delirium furioſum, mutumque tranſiit minanter aſpiciens omnes, qui eum impediebant e lecto egredi, ut continuò conabatur, ſemper ſilens, & omnia remedia eiciens pertinaciter, donec familiaris amicus ægrotantis, arrepto ipſius inſtrumento muſico, ſynphonias modulari cæperit, quas eidem ægrotanti magis gratas eſſe noverat. Mirum dictu! Audito ſono ferè ſtatim ſurrexit æger in lecto ſedens, numeros muſicos motibus capitis, & brachiorum obſecundans, tùm poſt horæ quadrantem ſomno profuudo correptus, criſi ſuperveniente convaluit.

Quamquam verò gaudium, & lætitia magis proſint ægris, quam alia pathemata, ſi tamen modum excedant adeò ut vires exolvant, vel pervigilium inducant, periculoſa ſunt; quo in caſu licet incutere triſtitiam, ut gaudium temperetur. Odium provocare juvat iis, qui amore inſano torquentur, excitata ſpecie vivida omnium, quæ inveniri poſſunt in obiecto amato, provocantia odium, ut Ovidius quoque monet de remedio amoris. Timor etiam ipſius mortis incutiendus eſt, quando ægri non obediunt, ut curationem admittant. Sed & ſubitus terror incuſſus juvat etiam in ſingultu, nec non in hæmorragiis immanibus, quas confeſtim ſiſtere valet, avocatis illicò ſpiritibus, qui tenſionem nimiam fibrarum faciunt in vaſis, undè ſanguis profluit. Mirum eſt autem, quod idem Valleſius adnotat: Quartanæ acceſſionem imminentem timore incuſſo prohiberi; quod, ſi ex voto ſuccedat, ea ſanè confirmat, quæ de febris eſſentia dixi, nec aliundè hujus rei ratio peti poſſe videtur.

CAPUT II.

De Virium tutela in ablatione Contrariorum.

IN ſuperiore capite adiectionem ſimilium expoſui pro conſervatione virium citrà oppreſſionem earumdem. Nunc de virium tutela

in ablatione contrariorum agendum eſt. Vires enim, ut morbos profligare valeant, nedum ſui conſervationem expoſcunt *indicando* ſimilia, ſed & ſui cuſtodiam contraindicando quæcumque ipſas lædere poſſunt. Quinimmò id vel maximè ad virium indicationem pertinet; ſi enim læſio virium in ratione victus ita eſt præcavenda, ut cogamur propterea ſimilium adiectionem ægrotantibus minuere, ne aliqua ſequatur oppreſſio, palam eſt multò magis arcendam eſſe omnem ipſarum læſionem, quæ in temeraria, vel minùs tuta remediorum adminiſtratione, a contrariorum vi poteſt emergere. Operæ pretium eſt igitur nedum Tyronibus, ſed licentioribus Medicis omnibus, qui multa indiſcriminatim ægris præſcribere ſolent, rem hanc maximi momenti demonſtrare, ut robur naturæ, quæ morborum medicatrix eſt juxtà rationalem curandi methodum, ſervetur.

PROPOSITIO VIII.

THEOREMA V.

In omni ablatione contrariorum nedum contraindicatur a viribus, ſed probibetur vaſorum inanitio.

NEceſſariò enim vires deficiunt exhauſtis liquidis, per quæ ipſæ conſtituuntur, ut ex terminis manifeſtum eſt.

SCHOLIUM.

IN amplis vaſis, arteriis videlicet, ac venis rarò, & non niſi per immanes evacuationes inanitio contingit, ideòque potiſſimum intelligenda venit inanitio minimorum vaſculorum, quibus organa omnia naturalia componuntur, ſtaminum ſcilicet nerveorum omnium, ubi ſpiritus continentur; hi enim ad vires, & actiones nedum animales, ſed & naturales apprimè neceſſarii ſunt, ex phyſiologicis, immò in his ipſæ vires naturæ conſiſtunt, quarè palam eſt per inanitionem iſtam vires maximè deficere.

PROPOSITIO IX.

THEOREMA VI.

In febribus præſertim acutis prohibetur quæcumque vis extranea medicamenti cujuslibet vel externi, vel interni ſtimulans valdè partes nerveas, vel ſpiritus iis incluſos valdè agitans, & proindè humores etiam commovens.

QUoniam enim neceſſariò in febribus omnibus agitantur ſpiritus, & univerſum corpus incaleſcit, commotis in ſanguine humoribus, ut ex communi febrium conceptu, & experientia maniſeſtiſſimum eſt potiſſimum in acutis, quæ celeri motu, & cum periculo moventur; ergò ſuperaddita vis extranei medicamenti cujuslibet vel interni, vel externi, valdè irritans partes nerveas, & ſpiritus incluſos agitans, humoreſque etiam commovens, neceſſariò morbi vires præfatas augebit, & [quod idem eſt] naturæ vires magis lædet; immò eo uſque poterit pervenire, ut nedum laborem naturæ augeat, inflammationemque, commotis humoribus, alicubi faciat, ſed & ſpiritus etiam vehementi agitatione diſſipet, inanitionemque horum peſſimam, inferat, ut in præcedente. Palàm eſt igitur, pro virium tutela, extraneam quamlibet ejuſmodi vim eſſe in febribus omnibus, præſertim acutis, vitandam.

SCHOLIUM.

INter externa in febribus præſertim acutis prohibentur a viribus veſſicantia. Evidens enim eſt horum vim diù & valdè ſpiritus agitare, ac naturam fatigare cruciatibus, doloribus, quandoque tendinum ſubſultibus, totiuſque demùm corporis concuſſione, rurſuſque evidens eſt dolores, & cruciatus hujuſmodi vires morbo feſſas ulteriùs diſſipare; quamobrem evidens etiam eſt hoc de nomine prohiberi. Neque obſtat huic evidentiæ multos, veſſicantibus curatos, evadere, natura enim valida tunc adverſas morbi, & veſſicantium coniunctis vires in dubio certamine ſubſtinet; multi verò intereà jugulantur, quorum interitus falsò adſcribitur ſoli morbo. Cùm itaque certum ſit

ſaltem

ſaltem id evenire facilè poſſe per ſuperadditam veſſicantium vim unà ſimul cum vi morbi compoſitam, neceſſariò conſequitur vires naturales prohibere in febribus acutis veſſicantia quatenùs ipſas morbo jam feſſas in majus vitæ diſcrimen adducunt. His ita ſe habentibus percipere nequeo cur nonnulli Authores Neoterici hæc doloroſa remedia miſeris febricitantibus præſcribant vel in ipſis inflammationibus, decumbentem humorem diſſolvere falsò putantes; dùm intereà, per haſce violentias neceſſariò exprimitur quod magis fluere aptum eſt, ac reliquum humido ſuo deſtitutum, tenaciùs redditur. Author Neotericus Anglus veſſicantia laudet ad erigendos ſpiritus, quamquam caſus multos funeſtos adnotarit in ſuis hiſtoriis variolarum per veſſicantia curatarum; ſed hujus quamquam Docti Viri experientias rectè comparare poſſe mihi videor obſervationi cujuſdam Chirurgi, qui non multis ab hinc annis Dominum Vivianum Genuenſem, propriæ navis præfectum, alioſque in eadem navi febribus acutis correptos adhibitis veſſicantibus curavit, quamquam decem, & octo circiter cum Domino ipſo præfecto interierint. Dixit enim poſtquam hùc rediit [ut mihi relatum fuit] decem, & octo quidem, inter multos alios ægros interiiſſe, ſi tamen veſſicantia non præſcripſiſſet, alios omnes fuiſſe perituros! Veruntamen ego, & alii mecum hoc præcipiti audito judicio ridentes, cogitavimus jure merito vereri eum debuiſſe: an ne illi tunc, ſuperaddita morbo veſſicantium vi, ſublati fuerint; dum alii ſuperſtites tantis pollebant naturalibus viribus, ut & morbi vires, & iſtas quoque violentias ſuperarint. Sic de aliorum experientiis minùs exactè recognitis dicendum videtur, nam hallucinari facilè poſſunt, ut de hemophobis adnotavi.

PROPOSITIO X.

THEOREMA VII.

In febribus acutis vires prohibent efficacia purgantia, & hemetica, etiam ſi viæ ab inflammationibus, aut obſtructionibus liberæ ſint. In cronicis verò, ubi obſtructiones viſcerum, & glandularum adſunt, ea omnia prohibent vires, etiam ſi febris abſit.

ID quoque pro virium tutela operæ pretium eſt breviter nunc repetere, quamquam in arte parva de purgantibus, & hemeticis fusè diſſeruerim. Efficacia in primis purgantia, & hemetica intelligo, quæ

quæ naturam vel invitam cogunt ad evacuationem, illa per inferiora, hæc per ſuperiora; & hac ratione diſcriminantur ab iis, quæ tantummodo lubricant, non autem naturam cogunt ad evacuationem, cujuſmodi ſunt ſerum lactis, oleum, gummi ammoniacum, & alia hujuſmodi, quæ non niſi ubi naturalis adeſt diſpoſitio, purgationem promovent, prævalente ideò tunc naturæ vi, potiùs quam præciſa efficacia medicamenti factam. Sed ab horum cenſu excludenda ſunt ea omnia, quæ vulgus levia, & *Benedicta* confidenter appellat, cujuſmodi ſunt pulpa caſſiæ rhabarbarum, ſyrupi ſolutivi, & alia hujuſmodi commoventia, & humores a ſanguine ſolventia, ut manifeſtè cernimus, nam urinam tingunt, & lac nutricum ſolutiva imbuunt vi, lactantes etiam infantes afficiente; uno verbo excludenda ſunt ea omnia, quæ ſemper plùs, vel minùs ſuum præſtant effectum vel adſit naturalis diſpoſitio, vel non.

His poſitis, dico primò iſta omnia in febribus acutis vires prohibere, tametſi viæ ab inflammationibus, aut obſtructionibus liberæ ſint; quod jam evidenter deducitur ex antecedente,palam eſt enim iſtorum extraneam vim & ſpiritus agitare, & humores commovere, & omnia illa efficere, quæ, unà cum vi morbi, vires valdè lędere poſſunt, etiamſi viæ liberæ ſint, ut luculenter conſtat ex propoſitionibus artis parvæ capite de purgatione.

Dico ſecundò in chronicis, ubi obſtructiones viſcerum, & glandularum adſunt, hemetica, & purgantia omnia efficacia prohiberi a viribus, *etiamſi febris abſit*. Humor enim obſtruens, minimè fluxilis, & fortiter hærens in anguſtiſſimis vaſculis, illaque diſtrahens, diſtendens, & implens, hoc ipſo validiſſimè reſiſtit viribus naturalibus moventibus, ex hypotheſi, nam ibidem ſubſiſtit, nec in fluxum, cujus capax non eſt, urgeri per illas poteſt. Accedat jam vis cathartica, vel hemetica, eaque in primis ſupponatur quantumvis valida: manifeſtum eſt ex 10. pronunciato phyſicorum, copioſam potiùs pro ratione vis validæ, ſequuturam evacuationem humorum facilè cedentium, & per vias liberas fluentium, quam ſubſiſtentis illius minimè fluxilis, & maximè reſiſtentis ipſis naturæ viribus, atque intereà per eamdem validam vim ſpiritus animales tenuiſſimos, & mobiliſſimos magna ex parte diſſipatum iri, ut ex antecedente, quarè dupplici de nomine defecturas vires manifeſtiſſimum eſt. Supponatur viceverſa vis minor, cujuſmodi eſt ea, quam tribuunt rhabarbaro,aliiſque vulgo lenientibus nuncupatis, efficacibus tamen ut ſuperiùs expoſui, palam eſt ex evidentiis 5.libri Euclidis iſtam pharmaci minorem vim ad eamdem illam obſtruentis reſiſtentiam, habere minorem proportionem, ac proindè magis illud obſtruens repugnaturum ex 10. pronunciato phyſicorum, intereà verò efficaciter, quod purgandum non eſt [flu-

xile

xile videlicet, quod morbum non conſtituit] evacuatur, & hoc de nomine vires debilitantur; præterquamquod eodem tempore per haſce evacuationes humidum per totum corpus abſumitur, ideoque magis firmum, & ſiccum, ſeu [quod idem eſt] magis reſiſtens redditur illud obſtruens, & [quod rurſus idem] majorem ad naturales vires proportionem habet; manifeſta eſt igitur tota propoſitio. Et quamquam, ubi febris non adeſt, iſta omnia vires lędentia, præſentaneum non inferant mortis periculum, infirmas tamen eas reddunt, ac proindè morbo ſuperando minùs aptas, qui hoc ipſo prævalens alios morbos, facilè inducit. Non rarò enim vidi obſtructiones improbo, & continuo rhabarbari, ac ſimilium purgantium uſu in tumores abiiſſe incurabiles, atque miſeris ægris nedum diuturnam infirmitatem, ſed & præmaturam mortem intuliſſe; contrà verò purum gummi ammoniacum emolliens abſque ulla violentia diuturnas longo uſu obſtructiones quamquam firmas, immò etiam tumores duros diſſoluiſſe.

PROPOSITIO XI.

THEOREMA VIII.

Illæ tantummodo purgationes per quaslibet vias arte promotæ, tutiſſimæ ſunt, ubi motus naturæ ita prævalet in ſecernendis humoribus noxiis, ut non cogatur per illatam ab arte vim, effundere quod evacuandũ non eſt.

QUod Hippocrates aphoriſmo 2. docet de utilibus, & viceverſa de noxiis perturbationibus ventris, ac vomitibus ſpontaneis, generatim intelligendum eſt de aliis etiam ſpõtaneis evacuationibus per quaslibet vias, ut ex ejuſdem contextibus in recenſu ſemejoticis allatis luculenter conſtat; nam in omnibus: *ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, ac leviter ferunt; ſin minùs contrà*. In primo enim caſu prævalens, & incoacta natura, morborum medicatrix, quod intùs læſurum erat ſponte, ac utiliter evacuat; in ſecundo caſu morboſa vis noxii humoris in ſanguine permixti, ac nondum diſpoſiti ad ſecretionem per glandulas, irritat naturam, eamque cogit [cum læſione virium periculoſa] exprimere, ac evacuare, quod evacuandum non eſt. Eadem ratio militat de evacuationibus arte factis. Perindè enim eſt in primo caſu, ſi natura incoacta præva-

leat quando ſpontè molitur noxii humoris evacuationes, ac ſi arte juvetur ad ipſos ſecernendos auxiliis, quæ ipſam non cogunt evacuare quod evacuandum non eſt. Sic in ſecundo caſu ex lege contrariorum eadem eſt ratio, ubi ars ipſa irritat, cogitque naturam ad effundendum quod innoxium eſt; manifeſta eſt igitur propoſitio.

SCHOLIA.

EAdem coindicantia, quæ in 1. ſcholio prop. vi. atque in principio hujus libri adnotata ſunt pro victus ratione, hic etiam pro virium defenſione recenſenda veniunt; palam eſt enim ea etiam correpugnare omnibus violentiis naturales vires lædentibus.

Simili ratione, dum auferendis contrariis incumbimus per alterantia remedia, naturale temperamentum totius, & partium defendere debemus ab omnibus, quæ ipſum ultrà ſtatum naturalem alterare, ac per conſequens lædere poſſunt, atque ſemper aliquid corroborans adhibendum eſt [ut monet laudatus Valleſius] quoties in morbis partium præſertim nobiliorum, aut calefaciendum, aut refrigerandum, aut humectandum, aut ſiccandum eſt. Denique nedum partes nobiliores, ſed & omnes ſenſu acuto præditæ, majorem expoſcunt defenſionem ab omnibus præſertim ſtimulis.

CAPUT III.

De medica vi liquidorum ſimplicium ad rem alimentariam pertinentium.

JAm conſtat ex quarta propoſitione capitis primi, victus regimen præciſum in ægrotantibus primum eſſe ex universalibus remediis, eoque nedum adiici ſimilia, ſed contraria quoque tolli. Nunc magnam adnotare ſubeſt in liquidis, vel ſimpliciſſimis ad rem alimentariam pertinentibus, vim profligandi morbos; incipiendo a potu aquæ vel calidæ, vel frigidæ; progrediendo ad uſum vini, lactis, aliorumque liquidorum ſimilium; donec tandem olei miram, & multiplicem facultatem alibi expoſitam, inter hæc, & alia ſaluberrima pauperum remedia, breviter denuò recenſeam. Sit itaque

PROPOSITIO XII.

PROBLEMA IV.

Aquæ vires medicas explicare.

Bifariam aquæ potus exhiberi ſolet. Primò cum cibis pro iſtorum quantitatis ratione commoderata, eſtque tunc vehiculum, quo cibus ipſe liquatur, & ad ſolutionem, concoctionemque diſponitur. Secundò præſcribitur ægrotantibus peracta coctione ventriculi, & jejuno ſthomaco tamquam potio medica, vel frigida, vel calida, vel aliis incoctis alterata pro indicantis morbi & cauſæ, ratione.

Primo modo conveniens potus eſt in febribus, reddens quoque opportunum, & medicatum alimentum, quatenus exceſſum caloris, & ſiccitatis compeſcit.

Secundo autem modo ſimplex aqua purum, tutiſſimum, & efficaciſſimum eſt remedium, purum quidem, quia jejuno ſthomaco cibis non immiſcetur ex hypotheſi, ſed per vias liberas fluit per totum corpus; tutiſſimum autem, quia ſimplex, naturæ congruens, atque ad uſum vitæ Divina munificentia comparatum; tandem ubi neceſſitas urget, efficaciſſimum, huic enim efficaciſſimè ſuccurrit. Age itaque de ſimplici frigida in primis loquamur. Hæc in febribus ardentibus [poſt ſufficientem ſanguinis miſſionem] potentiſſimum eſt remedium a Galeno præſcriptum, & irrefragabili experientia quotidiana notiſſimum; nedum enim *calorem urentem* compeſcit, ac *ſitim* ſedat inextinguibilem [quæ ſunt febris ardentis potiſſima ſimpthomata] ſed quotidie repetita ſanguinis fervorem ſenſim tollit, ac materiam morbificam ad criſim efficaciſſimè diſponit, quatenùs occurrit motui particularum, quæ ſanguinis ebullitionem concitant, & ſupra hujus libellam attolluntur; nam fluens aqua per directiones vaſorum eas particulas in eundem fluxum rapit, donec deferveat ſanguis, & per criticum ſudorem ope hujus auxilii natura prævalens materiam morboſam expellat. Sed & in aliis morbis abſque febre affligentibus efficaciſſimum quoque remedium eſt; nam diſpepſiæ ventriculi cum ſenſu ardoris moleſto, ſolo aquæ potu, ac dieta congrua, vetito per aliquot dies vino, curantur; in defluxionibus item rheumaticis, atque attritide ipſa potus aquæ cum dieta congrua maximè prodeſt. Quid quod morbus herculeus omnia planè deludens remedia, huic ſolo, ac dietæ congruæ, vetito ſemper vino plerumque cedat? Calida verò itidem ſimplex optimum eſt remedium in febribus, cæteriſque morbis, ubi tenſiones, & obſtructiones

adſunt;

adſunt ; emollit enim, diſtenſiones tollit, obſtruentes lentores liquat, viſcidaſque renum defluxiones quotidiè jejuno ſthomaco epota diſſolvit, atque aliis affectionibus rheumaticis medetur. In febribus quoque putridis cœnoſas glandularum linguæ impuritates eadem ratione diſſolvit, ideoque in his ſummo manè jejuno ſthomaco cyathum aquæ calidæ ſimplicis præſcribo intervallo unius horæ antequam juſcula alterata, vel oleum, vel alia, quæ conveniunt, exhibeam. Poſtmodum verò aquam aliis rebus ad rem quoque alimentariam pertinentibus alteratam commendo, ut cornucervi, aut Rinocerontis decoctionem, itidemque cicoreacea, ſonci borraginis pimpinellæ ſuccos aquæ immixtos, alioſque hujuſmodi, prout indicantium ratio dictat; hæc autem omnia tutiſſima eſſe auxilia morbi vim obtundentia, & naturam ad criſes diſponentia, nemo non videt.

PROPOSITIO XIII.

PROBLEMA V.

Vini uſus Medicus, ejuſque notæ.

De uſu vini etiam in morbis acutis agit Hippocrates 3. acutorum, ejuſque notas quadrifariam diſtinguit: *dulce* videlicet: *vinoſum*: *album*: & *nigrum*. Hæ omnes, & aliæ inſuper qualitates in uſu Medico breviter hic ſunt animadvertendæ. Dulce [ut inquit Hippocrates] minùs caput gravat quam vinoſum; viſceribus tamen infimi ventris minùs utile eſt, utpotè flatuoſum, minùs penetrans, minùſque per urinam exiens, excipio moderate dulce, ac minimè craſſum; & hoc ſanè magis quam cætera vina dulcia in morbis pectoris ab Hippocrate laudata, convenit iis, qui defluxionibus ad glandulas tracheæ laborant, atque etiam phtyſicis in pauca tamen quantitate, ac dilutum prout a febre permittitur. Vinoſum utile magis eſt iis, qui capitis gravitati proni non ſunt, & album quidem vinoſum eatenùs prodeſt ex Hippocrate, quatenùs urinam ciet. Hujuſmodi eſt vinum Campaniæ, Rhænanum, & quod in agro Genuenſi, oriſque proximis fit, aliaque ſimilia limpida; ſed ſi ſubacida ſint aut minùs matura, noxia ſunt iis, qui ad acidam diſpepſiam proni ſunt. Fulvum, nigrum, & auſterum prodeſt ubi ægeſtiones per alvum plùs juxtò fluunt, ſi gravitas capitis non adſit, neque urina ſuppreſſa ſit, neque ſputum prohibeatur ex eodem Hippocrate loco citato; in quibus caſibus optimum eſt nigrum vinoſum, quod in agro Florentino, & Politiano

 fit,

ſit, exquiſitum præterea, & aliis quoque ſalubre ſi vetus, ac valdè maturum eligatur. Tandem & pro potu, & pro medicamento in cruditatibus, & flatibus hypocondriacis, & pro cardiaco etiam in acutis, opportunum eſt ſemper vinoſum vinum generoſum, has qualitates habens: lævorem, quo maturitas perfecta guſtatu dignoſcitur: tranſparentiam, ac tenuitatem, gratum ſaporem, & odorem, cujuſmodi eſt rubrum burgundicum, vel etiam album, aliaque ſimilia, ut noſtrum Albriganenſe ſelectum ex apricis vinetis; in potu quidem ordinario ſincerum, vel aqua correctum, pro temperamenti, & conſuetudinis ratione, dummodò eo minor ſit quantitas, quo magis generoſum eſt, ut capitis læſio, & ebrietas vitetur. In febribus autem putridis, verminoſis, & malignis, & ubicumque virium debilitas adeſt, maximum eſt cardiacum, ſi perpauca quantitate, quantum ſcilicet non potus, ſed medicamenti rationem habeat, exhibeatur ad unciam videlicet unam bis, vel ter in die; alit enim, & confeſtim ſpiritus recreat, penetrante ſtatim tenuiſſima, & ſpirituoſa ejus parte per triangulares ductus nerveos in omnes corporis partes, antequam per viam chili reliquum diſtribuatur, ut in prima parte de homine adnotavi, quod cæteroquin ratum omninò eſt experientia.

PROPOSITIO XIV.

PROBLEMA VI.

Lactis vires Medicæ.

LAC, primum infantium alimentum concoctu facile, ac naturæ noſtræ maximè congruum, admirabiles quoque habet in adultis medendi vires. Nam in omnibus morbis ab inanitate ſucci nutritii ortis, nedum cibus, & potus eſt, ſed unicum, & continuum pro diuturnitate morbi remedium; in aliis quoque affectionibus ab acri ſucco pendentibus maximè prodeſt; in hemopthiſi, poſt ſanguinis miſſiones congruas citò (prima videlicet ac ſecunda die) factas, lactea dieta mirabiliter a pthyſi pulmonari præſervat. Arſenicali veneno ingeſto correptos mirificè ſanat, ſi ſtatim, & pluries in die in magna quantitate abſque ullo alio cibo aſſumatur, etiam ſi vomitu, ac ſeceſſu ægeratur, & etiamſi obſtet conſuetudo, & naturalis averſio, ut inter alios ego quoque vidi. Serum lactis, & lac aſininum blandè alvum movet abſque ullo periculo; immò etiam hoc facit caprinum, & vaccinum ad libras tres circiter epotum.

Qui

Qui verò febre putrida laborant, aut capitis dolori obnoxii ſunt, aut quacumque ratione lac naturale averſantur, hujus loco ſubſtituere poſſunt lac artefactum ex emulſione nucleorum pini recentium, amigdalarum dulcium, ſeminum frigidorum, hordei, & ſimilium, prout morbus exigit, ac temperamentum permittit. Sed & analogum lacti artefacto pro hemoptoicis, ac pthyſicis eſt decoctum pulmonis vitulini, aut vervecis, aut agni, necnon tartarucæ, cancrorum fluviatilium, quod horis congruis jejuno ſthomaco exhiberi poterit.

PROPOSITIO XV.

PROBLEMA VII.

Vires olei olivarum dulcis, tenuis, & fluxilis, cujuſmodi eſt liguſticum.

INter ſimplices potiones medicas, quæ alimenti rationem non excedunt, alibi dixi oleum efficaciſſimè, ac tutiſſimè juvare, ut videre eſt in fine hujus Operis, ubi ſecunda editio artis parvæ Italicè ſcriptæ pro ſupplemento adjicietur; & amigdalinum præſertim jam ubique adhibetur nedum pro anodino, ut antiquitùs, verum etiam pro alterante, ac pro purgante tutiſſimo. Apud nos autem, [exceptis morbis pectoris in quibus amigdalino utimur] uſus invaluit noſtri olei olivarum recentium dulcis, atque aliorum omnium, quæ noverim, tenuiſſimi, ſi leviſſima expreſſione colligatur; eſtque revera efficaciſſimum anodinum cauſam quoque dolorum proximam tollens, & remotam corrigens, quando præſertim unà cum ſanguinis miſſionibus opportunis (ubi conveniunt) præſcribitur; iſtud enim, proculdubio multiplex remedium, ſolida noſtri corporis, & fluida reſpicit, illorum morboſas tenſiones tollit, horum acrimonium corrigit, ſi pauca doſi per multos dies adhibeatur; quare duplici de nomine dolorem, irritationemque ſentientibus partibus adimit, illas videlicet muniendo, & miaſmata ipſis infenſa enervando, ita ut ego non ſemel viderim, & alii apud nos experti ſint, hoc duplici auxilio febres intermittentes, etiam abſque magno febrifugo, profligatas.

Ad hæc in febribus malignis, ac peſtilentibus eadem duplici ratione prodeſt, muniendo ſcilicet partes ſentientes, ceu ſolida omnia, contrà vim venenati miaſmatis, motus convulſivos, deliria, &

con-

convulſiones inducere apti; necnon infringendo, & enervando ipſa eadem venenata miaſmata, ſi quotidie ad unc.ij. circiter præſcribatur. Præterquamquod in febribus verminoſis vermes ipſos enecat, ac per alvum, vel per vomitum expellit, ut ſæpè ſæpiùs expertus ſum. Tandem ubi diſpoſitio naturalis adeſt, qua humores ad evacuationem per alvum, vel etiam per vomitum vergant, opportunum eſt, atque catholicum pro purgatione medicamentum tutiſſimum, ad quatuor, vel ſex uncias exhibitum; quod ſi non purget, ſignum habemus non adeſſe tunc diſpoſitionem naturalem, quo in caſu noxia foret purgatio per medicamentum efficaciùs, ut ex prima parte propoſitionis 11. luculenter conſtat; intereà verò, cum non excedat alimenti rationem, cætera præſtat beneficia ſuperiùs adnotata.

Optimum eſt, quod ex olivis maturis paratur, quià tamen non omnes abſque nauſea hoc deglutire poſſunt, his convenit magis paratum ex olivis anticipata olivitate collectis, dum videlicet puniceum colorem præſeferre incipiunt, ex his enim oleum leviter expreſſum jucundiſſimi ſaporis eſt, ac ſthomaco gratum. Prætereà gargarizando priùs, & poſteriùs vini ſpiritum purum, faciliùs, & abſque nauſea deglutitur, ac retinetur.

SECTIO II.

De indicatione contrariorum, ac de remediis indicatis.

HActenùs de prima indicatione, quæ virium conſervatio, ac defenſio eſt, breviter [ſatis tamen ut arbitror] diſſerui, & magnam quoque vim liquidorum ſimplicium ad rem alimentariam pertinentium in curandis morbis expoſui, adeo ut jam habeamus partem tutiſſimorum remediorum univerſalium ad profligandos morbos, & cauſas; eorumque omnium rectam adminiſtrationem, vel me ſilente, certitudini ſcientiæ experimentalis innixam quiſque videt, nam ex una parte naturæ vires citrà oppreſſionem conſervant, levant, ac defendunt ab iis, quæ nocere poſſunt; infringunt etiam adverſas vires morboſas, & naturam ipſam, quæ vera morborum medicatrix eſt, ad ſanitatem aquirendam diſponunt efficaciſſimè, ut oſtendi; ex alia verò parte tutiſſima, & omninò innoxia ſunt, utpotè ad quotidianum vitæ uſum, & conſervationem divinitùs comparata. Supereſt nunc directè de indicatione contrariorum agere, atque alia remedia, quæ unà ſimul tutiſſima, & efficaciſſima ſunt, adnotare.

CAPUT

CAPUT I.

De Indicationibus ſimplicibus, atque compoſitis rerum præter naturam, earumque ordine.

SImplex indicatio rei præter naturam illa dicitur, quæ unica eſt, unius videlicet tantummodò exiſtentis affectionis morboſæ, quæ ideò per primam intentionem curari dicitur; quia cum unica ſit, prima eſt nedum in intentione, ſed etiam in exequutione; nihil enim eſt, quod hanc impediat ex hypotheſi; hujuſmodi ſunt exiguæ ſolutiones continui, ſimplicem agglutinationem indicantes, febris diaria, & ſi qui alii morbi, quorum cauſa præteriit, aut nullam profert indicationem. Curatio autem per primam intentionem tutò fit, quando nedum nulla impediens adeſt cauſa, ſed neque imminet; ſic luxationes recentes repoſitione ſola curantur, quando neque fluxio partem luxatam occupat, neque imminet inflammatio eo quod plectora non adſit, quando enim adeſt aut plectora, aut cacochimia, hujuſmodi cauſis undè affectus alii produci facilè poſſunt, proſpicere priùs in exequutionis ordine debemus. Atque hæc de ſimplicibus indicationibus dicta ſufficiunt, nam iis plerumque ſola natura ſatisfacit.

Compoſitæ verò indicationes potiſſimum conſiderandæ ſunt, cum ut plurimum affectiones præter naturam multiplices, & complicitæ ſint, ſuas quæque indicationes proferentes, quæ quoniam inter ſe non rarò diſſident, operæ pretium eſt ordinem ipſarum animadvertere, ut recta methodo mederi poſſimus. Jam itaque ſit

PROPOSITIO XVI.

THEOREMA IX.

Compoſitarum indicationum, quæ ab affectionibus præter naturam emergunt, illa quam præbet morbus prima eſt in intentione, ultima verò in exequutione.

FInis enim, ſeu id, quod in intentione primum dicitur, eſt ſanitas aquirenda, quæ in actionum integritate conſiſtit ex communi notione;

tione; ſanitatis autem reſtitutio idem eſt ac morbi proximè lædentis operationes ablatio, ſeù (quod idem eſt) ipſius morbi indicatio. Hæc igitur in intentione prima eſt; quia verò id exequi non poſſumus, quin auferantur priùs omnia, quæ morbi ablationi obſtant, palam eſt illam in exequutione ultimam eſſe.

PROPOSITIO XVII.

THEOREMA X.

Ubi plures occurrunt cauſæ, auferenda priùs illa eſt, quæ aliarum ablationi obſtat, deinde auferendæ ſunt eodem ordine aliæ, donec morbi ab ipſis pendentes tollantur.

PRima pars manifeſtiſſimè patet ex hypotheſi, nam ablationi aliarum cauſarum obſtat niſi tollatur; hæc igitur auferenda eſt priùs, ut aliæ deinde, tandemque morbus ipſe auferatur; eadem ratione patet ſecunda pars videlicet hoc ordine auferendas eſſe alias, quæ aliarum ablationi, ac denique morborum, qui ab ipſis pendent, ſanationi obſtant, ut ex antecedente.

PROPOSITIO XVIII.

THEOREMA XI.

Contrariorum urgentium indicatio prima omnium eſt in exequutionis ordine; atque coincidit cum indicatione virium.

AFfectiones præter naturam, quæ urgent a Galeno IX. methodi, & diligenter a Franciſco Valleſio recenſentur; ſunt autem evacuationes

cuationes immanes: pervigilium: dolores: animi deliquium: cibi faſtidium: fames: coma, uno verbo quæcumque imminens periculum præſeferunt. Harum autem contrariarum affectionum primam ſemper eſſe indicationem, in prima parte propoſitionis aſſero; idque ſtatim fiet evidens ex demonſtratione ſecundæ partis, qua dico harum affectionum urgentium indicationem cum indicatione virium coincidere. Manifeſtum eſt autem re ipſa, & autopſia evacuationes immanes admodum debilitare, ſpirituſque etiam, quibus vires ipſæ conſtituuntur, exhaurire; quamobrem ex ipſa indicatione virium illis promptè occurrendum eſt, ut ex propoſitione ix. de virium defenſione conſtat luculenter. Pervigilium quoque ſpiritus animales maniſeſtè conſumens promptè indicat horum reparationem per ſomnum, eâdem indicatione defenſionis virium, ut ex Corollario ejuſdem propoſitionis ix. ſic dicas de doloribus, qui & conſumptione ſpirituum, & cruciatibus vires enervant. Jam verò animi deliquium eſt præceps virium lapſus, ideòque palam eſt promptam exigere virium reparationem. Sed & cibi faſtidium, ubi adeò crevit, ut alimentum renuat æger, hoc ipſo impedimentum eſt refectionis, & conſervationis virium, quæ prima omnium indicatio eſt, ideòque patet ipſum priùs eſſe tollendum. Contrà fames nimia pro ipſa indicatione virium duplici de nomine ſtatim compeſcenda eſt, quatenùs videlicet rectæ victus rationi obſtat, & quatenùs ad eum gradum pervenire poteſt, ut animi deliquium inducat ratione ſtimuli vehementis per conſenſum nervi cardiaci, ut ex pathologicis conſtat. Coma tandem virium etiam refectioni, non minùs quam cibi faſtidium, obſtat, æger enim hoc affectu laborans cibari non poteſt, idemque dicas de aliis quibuſcumque affectionibus imminens periculum hac ratione præſeferentibus. Manifeſtum eſt igitur harum affectionum urgentium indicationes cum ipſa virium indicatione coincidere, ideòque omnium primam evidenter eſſe hoc de nomine, ut propoſitum fuerat. Quænam verò ſint harum affectionum, & quænam etiam cauſarum, undè pendent indicata, capite ſequenti dicetur.

CAPUT II.

De Remediis urgentium affectionum.

REmedia urgentium affectionum ab ipſa eorumdem indicatione [quæ agendorum inſinuatio dicitur] ſtatim indigitantur. Sic evacuationum immodicarum remedia ſunt quæcumque ipſas cohibent;

Pervigilii quæcumque ſomnum inducunt: doloris quæcumque ipſum ſedant: animi deliquii quæcumque ſpiritus, & vires prompte reficiunt, atque excitant: nauſeæ, ac anorexyæ quæcumque appetentiam juvant; famis quæcumque ſenſum ipſius moleſtum compeſcunt; comatoſi affectus quæcumque motum ſpirituum impeditum ubique potenter excitant, idemque dicas de aliis quibuſcumque affectionibus, quæ motu, vel quiete nimia, naturales vires valdè lædunt, & imminens inducunt periculum. Supereſt breviter ſingularum, quas adnotavi affectionum remedia ſelectiora & cautiſſima breviter innuere.

PROPOSITIO XIX.

PROBLEMA VIII.

Evacuationes immodicas cobibere.

EVacuationes immodicæ bifiariam ſiſtuntur. Primò, ſubitis adſtringentibus, parteſque ſtimulatas mitigantibus, & corroborantibus pro indicatione virium, quæ omnium prima eſt. Secundò, cauſam ſtimuli removentibus. Primi generis ſunt opiata balſamicis etiam, & ſpecificis corroborantibus immixta, cujuſmodi ſunt præſertim diaſcordium Fracaſtorii, theriaca recens, oleum quatenus ſenſitivas partes a ſtimulis defendit, ſeu quatenus anodinum eſt; ferri candentis extinio in liquoribus appropriatis exhibenda, vel ejuſdem ſubſtantia in pollinem redacta; exteriùs adſtringentia emplaſtra ventris regioni appoſita in diarrheis, ac diſenteriis; ventriculi autem regioni, ubi vomitus adeſt, corallum pulverizatum, aliaque hujuſmodi, quorum uberrima eſt ſylva in officinis medicis. Secundi autem generis in diarrhea, ac diſenteria oleum eſt, quatenus blandè, ac efficaciter ſubmovet ſtimuli cauſam fibris adhærentem, præſcribendo interim quæcumque cauſam ipſam ab inteſtinis revellunt, præſertim Aſclepiadis frictiones bis in die repetitas, &, in diſenteria, congruas venæ ſectiones, quibus inteſtinorum phlogoſis avertatur. In Hemorragiis etiam largis revellens venæ ſectio partibus oppoſitis facta impetum ſanguinis avertit, atque in hunc finem vincula pauco intervallo repetita partibus itidem oppoſitis conveniunt, & cucurbitulæ majuſculæ partibus affixæ, per quas commodè revulſio fiat, ut inter mammas in hemorragia uteri, hypocondriis verò, aut reliquis partibus inferioribus in hemorragia narium; præſcribendo interim primi generis remedia aſtringentia ipſi parti apponenda, unde ſanguis exit pulveres nimirum adſtringentes vel torundis mollibus exceptos,

vel

vel inſuflatos; juvat etiam compreſſio vaſis manufacta donec ſanguis grumeſcat, viamque ſibi obſtruat, aliaque hujuſmodi, quæ ab auctoribus in curatione hemorragiæ recenſentur. Optimum autem expertum eſt goſſipium atramento imbutum. Hæc tamen omnia cautiùs adminiſtrantur ſi os intereà plenum aqua ſit, ne ſanguis per foramina oſſis aratriformis in os erumpat.

PROPOSITIO XX.

PROBLEMA IX.

Pervigilium ſedare.

UBicumque nec ſanguinis miſſiones opportunæ, nec revulſiones, nec potiones copioſæ refrigerantes, & humectantes, nec unguenta, nec ipſa demum opiata ſufficiunt, optimum eſt aquæ tepidæ ſtillicidium ſuturæ ſagittali diutiùs applicitum, ut expertus fuî circa elapſi ſæculi finem in admodum Reverendò Joſepho Pauletti Rectore Collegii Duratii Nobilium, qui tunc febre acuta laborans magnum patiebatur pervigilium, quod aliis remediis non cedens hoc tandem diuturno ſtillicidio ſedatum fuit, & citò deinde convaluit, etiamnum vivens, & bene habens. Hujuſmodi enim ſtillicidium diuturnum per fibras commiſſuræ communicantes cum internis membranis, ipſarum diſtentiones tollit, emollit, halitus infenſos reprimit, enervatque, tum ſpirituum enormes motus compeſcit; ea tamen omnia, quæ præmiſſi, tametſi ſtatim non operentur, negligenda non ſunt.

PROPOSITIO XXI.

PROBLEMA X.

Dolores mitigare.

QUÆ pervigilio laborantibus efficaciter, & promptè plerumque ſuccurrunt, eadem ratione dolores mitigant, & ubi venæ ſectiones opportunæ revellentes, atque evacuantes cauſam, non ſufficiunt, ſtatim illa pro indicatione virium ſunt adhibenda; eadem autem vis opii, quæ in pervigilio impetū ſpirituum ſuflaminat, quietemque inducit, una ſimul tenſionem ſentientium partium ab impetu

ſpirituum procedentem compeſcit, & [quod idem eſt ex pathologicis] dolorem mitigat, prætereà topica etiam anodina externa; ubi dolor ad extrà vergit, applicanda ſunt; interiùs verò efficaciſſimum eſt oleum ad unc. ij. bis in die repetitum in cardialgia, in qua tamen negligenda non eſt parca ſanguinis miſſio etiam intervallo brevi repetita, quamvis pulſus parvi ſentiantur, majùs enim tunc imminet ſincopes convulſivæ periculum ex dolore vehementi ob conſenſum nervi cardiaci, quam animi deliquii ex parca miſſione ſanguinis etiam repetita. In colicis doloribus, præter ſanguinis miſſiones, oleum copioſiùs exhiberi debet, ut non anodini tantum, ſed & evacuantis vices adimpleat. In pleuritide præter largas, & repetitas venæ ſectiones bis in die antè quartum, repetitas, & præter anodina topica, quorum ſuppellex copioſa eſt apud Authores, optimum eſt pro anodino interno amigdalarum oleum bis in die ad unc. j. vel ad unc. j. ß. quod locum ſemper habet etiamſi alia exhibeantur propria, & ſpecifica pro anacatharſi, remedia.

PROPOSITIO XXII.

PROBLEMA XI.

Animi deliquio ſuccurrere.

Animi deliquium, quod eſt præceps virium lapſus, pro prima indicatione promptam exigit virium reparationem, celerem videlicet ſpirituum refectionem per cardiaca, inter quæ optimum eſt elixir vitæ, aut etiam vinum gratum, atque generoſum in pauca quantitate ſumptum, & naribus etiam admotum, ut & alii odores, balſamum Apopleticum, acetum quoque cyperis infuſione medicatum, aut etiam roſaceum, ac ſimilia, ſed & quandoque ſuccurrimus promptè repentina, atque impetuoſa inſperſione aquæ in faciem, & oculos, tum frictionibus, & quandoque vellicationibus dolorificis, aliiſque hujuſmodi ad motum ſpirituum concitandum, & a præcordiis avertendum eorumdem impetum, aptis; ſic & animi deliquia in hyſtericis curamus remediis, quæ impetum ſpirituum ſufflaminent, atque a præcordiis avertant, & iis, quæ miaſmati maligno, unde hyſterica deliquia pendent, opponantur; quamobrem præter medicamenta chirurgica ſuperiùs allata, utimur caſtoreo, aut ejus tinctura, ſuccino, aut ſpiritu ejuſdem per os exhibitis, aut etiam naribus admotis, quibus itidem applicamus alia fœtida pro ſpirituũ impetu moderando.

Quandò

Quandò autem adeſt præcordiorum oppreſſio a copia, & lentore ſanguinis, ſtatim quoque pro indicatione cauſæ curamus animi deliquium ſanguinis miſſione, ut adnotat laudatus Valleſius; itemque indicatio cauſæ urget, quando a bile acri quolibet humore mordente os ventriculi deliquium pendet; quo in caſu blandum anodinum aculeos infringens, ac tenſionem tollens, cujuſmodi eſt oleum, exhibendum eſt, ut in cardialgia vel etiam in majore doſi, ut promptius ſuccurramus, in quem finem etiam inunctiones regioni ſthomaci applicitæ utiles erunt ex oleo nucis myriſticæ, aliiſve ſpecificis.

PROPOSITIO XXIII.

PROBLEMA XII.

Cibi faſtidio mederi.

CIbi faſtidium ubi adeo crevit, ut alimentum renuat æger, inediam, & per conſequens virium languorem, ac debilitatem infert, ideoque pro indicatione virium, prompte quantum fieri poteſt huic mederi debemus, ſuavitatem ad ægrotantis libitum alimentis conciliando per idonea condimenta; vel eos eligendo cibos, & potus, qui ſuaves ipſis videntur, quamvis paulò deteriores, juxtà monitum Hippocratis alibi memoratum, quocirca vidi nauſeabundos ægros eſu halicæ aceto, & oleo conditæ cum origano, & pauco allio trito appettentiam excitaſſe. Conveniunt autem ſthomatica tum intrinſecus, tum extrinſecus adhibita, nux myriſtica trita, & ad aliquot grana in cocleari aquæ florum aurantiorum hauſta, eleoſaccarum citri, aqua theriacalis, lac cinnamomi, conſerva roſarum rubrarum, diaſcordium Fracaſtorii, ſal abſinthii cũ pauco ſucco recenti limonis, vel citri: atque inter externa hic adnotare operæ pretium eſt linimentum ſthomaco applicandum unà cum paſta ſuperponenda Isbrandi de Diemerbroek lib. 3. cap. 9. de peſte, ac nodulum ejuſdem naribus frequenter apponendum, cujus miram, vim ſpiritus quoque recreantem non ſemel ego etiam expertus ſum; eſt autem hæc ipſa ejuſdem Authoris preſcriptio.

Linimentum.

℞. Olei nucis moſchatæ expreſſi, olei ſcorpionum, vel laurini, theriacæ andromaci ana dr. i., olei juniperini ſcr. ii., ſuccini ſcr. i., gariophilorum, vel cynnamomi gr. iii. m. fiat linimentum hoc in

cocleari tepefacto, ſthomaci, & circumvicina regio ad latitudinem palmæ manus inungatur, ſuperponendo hanc paſtam ad ignem calefactam.

℞. Calami aromatici, nucis moſchatæ ana dr. i., gariophilorum, benzoini ana dram. ß., menthæ dr. ii. ſubtiliter pulverizatis adde micæ panis ſegalini unc. iii., aceti roſati q. s. f. paſta molliuſcula, quæ lintheo extendatur, ad ignem calefiat, ac ventriculi regioni ſuperponatur.

Nodolus frequenti odoratu ſpiritus deficientes inſigniter recreans.

℞. Corticum citri dr. iii., cinnamomi, gariophilorum, granorum cardamomi minoris ana dr. i., macis ſcr. ii. contundantur aliquantulum, & fiat nodulus ſequenti liquori immergendus.

℞. Aquæ roſarum, vini Rhenani (vel alius generoſi) aceti ſambuci, vel aquæ cynnamomi ana unc. i. alia remedia videre eſt inter antiquos apud Æginetam lib. 2., & 3. ubi de ciborum inappetentia, ſed hæc ſatis eſt adnotaſſe.

Intereà tamen indicatio cauſæ opprimentis animadvertenda eſt, ipſique ſtatim, antequam vires deficiant, ſatis faciendum; atque hæc neceſſariò eſt oppoſita cauſæ naturalis appetentiæ a Galeno 1. de ſimpthomatum cauſis diligenter (ſi ejus doctrina bono ſenſu excipiatur) adnotatæ, quæ conſiſtit in naturali, & continuata diſtributione ſucci alimentarii per chiliferos ductus in ſanguinem, indeque ad partes, quam conſequitur tandem inanitio ventriculi, & neceſſitas novi cibi, eorumque appetentia naturalis, tum ſenſus corrugationis ob inanitionem, ſeù (quod idem eſt) appetentia animalis. Itaque, ex lege contrariorum, ubi deficit naturalis, & continuata diſtributio alimentarii ſucci, & inanitio tandem ventriculi, cum iis, quæ conſequuntur, neceſſariò appetentia deficiet. Naturalis autem, & continuata diſtributio iſta, cum iis, quæ conſequuntur, neceſſariò deficit, ubicumque vel plectora, tum ad vaſa, tum ad vires, vel ſanguinis lentor, aut infarctus quilibet, circulationis motum liberum, ac tranſpirationem per poros cutis impediens, adeſt [palam eſt enim ex phyſiologicis motus iſtos ad alimenti naturalem, & continuatam diſtributionem eſſe neceſſarios] ergo quçlibet ex iſtis cauſis defectum appetentiæ naturalis, ſeù [quod idem eſt] inappetentiam inducet, eritque præcedens obſtaculum impediens ſuccedentem alimenti diſtribuendi motum, ut ex pathologicis luculenter infertur; ergò ex legibus methodi, ablatio hujuſmodi cauſæ ſuprema quidem eſt in intentione, at prima in exequutione. Hanc verò quæcumque ſit: immò

immò plures, vel omnes, [ſi una ſimul adſint, nec debilitas eſſentialis obeſt] tutiſſimè tollimus venæ ſectione; utpotè qua minuitur plectora, velocitas augetur, indeque lentor, aut infarctus quilibet ſummis vaſis hærens abripitur ex demonſtrationibus Doctiſſimi Laurentii Bellini, experientia quotidiana confirmatis, & per conſequens laxatis viis, motuque liberiore concitato, tranſpiratio etiam promovetur; ergo venæ ſectio in primis indicationi ſupremæ cauſæ omninò ſatisfacit, ideoque tametſi ventriculi etiam infarctus purgatione, vel vomitu ſit auferendus, ab illa ſemper cauſæ ſupremæ ablatione inchoanda curatio eſt, ex coherente doctrina Laudati Valleſii; quippe [inquit ipſe] meliùs præparat ſanguinis miſſio ad purgationem, quam purgatio ad ſanguinis miſſionem, hæc enim laxat vias, quo maximè corpus expurgandum indiget, illa debilitat vires, quo nihil ad mittendum ſanguinem periculoſius.

Quamobrem laxatis prius per ſanguinis miſſionem viis, & liberatis etiam ab infarctu arteriolis ad glandulas ventriculi, abſque violenta ulla expreſsione purgatur ipſe ventriculus vel per vomitum, vel per ſeceſſum ſolo potu olei, melle, aut aliis hujuſmodi, ſi materia ibidem expurganda ſuperſit, ac natura purgationem iſtam exigat, ut luculenter infertur ex iis, quæ in fine ſectionis primæ, atque alibi oſtendi.

PROPOSITIO XXIV.

PROBLEMA XIII.

Morboſam famem infringere.

QUoniam fames morboſa ex morſu nervorum ventriculi animi deliquium minatur ob conſenſum nervi cardiaci; ei ſtatim pro virium tutela occurrendum eſt, ac infringendus præſentaneis remediis morſus ille. Hunc autem vel ab acido [ut docet Galenus 2. de ſimpthomatum cauſis cap. 7.] vel a quocumque vitioſo ſucco dependenti præſtantiſſimum remedium eſſe oleum; conſtat ex dictis in fine primæ ſectionis; nam una ſimul ſolidas partes nerveas obliniendo munit, & aculeos cujuslibet ſucci mordentis infringit. Quamobrem non mirum ſi Villanovanus a Riverio relatus memorat duos hoc affectu percitos, unum, qui panem olei amurca imbutum comedit, & mulierem alteram, quæ parem olei, & adipis bovini quantitatem duabus vicibus bibit, amboſque in tantam cibi inappetentiam

tentiam incidiſſe narrat, ut nihil per quinque dies comederint, indeque a priore affectu omninò fuiſſe liberatos.

Sed & mirificè juvat oleum ſi a lumbricis chilum depaſcentibus fames morboſa oriatur, conſtat enim experientia optimum eſſe antelminticum, quamvis alia quoque in his caſibus vermes enecantia, & educentia conveniant. Admirabilem caſum refert Trallianus lib. 7. cap. 4. a Riverio itidem adnotatum cujuſdam mulieris bulimia laborantis, quæ uſu hieræ vermem duodecim cubitos longum ejecit, & liberata fuit. Cæterum in curatione prophilatica uſus continuus olei ad unc. ii. qualibet die jejuno ſthomaco, & ferri per 40. circiter dies quotidiè ſumpti efficaciſſima remedia ſunt. Juvatque etiam gentianæ decoctum, vel ipſius pulvis in pilulas aliquot redactus.

PROPOSITIO XXV.

PROBLEMA XIV.

Comatetos affectus excutere.

Coma, & alii affectus finitimi: carus lethargus et apoplexia periculum mortis minantur cohibito motu ſpirituum ad vitam apprime neceſſario, ut ex phyſiologicis, & pathologicis conſtat. Feſtinanter ideo promovendus eſt motus ſpirituum, non ſolum incutiendo ſpecies vehementes, ut oculis lucem vividam, auribus clamores, & ſtrepitus, & ſonitus; tactui vellicationes, pilorum evulſiones, digitorum torturas, cucurbitulas divulſas aliaque hujuſmodi; naribus etiam caſtoreum, acetum aromaticum, & ſimilia; ſed confeſtim etiam hujus morboſæ quietis cauſam auferendo, quæ vel in copia, & lentore infarciente ſummas arteriolas carotidum, & vertebralium, & comprimente nervorum principia, vel in perſpiratione narcotica, & maligna ſanguinis, ab ejuſdem inteſtini motus vitio genita, juxtà ea, quæ in pathologia oſtendi: vel ab utroque ſimul neceſſariò dependet; ſiquidem hiſce tribus ſummis generibus omnis cauſa interna hujus morboſæ quietis comprehenditur. Ideoque hiſce omnibus vitiis occurrendum eſt promptiſſimè [quando nondum extrà vaſa exiit fluidum comprimens, aut occludens, vel ſolidum aliquod indè productum idem efficiens malum plerumque lethale] omnium autem cauſarum in præfatis tribus generibus contentarum indicationibus tutiſſimè, ac efficaciſſimè ſatisfacimus ſanguinis miſſionibus per brevia

i nter-

intervalla repetitis revellendo primum perſectiones venarum thali, tum derivando per ſectas venas brachii, ac tandem evacuando partem affectam per jugularis venæ ſectionem, per quam ſanguis a ramo etiam interno derivatus infarctum affectæ partis adimit. Præterea verò per iſtas omnes congruas ſanguinis miſſiones aucta motus circularis velocitate, præfata miaſmata narcotica, & maligna diſſipantur, & per tranſpirationem [quæ hoc etiam de nomine promovetur] excutiuntur. Ubi autem hæc efficaciſſima, tutiſſimaque remedia non ſufficiunt, ſpes in anguſto eſt, nec aliud ſupereſt quam a methodo tutiſſima recedere adhibendo ſynapiſmos, uſtiones, atque anceps etiam veſſicantium remedium cautionibus tamen ritè perpenſis, quæ in appendice methodi breviter innuam.

CAPUT III.

De remediis indicatis a cauſa primum deinde a morbo.

CAuſa, quæ indicat in omnibus morbis ab ipſa pendentibus dicitur omne id, quod præter naturam eſt in ſanguine, aliiſque liquidis, quorum vitia in pathologia generatim expoſita ſunt, ac tribus generibus comprehenſa, *quantitate* videlicet, *qualitate*, ac *motu*.

De quantitatis defectu hic ſermo non eſt, non enim aliud indicat, quam reparationem, ideoque coincidit cum indicatione virium, jam ſatis expoſita; exceſſus autem eſt plectora tum ad vaſa, tum ad vires.

Vitium in qualitate generatim ab antiquis appellatur cacochimia, quam latè in pathologia cum omnibus aliis productis expoſui.

Vitium in motu, & quiete, quatenus ad cauſam ſpectat, vel eſt *exceſſus* in ipſa commotione ſanguinis, ut fervor, vel *defectus*, ut lentor; in motu autem circulari, vel fluxus auctus in aliquam partem debilem, vel imminutus, & ſuppreſſus in parte aliqua, ut inflammatio, ac tumor omnis. Itaque his poſitis.

Remedia, quæ indicantur a cauſa ſunt: evacuatio univerſalis plectoram ad vaſa, & ad vires, quantum ſatis eſt, tollens: purgatio particularis vitioſi humoris per alvum, aliaſque vias convenientes: *averſio*, & *remotio*, quæ vitium in motu, & quiete reſpiciunt.

Univerſalis evacuatio nedum plectoræ oppreſſionem tollit, ſed & motum inteſtinum ſanguinis excedentem compeſcit, imminutum circulationis motum auget, lentoremque ſolvit, & quicquid ſummis arteriis hæret, aucta velocitate abripit, omneſque alias purgationes, laxatis viis, & deonerata natura, promovet, ut alibi, & in arte parva oſtendi.

Evacuatio particularis per alvum [quæ antonomaſticè purgatio dicitur] poſt univerſale remedium laxatis viis tutiſſimè fit puris auxiliis jam ſuperiùs expoſitis, quando adeſt diſpoſitio naturæ illùc vergentis, vel etiam per vomitum, ut in fine ſectionis primæ; quando autem iſta non adeſt diſpoſitio, tutum non eſt violentiam inferre, præſertim verò in febribus, ut ibidem oſtendi, tum etiam in arte parva fuſiùs, idemque dicas de purgatione per urinam, ſudorem, aliaſque vias, ut ex ibidem dictis conſtat.

Venenum ingenitum præciſum, quod in perſpiratione maligna ſanguinis ad corruptionem pertendentis conſiſtit, indicat alexipharmaca, & antidotos, necnon quæ ſudorem, aut inſenſibilem tranſpirationem abſque violentia promovent, venenatam quoquè perſpirationem retundendo; cujuſmodi ſunt Rinocerontis cornu, gelu cornucervi, & eboris, raſura eorumdem, vel dentis apri, belzoar, & ſimilia; nec ſanguinis miſſio ab ipſo præciſo indicatur, ubi verò aliquid obſtat eliminando veneno, & ſigna oppreſſionis, plectoræ, aut lentoris adſunt ſtatim debemus ſanguinem mittere per brevia intervalla, ut oppreſſio tollatur, ac lævatæ vires ad expellendum venenum inſurgant.

Vitium in motu, & quiete indicat viciſſim contraria; in exceſſu, & fervore, omnia quæ motum illum inteſtinum ſanguinis auctum compeſcunt; contrà in defectu fluxilitatis, ut eſt lentor, ſive nimia cohæſio particularum, omnia, quæ cautè, ac citra violentiam motum debitæ fluxilitatis reſtituant, in eo quod fluere aptum eſt; in eo autem quod parti firmiter cohæret indicantur diſſolventia.

Horum itaque vitiorum in motu, & quiete primum, & potiſſimum indicatum eſt ſanguinis miſſio *revellens*, quæ videlicet nedum compeſcat fervorem, ſive auctum ſanguinis motum inteſtinum, & reſtituat imminutum liquidando lentores; verùm etiam parti affectæ ſtatim proſpiciat, majorem fluxum ad eamdem cohibendo, & avertendo; indicantur etiam cucurbitulæ, frictiones Aſclepiadis, aliaque hujuſmodi cautè, atque efficaciter etiam revellentia, eodemque tempore impetus iſte major nedum revellendus, ſed & repellendus eſt, ſi citrà noxam id fieri poteſt; quando autem, & ubi repellentia inſtituenda ſint paulò poſteà exponam. Intereà manifeſtè conſtat ex demonſtrationibus Doctiſſimi Laurentii Bellini ſanguinis miſſione revulſionem

fieri

fieri tempore quo ſanguis mittitur a vena, in quam venit ipſe a trunco aortæ oppoſito illi, per quem fluit ad partem affectam, multò enim magis augetur tunc velocitas ſanguinis ad locum emiſſarii, ubi minima eſt reſiſtentia. A revulſione autem incipiendum eſſe docet Galenus 13. methodi, & alibi, ſic enim, & generatim quantitas opprimens minuitur, & pars ipſa magis deoneratur; qua de cauſa ejus vaſa faciliùs in contractionem venientia, curſum ſanguinis validiùs promovent, quarè poſtmodum derivatio per proximas venas tutiſſimè ſuccedit, ac demum evacuatio per partem affectam curationem abſolvit. In morbis tamen pulmonum, ſanguis a ventriculo dextero non per duos oppoſitos, ſed per unicum arteriæ pulmonaris truncum diſtribuitur, fluitque per pulmones uſque in ſiniſtrum ventriculum, ideoque non adeſt illa velocitatis differentia, ſed ex æquo augetur velocitas per ſanguinis miſſionem a qualibet vena factam, & quicquid in vaſis pulmonaribus hæret, evacuata quantitate opprimente, atque aucta velocitate, in motum circulationis urgetur.

Quamquam verò ſanguinis miſſiones revellentes in principio adminiſtrandæ ſint [docente Hippocrate in principiis morborum ſi quid movendum eſt, moveri debere, at in vigore morbi quieſcendum eſſe, tunc enim criſim natura diſponit, ac molitur, ejuſque mox futuræ ſigna exhibet] ſi tamen aut ex dolore oborto, aut magno labore, ac difficili præſertim reſpiratione cognoſcamus oppreſſionem, quæ bonam criſim valeat impedire, aut malum abſceſſum in parte aliqua minetur, efficaci, ac tutiſſimo auxilio tunc natura indiget, ut ab oppreſſione liberata criſim perficere poſſit. Eſt autem efficaciſſimum, atque tutiſſimum, vel ipſa inſtante criſi ſanguinis miſſio præſertim revellens a parte dolente, hac enim liberatur æger ab imminēte abſceſſu juxta hiſtoriam in ſemejotice propè finem adnotatam. Nullo autem alio prætereà motu etiam leviſſimo debemus naturam tunc temporis criſi occupatam irritare ne motus criticus divertatur, & hoc ſenſu intelligenda eſt Hippocratis doctrina; miſſio autem ſanguinis tantùm abeſt, ut motum criticum impediat, quin potiùs efficaciſſimè adjuvet, laxat enim vias omnes, motumque ſanguinis per directiones vaſorum reſtituit, ad bonam criſim neceſſarium, ut ex his, quæ identidem demonſtrata ſunt, luculenter patet.

De reppellentibus [quæ dixi ab impetu ſanguinis in aliquam partem indicari, quando citra noxam adhiberi poſſunt] adnotandum eſt ea non eſſe tuta, immò neutiquam adhibenda quando ad cutem, vel ad glandulas tegumentis exterioribus proximas irrumpit humor, ut in eriſipelate, in bubonibus, & parotidibus, & hujuſmodi; nam repercuſſus iſte impetus multo majore periculo interiora petit; contra verò, ubi exteriora libera ſunt, impetuſque nimius interiora minatur,

 tutò

totò adhibentur, ut in dolore capitis, & in vigiliis ſuccus ſedi majoris, oxirrhodina, & hujuſmodi. Juvat in deliriis etiam emplaſtrum ex ſola cucurbita trita tepida capiti ſuperpoſita, quando peractis revulſionibus, & derivatione per ſectam jugularem exinde factis, jam caput exoneratum eſt; nam tunc nedum cauſæ, ſive ſanguinis fervori medemur, ſed etiam ſpirituum impetum [qui morbus in fluido eſt ex pathologicis] compeſcimus, ac intemperiem partis corrigimus, idem dicas de aliis, cujuſmodi ſunt epithemata refrigerantia, & corroborantia, vel quomodolibet contractionem vaſorum naturalem promoventia, quæ impetum ferventis ſanguinis, atque ſpirituum reprimunt, diſtractioneſquè morboſas vaſorum comprimunt. Sed & analoga his quoque ſunt interiùs aſſumpta liquida ſimiliter juvantia; ut frigidæ potus in febre ardente, opium in doloribus, & vigiliis; adſtringentia, corroborantia, & ſi quæ alia hujuſmodi, prout hujus, vel illius partis affectæ conſtitutio naturalis exigit. In morbis autem pulmonum repellentia, & adſtringentia cautiùs adhibere opportet, quando neceſſaria ſunt, ut in hemopthoicis, ibidemque opiatis quidem, & vulnerariis, & agglutinantibus a ſolutione continui indicatis utendum; ſed numquam tamen actu frigidis itaut hac etiam frigoris ratione comprimere valeāt; frigus enim pulmonibus affectis inimicum eſt; præterea in aliis pulmonum affectionibus nulla conveniunt adſtringentia; contraindicantur enim a proprio pulmonum temperamento, & conſtitutione naturali, quæ [ut adnotat Laudatus Valleſius] laxitate gaudet, ideoque hanc ſervari pars ipſa coindicat, eſtque hæc prima omnium indicatio coindicens cum indicatione ſimilium; eâdem ratione diſcurras de aliis partibus, quarum temperies, & conſtitutio naturalis, ut innui, conſervari exigit.

Tandem his præmiſſis integra cauſæ remotio, & evacuatio per partem affectam peragenda eſt, videlicet materiæ quieſcentis, & in parte firmiter impactæ ablatio, & eliminatio; quo nomine veniunt nedum evacuationes a Chirurgo faciendæ in externis tumoribus ſuppuratis, verum etiam in obſtructionibus internis, ac tumoribus indureſcentibus dipolutiones, & evacuationes, quæ promoventur aptis, & cautis medicamentis; hujuſmodi ſunt [præter oleum pauca quantitate, ac diu exhibitum efficaciter diſponens materiam hærentem] gummi ammoniacum, & ferrum, efficaciſſima quidem non ſolum ad obſtructiones tollendas, verum etiam ad tumores propemodum induratos diſſolvendos, ſi diuturno tempore his utamur, ut quotidianis omnium, qui medicinam faciunt, experimentis ratum eſt; ſed & unà ſimul tutiſſima, quia ſenſim, & ſinè ſenſu, & [quod idem eſt] ſine ulla violentia operantur, ſi adhibeantur ſola, & abſque aliis medicamentis purgantibus, quæ, humidum exprimendo, materiam angu-

anguſtiſſimis vaſis hæreatem, hoc ipſo indurant, non diſſolvunt. Accedunt autem cautiſſima diuretica, non igne quidem a Chimicis parata, ſed naturalia, & ex genere vegetabilium, quæ blandè quidem, ſed efficaciter materiam ſenſim diſſolutam per urinæ vias ducunt; inter iſta nullum preſtantiùs vidi, decocto parietariæ, vel etiam ſucco ejuſdem, quo non paucos hydropicos (uſu ferri, & ammoniaci eodem tempore adiutos) integrè ſanatos dimiſi. Omitto fomenta, cerata, balnea, cæteraque hujuſmodi anodina, vel emollientia, &c. externa, quæ cautiſſima ſunt, & magis efficacia quidem, quam ut vulgò creditur. Omitto acidulas, quæ ubi opus eſt, feliciſſimè adhibentur abſqne ulla purgatione, cum ſola dieta congrua.

Sed jam attigimus ea, quæ indicantur a morbo, nam & iſta communia ſunt cauſæ ac morbo organico, in viæ præſertim, ſeù meatu obſtructo, & quæ incidenter in ſuperiore paragrapho de vulnerariis, & agglutinantibus dixi, communia ſunt remedia ſolutionis continui; quæ verò paulò antea ibidem adnotavi ſunt remedia morbi nedùm in fluido, ut innui, ſed in ſolido etiam, intemperiem videlicet corrigentia. Cæterum remedia omnia, quæ indicantur ab intemperie necnon a morbo in fluido ſunt: alterantia per contrarias qualitates tum primas, tum ſecundas: alexiteria in venenatis morbis: narcotica, & anodina in doloribus, quæ ſpirituum impetum [ceù morbum in fluido] corrigunt: cardiaca, quæ languidum motum reſtituunt: denique, ſpecifica, ut in febribus periodicis cortex peruvianus, de quo primum Badus Genuenſis Medicus, nuper autem exactiſſimum edidit tractatum Doctiſſimus Franciſcus Forti Sereniſſimi Ducis Mutinenſis Archiater. ſpecifica item, & roborantia particularia ſunt: cephalica, opthalmica, thoracica, hepatica, ſthomatica, ſplenica, nephritica, hiſterica, & ſi quæ alia hujuſmodi tum ſimplicia, tum compoſita quorum ampliſſima ſylva eſt apud auctores. Tutiſſima tamen, & omninò innoxia ſemper eligenda ſunt, longo uſu, atque experimentis confirmata.

Jam verò, quæ hactenùs breviter memoravi ex pura, & rata majorum noſtrorum rationali doctrina, confirmant definitivam, & analiticam methodum italicè ſcriptam, cujus ſecundam editionem addo, nam in his conſiſtit methodus theoretica, cujus certitudo jàm ex dictis identidem eſt manifeſta, rurſus item in ſequenti propoſitione, quaſi epilogo, demonſtranda.

PRO-

PROPOSITIO XXVI.

THEOREMA XII.

Theoretica methodus medendi, a temeritate præciſa, tutiſſima, efficaciſſima, & certitudini ſcientiæ innixa eſt, etiam ſi abditæ cauſarum differentiæ nos lateant; quæ verò præter hanc adhibentur medicamenta, violentiam naturæ inferentia, incerta ſunt, ac per ea naturalium virium robur, atque conſtantia dubia lance periclitantur, nec bonum ſortiri poſſunt effectum niſi natura ſuperet morbi, & cauſæ morboſæ vires unà ſimul cum ſuperaddita violentia.

HOC uno theoremate comprehenduntur omnia, quæ ad rationalis methodi certitudinem ſpectant, & prætereà quicquid ancipitis auxilii fortè felicis afferre temeritas poſſit iis, qui amant pericula. In primis autem [quod hujus loci eſt] certitudinem, & efficaciam rationalis methodi demonſtraturus, hæc duo tantummodò axiomata præmitto communi quidem conſenſu rata, & omninò irrefragabilia. Primò videlicet: *ſanitatem in actionibus naturæ integris, & vi contrariæ prævalentibus conſiſtere*. Secundò, *morbum a vi contraria vel opprimente, vel impediente, vel quomodolibet vires naturæ lædente, proficiſci*. Et iſta duo quidem particularia naturæ humanæ pronunciata comprehenduntur evidenter in hoc univerſali axiomate Phyſico, quo nimirum evidens eſt: omne compoſitum naturale tandiu manere quoſque vires ejus contrariis viribus reſiſtunt, eaſque ſuperant.

His poſitis, neceſſaria conſequutione, immò ex terminis iiſdem patet manifeſtiſſimè ſanitatem amiſſam reſtitui cuſtodiendo naturæ vires, ipſaſque defendendo a quacumque vi læſura, tum ab oppreſſione, aut omni alia vi contrariorum jam lædente per cautam eorumdem contrariorum ablationem, liberando. Methodus autem expoſita per ſolam cognitionem univerſalium præciſam a dubiis, & ignotis differentiis, efficaciter, atque ita tutò hæc præſtat, ut vel ubi remedia, quæ profert ſuperare non valeant vires incurabilis morbi, &

cauſæ, ſaltem non noceant, ut mox iterum oſtendam, ergò, his ita ſe habentibus, certa, & ab omnibus dubiis libera, ſeù (quod idem ſonat) certitudini ſcientiæ innixa eſt ipſa, una cum remediis, quæ ab ea proferuntur.

Jam verò hujus rei evidentiam iterum ſingillatim exponamus, incipiendo a dieta. Palam eſt hanc primum eſſe remedium in omnibus morbis, nedum vires conſervans, ſed auferens contraria ex 4., & antecedentibus ſectionis primæ, ubi totum regimen, & cibi, & potus, & aliarum rerum, quas non naturales vocant, ad cautelam, & efficaciam evidentiſſimè innoxiam, pro ratione utriuſque indicationis, comparatum eſt. Memoremus exindè, quæ de virium tutela in ablatione contrariorum dicta ſunt; palam eſt etiam, & ex præfatis axiomatis deducitur manifeſtiſſimè, hanc tutelam virium ad ſanitatem aquirendam eſſe neceſſariam; videlicet; neceſſe eſſe vires nedum a contrariis jam lædentibus liberare, ſed etiam a ſupervenientibus læſuris præcavere, ut ex prop. xi., & antecedentibus.

Porrò quia in iſta propoſitione xii. me dicturum innui quomodò ars efficaciſſimè, ſed abſque noxa, contrariorum ablationem promoveat declinando violentias, & læſiones, & (quod idem eſt) omni certitudine procedendo. Iterum aſſero id artem efficere primo, & inter omnia efficaciſſimo ſanguinis miſſionis remedio, quod multiplex equidem, at ſemper purum, præciſumque auxilium eſt, naturæ vires nedum non offendens, ſed levans, motuſque naturales, ad ſanitatem aquirendam neceſſarios adiuvans, & morboſos compeſcens per hoc præciſè, quod auferat impedimenta, libertatemque actionum, ipſi tantummodò naturæ reſtituat abſque ulla illata vi, ut alibi oſtendi, & re ipſa manifeſtiſſimè conſtat; nam imminuta quantitate ſuperabundante, quæ opprimit, diſtrahitque vaſa, vel ſaltem ipſorum contractioni validiùs reſiſtit, neceſſariò ipſa natura levatur, ejuſque vaſa, minori occurrentia reſiſtentiæ, velociùs contrahuntur, idèoque neceſſariò per directiones vaſorum ſanguinem urgent velociùs; tum & eadem validior vaſorum contractio repellit, & compeſcit ferventes, atque infenſas particulas, quæ ab eadem velocitate fluminis neceſſariò aucta, exindè rapiuntur per directiones vaſorum, donec per inſenſibilem tranſpirationem eliminentur; quæ omnia ex legibus motus ultrò patent. Sed & natura ſic levata, quicquid poſtmodum vitioſi humoris ſupereſt in morbis curabilibus, ubi cauſa morboſa inſuperabilis non eſt, efficaciter per has, vel illas vias pro aptitudine materiæ, ac loci purgationes molitur, etiam per alvum, ſi adſit diſpoſitio, quamobrem ſe vidiſſe Valleſius teſtatur ſola ſanguinis miſſione evacuatum, & purgatum ægrum. Hoc autem præmiſſo remedio, quantum creſcat efficacia expoſita cap. 3. primæ ſectionis, tutiſſimorum cæteroquin

auxi-

auxiliorum ſimplicium ad rem alimentariam pertinentium, luculenter norunt, qui methodum rationalem excolunt; nec intereà pyrronicorum ullus eſt, qui de remediorum ejuſmodi ſecuritate dubitare poſſit. Sed & inanes vulgi paralogiſmos circà maximum ſanguinis miſſionis auxilium expungere, hujuſque manifeſtiſſimam ſecuritatem ab omni dubio imperitorum liberare operæ pretium eſt.

Pyrronici enim, aut phyſiologiæ ignari dubitant iſtud lædere poſſe, vel quia minuit quantitatem, vel quia ſpiritus ad naturæ vires neceſſarios evacuat, vel quia utrumque efficit. *Primùm* itaque demonſtrandum eſt, quod Galenus alibi citatus libro de plenitudine docuit, videlicet: neque ex incremento, neque ex decremento ſanguinis vires neceſſariò augeri, vel minui, ſive (quod idem eſt) naturæ vires non eſſe neceſſariò quantitati ſanguinis proportionales. Id verò evidenter infertur ex communi conceptu ſanitatis; congrua enim quantitas liquidorum juxta ſanitatis ideam media eſſe debet inter exceſſum, & defectum, quæ ſcilicet non ita redundet, ut viribus moventibus reſiſtat; nec ita deficiat, ut neceſſarius curſus continuus per omnia vaſa intermittatur. Defectus autem iſte neutiquam per congruas miſſiones ſanguinis induci poteſt nedum ubi plectora vel ad vaſa, vel ad vires adeſt, ſed neque ubicumque vitium, aut in qualitate, aut in motu, & quiete illarum indicationem quamlibet ex ſuperiùs expoſitis exhibet; quia vel in largiſſimis hemorragiis non ita minuitur ſanguinis quantitas, ut neceſſariis vitæ uſibus deficiat, ut quotidianis experimentis per tot jam ſæcula confirmatis, conſtat; unum intereà memoremus ab Illuſtriſſimo Lanciſio adnotatum lib. de ſubitaneis mortibus, in ſexagenario, qui per hemorragiam ad libras 12., & poſtmodum ad alias tres libras pervenientem, a gravitate capitis, quæ apoplexiam, tunc temporis frequentem, comminabatur, fæliciſſimè liberatus eſt. Cum igitur per ſanguinis miſſiones conſuetas in morbis identidem ſuperiùs, & alibi expoſitis minor ſemper evacuetur quantitas, quam quæ in largis hemorragiis vires etiam ab oppreſſione levantibus effunditur, manifeſtum eſt per ipſas multò minùs defectum præ ſtatum induci poſſe, quod erat primo loco demonſtrandum. Deindè tantùm abeſt, quod per ſanguinis miſſionem ſpiritus ad naturæ vires neceſſarii evacuentur, quin potius per hoc magnum remedium tollitur reſiſtentia inſpirato ætheri, quo calor naturæ perpetuò fovetur, & nova ſemper materia ſpirituum ſanguini ſuppeditatur, ut ex Scholio propoſitionis 2. manifeſtiſſimè patet, quare omninò evidens eſt, quod erat demonſtrandum; & omnia dubia, quæ ignari, & imperiti Medici vulgo timido incutere ſolent, evidentiſſimè tolluntur.

Hæc breviter ſcripta rationalem curandi methodum conſtituunt, confirmantque itidem, eidem certitudini ſcientiæ inniti artem par-

vam

vam italico idiomate compoſitam, denuò inferiùs adiiciendam; prius autem non abſre eſt apologiam pro ſanguinis miſſione iterùm repetere in gratiam eorum, qui contra tutiſſimum, & efficaciſſimum dogmaticæ Medicinæ remedium inania verba proferunt violentias autem naturæ inimicas non reformidant.

APPENDIX.

QUoniam in re medica nedum ſcientia, ſed opinio etiam, & coniectura verſatur; in primis hæ, diſtinguendæ ſunt, ut alibi me præſtiturum promiſi; deindè animadvertendum eſt annè quandoque liceat a tutiſſima rationali methodo hactenùs expoſita, recedere, ſeù (quod idem eſt) morboſis violentiis uti, ubi neceſſitas cogit, ut majus malum, pejuſque periculum vitemus; tùm quibus cautionibus id agendum ſit. Utrumque problema hìc breviſſimè reſolvam. Itaque, circà primum aſſero jam: opinionem circà particulares, & abditas res verſari, quæ certò determinari nequeunt, ut inquit Doctiſſimus Stenon in prodromo de ſolido intra ſolidum: Scientiam verò circà univerſalia, quorum demonſtratio per axiomata lumine naturæ nota, & per neceſſarias indè conſequutiones haberi poteſt; ideòque nedum univerſalem curandi methodum expoſitam certitudini ſcientiæ inniti, ut jam demonſtravi; ſed etiam certam eſſe diagnoſim, quæ neceſſariam univerſalium cognitionem exhibet per ſigna ſenſibus notiſſima, omninò a dubiis, & opinionibus non neceſſariis præciſa, quæ in ſemeiotice adnotavi. Coniecturam denique circà eventum præcipuè verſari; nam de futuris certitudo ſcientiæ non datur, nec, per ſigna utcumque in principiis morborum ſalutaria, prædicere certò poſſumus non latitare in corpore aliquam diſpoſitionem, aut extraneum aliquid, ſanguinem ita prævitians, ut natura tametſi efficaciſſimis, atque omninò tutiſſimis auxiliis adiuta, ipſis prævalere non poſſit, ideòque in progreſſu morbus incurabilis, atque lethalis pateſiat. Palam eſt autem hujuſmodi equidem cauſis, non verò præfatis remediis [tametſi tunc inutilibus] malum eventum eſſe adſcribendum; ſic in febribus malignis, & peſtilentibus, ubi mixtio ſanguinis, effera veneni vi, vehementer, & celerrimè diſſingitur, non obſtante innoxio venæ ſectionis auxilio natura plerumque impar eſt ad craſim ſanguinis inſtaurandam, & ad partes debiles, malevè diſpoſitas liberandas; & hac præciſè de cauſa in peſtilentibus conſtitutionibus ægrotantes multos periiſſe intelligendum eſt, eoſque ideò vel cum remedio, vel ſine remedio fuiſſe perituros; tametſi nonnulli hemophobia præoccupati præcipitanter incuſarint in ſuis hiſtoriis phlebotomiæ auxilium, cæteroquin (ut demonſtravi) omninò inculpatum; quod Galenus in methodo maximè convenire docet ad carbunculorum curationem, quodque in peſtilentibus conſtitutionibus, ubi

morbus dat indicios, largiùs, & in principio præſcriptum internas inflammationes malignas arcet, ut Oribaſius in ſe ipſo expertus eſt ex lib. 7. cap. 10. ubi etiam omnes, qui tunc eodem remedio uſi eſſent, liberatos fuiſſe teſtatur. Eadem ratione diſcurras de omnibus aliis morbis, ubi ab indicata ſanguinis miſſione non alleviatur æger.

Circà ſecundum, purgationes, quæ naturam invitam cogunt, nunquam tutiſſimæ ſunt, ut ex prop. xi., & aliis alibi demonſtratis conſtat; quandoque tamen illas adhibere neceſſitas urget, ubi nec febris, nec alius morbus adeſt, qui ab iis augeri poſſit, ac ubi nec ſanguinis miſſiones, nec alia tutiſsima ſuperiùs adnotata ſufficiunt; ſeligenda tunc ſunt magis correcta. In morbis capitis pillulæ de ſuccino cratonis, & alia etiam catapotia fortiora præſcribi poſſunt, niſi tamen adſint viſcerum imi ventris obſtructiones, quæ contraindicent, ut ex prop. x. In morbis pectoris nullam vidi unquam purgandi neceſsitatem, nec ullum a purgantibus bonum effectum, cum nulla ſit diſpoſitio, qua, concluſus in cavitate pectoris humor peccans, per alvum evacuetur; quare poſt ſanguinis miſsiones congruas, oleum amigdalarum dulcium, mel, & alia hujuſmodi, anacatharſim promoventia ſufficiunt, ac, ubi opus eſt, alvum quoque humectant. In morbis abdominis minùs tuta ſunt purgantia, ibi enim maximè operatur ſtimuli vis morboſas defluxiones concitare apta, vel obſtructiones augere, ut ex prop. x. quamobrem in obſtructionibus, oleo, gummi ammoniaco, & ferro utor; in aliis verò morbis, pro rei opportunitate ſerum, aliaque hujuſmodi præſcribo; &, ubi ſtyptica eſt alvus, butirrum recens quotidie ſumptum laudo. Quodſi urgeat purgandi neceſsitas, ut quandoque contingit in morbis renum, & veſsicæ ab infarctu viſciditatum, pulpa caſsiæ cum terebinto utor, ubi epotum oleum, & cliſteres non ſufficiunt.

Veſsicantia item applicare quandoque cogimur in comatoſis affectibus, ut prop. xxv. dictum eſt, poſt remedia tutiſsima, & efficaciſsima ibidem præſcripta; his tamen conditionibus accuratè perpenſis: ut laborioſa febris non adſit: pulſus nec ſit valdè frequens, nec parvus: neque habitus corporis infirmus, & gracilis: itemque abſit reſpirationis difficultas, maximè vires, etiam ſine febre, fatigans; etenim memini paucis ab hinc annis juvenem aſthmaticum (cui Medicus ignarus, & incautus, veſsicatoria in ipſo paroxiſmo applicare auſus fuit) intra paucas horas interiiſſe. Quoniam verò per veſsicatoria novus morbus, tàm in ſolido; quàm in fluido ſuperadditur, quo vires iterum læduntur ex Scholio prop. ix. Senex ego, ubicumque in morbis hæc applicare uſus invaluit, numquam id ſolus audeo, ſed aliorum vota requiro, quibus inſons evadam, & ſic juvenes facere conſulo; meliùs enim eſſe arbitror omnia ſecundùm rationẽ facienti, ſi non ſecundum rationẽ ſuccedat, non tranſire ad aliud, ut magnus Hippocrates docet.

CLARISSIMO DOMINO, DOMINO

ANTONIO FRANCISCO BERTINI

Viro doctiſſimo, amiciſſimoque, de re Medica optimè merito.

MATTHÆUS GIORGI

BENE AGERE.

TAMETSI, Divino favente Numine, de ſanguinis miſſione ſuperiùs diſſeruerim, &, ubicumque vel præſens eſt, vel imminet naturæ oppreſſio, tutiſſimum, & efficaciſſimum eſſe remedium demoſtraverim, quod nedum naturæ vires nullatenùs offendat, ſed eas maximè levet. Nihilominùs Apologiam contra Dominicum La Scala reiterare operæ pretium duxi; nam eadem occaſio nunc recurrit, quæ me tunc ad eam ſcribendam impulit. De hac autem breviter communicare tecum neceſſitudo noſtra exigit. Planiſſimam, tutiſſimamque curandi viam a Præceptoribus optimis indigitatam ingreſſus quatuordecim circiter annos medicinam feceram tùm in Patria Civitate Albinganæ, tùm in antiqua Urbe Tigulliæ; indè multis ab hinc annis hùc me contuli, eamdem-

que ſemper methodum tenui, fruſtrà ringentibus à principio uſquè adhuc adverſariis multis. Tunc inſignis Dominus eruditiſsimus, mihi cæteroquin ſemper propitius, me de rediviva Eriſiſtrateorum methodo amplectenda humaniter monuit antequam phlebotomia damnata Dominici La Scala, quæ jam ſub prælo erat, publicaretur; illi tamen liberè (ut veritatis amatorem decet) reſpondi: me audaciſsimi viri ſophiſmata protinùs diſſoluturum; hæc fuit occaſio ſcribendi phlebotomiam liberatam. Quoniam verò blaterones non pauci etiamnùm vulgo hemophobiam incutiunt eamdem Apologiam pro curioſis reiterandam duxi. Valè diu Eruditiſsime Domine, ac me (quod facis) ama.

PHLE-

PHLEBOTOMIA
LIBERATA,
SIVE
APOLOGIA
Pro ſanguinis miſſione in febribus, aliiſque morbis magnis
CONTRA
DOMINICVM LA SCALA.

PRÆFATIO AD DOMINICUM LA SCALA MESSANENSEM.

RARÆ temporum felicitas, ubi ſentire quæ velis, & quæ ſentias dicere licet! Improba eſt in omni ſcientiæ genere (ut jure meritò conquæreris) conſuetudo illa judicandi ex plurium teſtimonio; libera enim ſemper eſſe debet in rerum diſquiſitionibus ſua uniuſcujuſque ſententia, & quidquid ſentimus, liberè proferre decet. In hoc ſaltem vir ornatiſſime conſentit ratio noſtra. Tu generoſa ingenii libertate veterum præcepta tot ſæculorum experimentis confirmata circà uſum phlebotomiæ nedum oppugnas, ſed *flocci pendes*, *ac fervida tuum jecur adurente bile*, immani cenſura explodis, imò vel ipſe *opellæ tuæ* titulus: *Phlebotomia damnata a Dominico la Scala*, eximiam indolem animi tui præſefert. Hanc, & ego libertatem laudo, ac tametſi fortaſsè Galeni manes, hoc titulo inſpecto, ſicut ille increpuit olim Theſſalum, ità *fervida bile* adversùs te inſurgerent, eo quòd, elata, & efiera vi animi, *contrà omnem antiquitatem coroneris*, *ipſeque a te victor declareris*; ego tamen iterùm generoſitatem tuam laudo. Patere autem viciſſim egregie vir libertatem quoquè meam dicendi, & ſi fortaſſe aliqua in diſceptatione verba occurrant, quæ laudes tuas non reſonent, ea ſtudio veritatis imputa, ſiquidem hæc, falſam, quæ te decepit, ac per te vulgus incertum quoque decipit, opinionem reſpuens, nos te in omnibus laudare non permittit; enim verò, ſi fervida aliquandò tuum jecur bilis adurit, & nihilominùs non id tibi, ut vitium imputo, quinimò potiùs acrem ingenii vim, ac generoſam indolem admiror, æquo animo patieris me paulò acriùs pro veritate certantem, cum præſertim nullo fervore bilis exardeſcam.

Tacit. Hiſt. lib. 1.

Dominic. la Scala ad Lect.

Pri-

Primùm itaque, ut præfationes tuas advertamus, tu ſciolos a lectione tui libri abſtinere mones, & *occulta non minùs, quā utilia ſapientibus te prolaturum polliceris*; cum verò non deſint hoc ſæculo ſapientes, nec unquam temporibus anteactis defuerint viri graviſſimi tuæ opinioni adverſantes, operæ pretium erit expendere, an ne vetus doctrina, a graviſſimis quoque hujus ævi Authoribus propugnata, *ocultis, quæ prolaturus es*, præferenda ſit; ego intereà tecum etiam admoneo ſciolos, ut a lectione libri tui abſtineant, diverſa tamen ratione ductus; quemadmodùm enim qui longæ diſciplinarum exercitationi operam dederunt, verum a falſo, & certum a dubio diſcernere ſolent, ità ſcioli viceverſa novitate magis, quàm veritate oblectantur, audaces, verboſi, leves, & indiſcriminatum quibuſcumque ingeniorum flatibus compulſi, in erroneas opiniones diſtrahuntur.

In epiſt. ad ſciol.

Hoc non tum tyronibus interim [quibus etiam opuſculum hoc ſcribo] utile erit, ut a novis libris caveant, qui rectam remediorum adminiſtrandorum methodum, tot ſæculorum experimentis confirmatam, evertere conantur. Siquidem hac noſtra ætate, turbidis efflantibus inanium ingeniorum procellis, ferè ubique naufragata eſt ſacra medendi ars, & *apparent rari nantes in gurgite vaſto*. Poſtquam hoc ſeculum nova detexit oſtenditque, circa naturalem animalium æconomiam, inventa, Galeno, & reliquis fortaſſe veteribus ignota, mirum eſt quàm audactèr ſcioli multi, bibliopolarum, & curioſorum deceptores; omnem doctrinam veterum convellant, & quantum eorum famæ detrahat ſceleſta vulgarium medentium turba; ſcilicet nihil de re medica benemeriti ſunt veteres illi, quia ſanguinis circuitum non agnoverunt, vel quia microſcopio non ſunt uſi, vel quia non omnia peregerunt!

Sed hoc ulteriùs præfari oportet, quo ſenſu nimirum intelligendi veniant *ſcioli*, quos tecum ego quoque admoneo; ut a lectione libri tui abſtineant; tu enim hoc nomine accipis eos, qui *vulgari philoſophia tincti*, ac *primis medicinæ imbuti rudimentis*, *idoneq; intelligentiæ lumine deſtituti ſunt*, *nec de iis proinde*, *quæ in illo* [libro tuo] *continentur*, *ſanum ferre judicium valent*, utroque optimè hortaris eos, quibus *tuam ſciendi formam callere ſemel arriſerit*, ut *philoſophiæ penitiora arcana perluſtrent*; ſed liberaliter nimis inſcios illos, atque imperitos honeſtas præfato vocabulo; nam falsò ſeſe in medicina facienda veterum aſſeclas vocant, cum errores veterum propugnare tantummodò verbis adnitantur, puriorem

In epiſt. ad ſciolos.

doctri-

doctrinam non percipientes, utpotè bonarum artium rudes, & ignari potiùs, quam *ſcioli*. Mihi verò magis hoc nomine digni videntur illi omnes, qui novitate quidem inſtructi ſunt, ſed, ut innui, leves, & faciles nimis ad judicandum, qui abundè magis eloqui aſſueverunt, quam rectè ſentire, qui novitate magis, quam veritate oblectantur, qui dubium a certo, & opinionem a ſcientia non diſtinguunt, uno verbo, qui confidenter cuncta pronunciant. Hujus generis multi ſunt, qui barbara voce modernos ſe ſe jactantes, callida, atque erudita impudentia vulgi fidem ſibi conciliare didicerunt, qua circumſpecta, eloqui conſueverunt impudentiſſimè coràm illis profeſſoribus, imò vel contrà eoſdem, quos cæteroquin altioribus diſciplinis operam dediſſe, ac maturo pollere judicio norunt; hujuſmodi autem ſubventaneorum capitum numeroſa cohors non proceſſit ex illa neotericorum ſchola, quæ ſcientias quaſcumque ad rem medicam pertinentes profitetur, quæque nova hujuſce ſæculi inventa non convertit in veræ doctrinæ perniciem, ſed quæcumque majores noſtri firmiora præcepta tradiderunt, novis hypotheſibus confirmat, omniaque in augumentum Apollineæ facultatis confert; quinimò potiùs vereor ne ortum duxerit ex circumforaneorum genere, quorum ars in fraude coſiſtit. Sed quò me ducit oratio? ſatis eſt me viros hujuſmodi monuiſſe tecum, ne haſce controverſias legant, vel ſaltèm [ut eorum curioſitati mitiùs indulgeam] ſatis eſt ipſos admonuiſſe, ut præjudicia deponant ſua priùs, & æquo animo veritatem inquirant, ut alii omnes candidi viri procùl dubio facient. His ergo præmiſsis, jam, ad exemplum generoſæ tuæ libertatis, quidquid contrà venæ ſectionem [ommiſsis ſupervacaneis] ingenioſè protuliſti, liberè perpendam.

CAPUT I.

TAM variis eruditionibus hoc primum opellæ tuæ caput conferctum eſt, ut difficiliùs multò ſit, quæ ad tuam propoſitam ſententiam de phlebotomia damnata pertineant, inibi invenire, quam refellere. *Sanguinem, ais, non ad alium finem fuiſſe a natura animalibus conceſſum, ſummaque diſpoſitione, ac providentia, per tot canales, & ſinus diſpertitum, quàm ut ex eo animalia ipſa nutriantur, & creſcant, utque anima corpus vivificans in eo conſervetur; ad ſanguinis quippe diſceſ-*

 ſum,

ſum, vitam extingui neceſsè eſt: Idque ad confirmandum Sacræ Scripturæ, ac interpretum adducis teſtimonia, tanta quidem, ut ſingula me perlegere pigeat; hoc verò libens admitto, & quod exindè adiicis, [ſi ritè intelligatur,] concedo; nimirum *eſt ſanguis* [benè tamèn habens] *opobalſamum animalis, & animæ vehiculum, animæ, vitæ, ſpirituumque vitalium nutrimentum, & alimentum, quo corpus vegetatur, & vivificatur, id eſt principium illud, ſine quo non ſentimus, non movemur, nec ſumus*. Non determino hic quid anima brutorum ſit, an nè animalia ſint mera automota, & qua neceſſitate in ſuas operationes veniant; clariſsimos quidem, & doctiſsimos viros Jo: Alphonſum Borelli, Marcellum Malphighi, & Laurentium Bellini præceptores optimos, qui præ cæteris recentioribus maximam hiſce rebus præbuerunt lucem, audivimus, horumque veſtigiis inhærentes, hæc fortaſſe attingemus in principiis noſtris phyſiologicis; nunc autem, quę diſſeruerunt alii, quæque de cæteris ad phyſiologiam pertinentibus protulerunt, ad veritatis trutinam revocare inſtituti ratio non patitur; & fruſtrà in hoc tuo primo capite congeris, præmatura oratione, quæcumque agitata tua reminiſcentia, ex auctoribus hujuſce ſæculi confusè collegit; ſed intereà, ut propoſitam contradictionem noſtram acritèr intendamus, nil vetat ſupponere, quod a Petro Gaſſendo, Patre Honorato Fabri, Vvilliſio, aliiſque clariſsimis viris edoctus, affirmas: *animam ſenſitivam aut ignem eſſe vitalem, aut igni non abſimilem*: quinimmò liberalitèr hic tibi dare placet
Pag. 8. *ignem vitalem a ſanguinis fermentatione reſultare*, in pulmonibus ope reſpirationis hematoſim fieri, reſpiratione *juvari*, *tùm miſcelam ſanguinis, tùm ſanguinis motum ab uno ad alterum*
Pag. 10. *cordis ventriculum, & reſpirationis uſum ad accenſionem, & conſervationem ignis vitalis eſſe neceſſarium*. Quid ampliùs nil vetat ſupponere tecum, quod ex Thoma Vvillis, aliiſque magni nominis recentioribus tranſcripſiſti: accenſionem ſanguinis fieri *quatenus ab aere ſubeunte pulmones ſanguini alimentum nitroſum ſuppeditatur*, quamvis neque iſta modo determinem, ſed potiùs verear ne ſolidis careas rationibus; [quamobrem neque opus eſt hic immortalem virum Jo: Alphonſum Borelli, qui nitrum iſtud aereum negat, contrà tuam cenſuram defendere]. His ergò tibi liberalitèr conceſsis, quæ tuę
Pag. 27. & 40. *doctrinæ cardinem ſtabilire* tibi videntur, quomodò putas *in ipſas oppoſitorum pro phlebotomia rationes irrumpere*? Qua
Pag. 21. phalange argumentorum munitus es? Quomodò armatus nedùm

nedùm contrà veterum dogmaticorum claſſem, ſed etiam contra recentiores omnes, qui ſtrenuè bonis artibus operam dederunt? In campum te ſperabam deſcendere, ſtatim ac, jactantiùs, quam par ſit, verba illa protuleras: *libet nunc ulteriùs in ipſas oppoſitorum pro phlebotomia rationes irrumpere*. Sed, ſpe deluſus, te repentè vidi aliò divertere, ac ſpecioſis digreſſionibus (ne dicam ſaltibus) aliorſum vagari; nam exindè ne verbum quidem, quod ad propoſitum certamen faciat, in hoc tuo primo capite legimus vſque ad finem; excuſandus tamen es, quia opella tua eruditis verbis erat implenda, ut mole ſaltem ſi non pondere, aliquam oſtentaret ſpeciem.

In fine tandem capitis, tanto labore feſſus, certamen inire cæpiſti hæc proferens. *Pro coronide eorum, quæ hactenùs dicta ſunt, ſubiiciendum eſſe reor non debere ſanguinem è vaſis extrahi, cum in eo animalis vita conſiſtat. Natura ſiquidem, ad animalis conſervationem in ſanguine generando, & generatum conſervando, miro utitur artificio: Multæ quidem, & variæ in illius generatione exquiruntur conditiones, quæ cum in febricitante corpore, aliiſque morbis correpto defficiant, neceſſe eſt, ut aliquantò impurus, & non omninò perfectus gignatur Indè eſt, ut in ſuo naturali ſtatu, tàm propter partium læſiones, quæ in hujuſmodi artificio deſtituuntur, quàm etiam propter morborum diſpoſitionem, qua animalis vita neceſſariò debilitatur, conſiſtere non poſſit ex quo ſanguis cauſa eſt efficiens ipſius vitæ. Tutiùs propterea erit Chilum, qui materia ſanguinis eſt, vel ipſummet ſanguinem opportunis remediis corrigere, quàm illum, magno cum vitæ diſcrimine è venis extrahere. In ſumma ſecuriùs omninò eſt morbos ſine periculo, & læſione ægrorum curare, quàm venæ ſectione, & ſanguinis miſſione, quæ vires enervat, & corpus evidenter debilitat.*

Profectò tantis anteà rebus tua intenta mens, diſtracta propemodum eſt, ac vires ſuas hìc recolligere non potuit, imò ne levitèr quidem veterum dogmata vulnerare: Quieſce jam; Quæcumque enim in hoc capite obieciſti corruunt illicò hac ſola inſpecta adnotatione, ſuperiùs brevi parentheſi tuis verbis addita; In ſanguine videlicet benè habente, ac ſecundum naturæ leges conſtituto, animalium vitam conſiſtere; Nam æquè verum eſt malè conſtitutum ſanguinem, [ut generatim, & breviter loquamur] mortis cauſam eſſe; ſi, mirum, quo natura utitur artificium *in ſanguine generando, & generatum conſervando*, eludat cauſa quæpiam valdè potens ex iis, quas non naturales vocant, aut denùm aliquod vitium in quanti-

 tate,

tate, aut craſi, aut motu quomodocumque inductum, nonne vides, culpa ejuſdem ſanguinis, quo vita fovebatur, mortem impendere? Idem tu obſcuris verbis innuis, nec profectò negari poteſt; Quod ſi ergò in febribus acutis, & magnis aliis morbis, in quibus, ob ſanguinis vitium, præceps imminet vitæ periculum, tot ſæculorum obſervationibus compertum eſt, efficaciſſimè, ac tutiſſimè ſanguinis miſſionem adversùs præceps periculum opportunam opem præſtare, ac vitia præfata corrigere; Cur, fervida bile percitus, hoc reprobas remedium, nullo alio fretus argumento, quam auctoritate propria? ſed inferiùs inter tot congeſta verba, ut olim Diogenes hominem quærebat; ità nos, ſi fortè aliquid, præter auctoritatem tuam, obtrudas, intenti rimabimur; In hoc enim capite id unum tandem aſſeris: *tutius eſſe morbos ſine periculo, & læſione ægrorum curare, quàm venæ ſectione, & ſanguinis miſſione, quæ* (ut confidentiſſimè ſupponis) *vires enervat, & corpus evidenter debilitat.* Deſideratur autem (ut excuſari poſſit inverecunda locutio, qua contra communem experientiam, quaſi ex tripode verba promulgas) aliqua ſaltèm ratiuncula, qua probare coneris, in morbis non eſſe tutam ſanguinis miſſionem, à prudenti Medico adminiſtratam, ſed vires enervare, corpuſque evidentèr debilitare. Contrà enim ſcimus, ac, non minùs demonſtratione, quam experimentis facilè convincere poſſumus longè magis lædi vires ægrotantis à paulò diutiùs protracto morbo, vel dolore aliquo, cui cæteroquin efficaciſſimè occurrit opportuna ſanguinis miſſio, quàm ſi ſanguis ad libras effunderetur. Tu ipſe, hac doctrina, omnibus propemodum notiſſima, non indigeres, ſi expertus eſſes in medicina facienda, quod nos quotidiè palpamus, immanes dolores, ſub ipſa manu Chirurgi ſanguinem mittentis, illicò ceſſare; Non inquam, hac doctrina indigeres, ſi, hac experientia fretus, ulteriùs ratiocinari pergeres quantum ſpirituum diſſipet dolor, & eorum equidem ſpirituum, qui puriſſimi, qui elaborati ſunt, quantamque hi proportionem habeant ad illos, quos ſanguinis educti materies nondùm elaboratos, nondùm puros continebat; Et rursùs ratiocinareris, quàm exiguam habeat proportionem, eductus venæ ſectione ſanguis, ad quantitatem, quæ remanet in omnibus arteriis, & venis, quæque abſque ullo defectu, totum id, quod ſpiritibus elaborandis, integriſque actionibus exercendis neceſſarium eſt, è penu ſuo profert poſt ſanguinis opportunam miſſionem; &, peracto ratiocinio invenires magnam in hiſce,

aliiſque

aliiſque caſibus virium opem afferre factum iſtud remedium, quod morbo, vel dolori enervanti vires efficaciſſimè frænum imponit, non autem ipſum vires enervare, & corpus evidenter debilitare, ut gratis omninò protuliſti. Alia, de vera virium reparatione per ſanguinis miſſionem in morbis magnis, tibi exhibebimus, & luculentèr oſtendemus vires quantitati ſanguinis non eſſe neceſſariò proportionales. Nunc animadverte nullas te rationes oſtendiſſe in hoc tuo primo capite.

CAPUT II.

FLorilegium affers rationum, quibus nituntur, qui Galeni doctrinam de ſanguinis miſſione profitentur; ideòq; cum nihil aliud præſtes, nulla eſt hic diſceptandi occaſio. In hoc tantùm, præceps tuum judicium animadverto, quòd, cum Auctores omnes, qui Galenum ſequuntur non adhuc inter ſe convenire videas, ſtatim pronuncias methodum medendi per ſanguinis miſſionem, *utpotè incertam, & inconſtantem, nullatenùs eſſe amplectendam, maximè cum variis, diverſiſque modis communiter uſurpetur*. Pulchra ſanè concludendi ratio! Nonne vides hinc potiùs oppoſitum inferri poſſe; Nam ſi hoc unum remedium à multis, hiſque inter ſe ſe certantibus, admittitur, palam eſt diſſidentes multorum opiniones nihil officere, quo minùs hæc generalis ratio medendi per ſanguinis miſſionem rata ſit. Pag. 48.

CAPUT III.

HIC tranſcriptam exhibes novam Thomæ Vvillis Angli doctrinam, qua vſum phlebotomiæ à præcipuis Auctoribus cujuſque ſæculi approbatum multis rationibus confirmat, cum tamen iſte neothericus Clariſſimus, & de re medica optimè meritus Galeni doctrinam non ſequatur; Ideòque notiſſimum tibi quoque eſt, in uſu fuiſſe phlebotomiam non apud eos tantummodò, qui Galeni, aliorumque veterum doctrinam ſequuntur, verum etiam apud celeberrimos hujuſce ſæculi Auctores, te, aliiſquè perpaucis exceptis.

CAPUT IV.

ALias Franciſci de le Boë Sylvii rationes affers in hoc capite, quibus ille, in ſua nova hyppotheſi, ſanguinem, quando

quando expedit, mittendum eſſe autumat, ut, quod ſuperiùs dictum eſt, meliùs confirmari poſſit.

CAPUT V.

PErvetuſtam Hippocratis doctrinam de veteri medicina refers, & ex ea colligis *febrem, ut morbum juxtà Coi placitum* (ut inquis) non in calore conſiſtere; ſed vel in amaro, vel ſalſo, vel acido, &c. ſubdis autem: Quomodò hæc febrem cum omnibus ſuis phænomenis conſtituant, non fuiſſe ab Hippocrate explicatum, ideòque non dari, (ut loqueris) *ſyſtema* Hippocraticum febris; Quia verò neque tu explicationem hanc ab Hippocrate omiſſam ſupples, imò nihil aliud in hoc capite præſtas, nil eſt, quod hic tibi obiicere poſſim, cum præſertim hæc ſint à noſtro inſtituto aliena.

CAPUT VI.

GAleni doctrinam de febribus præmaturo judicio indiſcriminatim refellis, ego verò, tametſi ſoli veterum auctoritati aſſenſum meum non præſtem, ubi magis amica veritas obſtat, ac tametſi hæc, & alia, quibus, uſque ad duodecimum Caput opellæ tuæ, nos onerasti, doctè quidem, ac elegantèr dicta ſint, non tamen ad propoſitum noſtrum; profectò non poſſum non mirari alacrem tuam loquendi confidentiam. Nihil ne boni protulit Galenus, aut omnis doctrina ſua *principiis imaginariis* innixa eſt, quia non calluit ſanguinis ſtructuram, quia neſcivit motus humorum, quia, in anatome parum verſatus, duo tantum humana Cadavera, ut ipſe fatetur, inſpexit? Apagè *omnis homo mendax*: Hallucinaris profectò vir ornatiſſime; Quid inquam ego, ſi hæc omnia, quæ anatomes peritia invenit, nota Galeno fuiſſent? Cùm ea, quæ conſcripſit, ad rectam febrium curationem adeò conducant, ut oſtendere poſſim ſuam medendi methodum novis inventis magis confirmari; ſed hæc veritas ex inferiùs dicendis fiet manifeſta. Intereà breviſſimè animadvertere placet quid ponderis habeant, quæ contra Galenum obiicis. Tres adnotas Galeni poſitiones; primam, qua inquit, febrem eſſe caloris exceſſum in corde, ac pro ſui cauſa [excepta hectica, & ephimera] humorum putredinem agnoſcere, productam à prohibita tranſpiratione. Secundam, qua ſupponit humorum quaternarium, a quibus eruit febrium differentias. Tertiam,

qua

qua inquit, in febribus continuis non ſimpthomaticis, putredinis fodinas eſſe in venis. Poſtmodùm ſubdis: *praambula luce anatomica* conſtare ſuppoſitiones has imaginarias eſſe, *quia quatuor humores, quales in Scholis deſcribuntur, non dantur in natura, ut demonſtrat Helmontius, & omnes ferè neoterici*; Profectò valdè docilis es, ego enim, quidquid hac de re Helmontius, & alii neoterici dixerunt, demonſtrationis vim habere non auſim dicere. Oportet diligentiùs diſtinguere in omni ſcientiæ genere, quid dubium ſit, quid verò demonſtrari poſſit; non obſtantibus enim Clariſſimi Præceptoris Malphigii, & aliorum obſervationibus circà ſanguinis ſtructuram, adhùc dicere poſſemus in gratiam Galeni, [quamvis ſuæ hyppotheſi non aſſentiamur] totam iſtam litem circà nomina verti. Quidquid enim craſſioris lymphæ nomine neoterici intelligunt, illud pituitæ nomine Galenum ſignificaſſe palàm eſt, & quidquid Clariſſimus Robertus Boile Anglus in ſanguinis analiſi valdè inflammabile detexit, Galenum bilis nomine intellexiſſe; Tùm quidquid magis fixum eadem ſanguinis analiſi detectum eſt, Galenum melancoliæ nomine expoſuiſſe. Ut taceam modo partem coccineam, quam pro ſanguine quarto humore idem ipſe Galenus intellexit; Quamobrem æquum fuiſſet, aliquam te demonſtrationem tradidiſſe, qua fretus, tàm alacriter *quaternarium* humorum à Galeno traditum poſſes deridere.

Aliam Galeni poſitionem ſtatim refellis hiſce verbis, *& poſtquam cordatis Viris innotuerit ſanguinis motus in girum, non poſſunt putredinis fodinæ in venis collocari; cum ſanguis jugitèr fluat per arterias, refluat per venas, & omnia perluat.* Sed neque hic vim ullam tuæ rationis invenio, ideòque [tametſi neque ego hanc Galeni doctrinam ſequar,] non poſſum non mirari tantam judicandi facilitatem. Lege quæ doctiſſimus, & de re medica optimè meritus Laurentius Bellini de febribus tradidit, & percipies, non obſtante motu ſanguinis in girum, poſſe per intervalla cumulari aliquid in minimis arteriolis, quod febrium circuitus pariat. Sed neceſsè non eſt Clariſſimi, & numquam ſatis laudati Viri doctrinam ad tua verba confutanda interpellare, cum tu parum memor, tibi ipſi contradicens inferiùs capite octavo, ut videbimus, non obſtante ſanguinis circuitu focos, & infarctus in minimis vaſis viſcerum admittas. Subdis non poſſe humores putridos eſſe cauſam incaleſcentiæ febrilis, *cum putredo dicat defectum particularum actuoſarum in mixtis*; mitiùs tamen agendum erat

cum

cum Galeno, qui putredinis nomen latiùs uſurpat, itaut hoc nomine intelligi poſſit non ipſa putredo jam conſummata, ſed alleoſis, motuſvè inteſtinus ipſius liquidi ad putredinem tendentis.

Tandèm inquis: quod *perperam febris ratio in calore extraneo conſiſtere dicitur, cum ſit ſimpthoma à febri ſeparabile &c.* placet autem vel contra propriam noſtram ſententiam Galenum defendere, ſiquidem febris nomine tu ipſe intelligis id, undè motus cordis inordinatus proximè dependet, ut innuis inferiùs. Enim verò, ut paulò diſtinctiùs agamus, quemadmodùm morbus omnis generatim non in actione læſa conſiſtit, ſed eſt affectio proximè lædens actiones, ità febris in eo conſiſtere debet, undè proximè actio læſa cordis, pulſus videlicet inordinatus, emergit. Quid ergò ſi pateat à caloris exceſſu poſſe motum inordinatum cordis proximè pendere? fiat quacumque de cauſa, imò eadem de cauſa, quam tu aſſignas, *à ſanguine ſcilicet plùs juxto fermenteſcente* immoderatus calor, non ne vides auriculas cordis, & ventriculos ipſos hoc exceſſu caloris irritatum iri? Tùm eadem vi ſtimuli fluxum liquidi nervei uberiorem in ſingulos villorum iſtius muſculi concitandum eſſe, ac proindè frequentiores motus cordis futuros? Hoc profectò demonſtravit nuper citatus Neotericus omnium bonarum artium eximius cultor; Et quamvis multi alii ſint febris producendæ modi, de quibus hìc agendum non eſt; hanc etiam, velis nolis, cauſam febris eſſe poſſe conſtat.

CAPUT VII.

HElmontii placitum de febribus refers, ac tantum virum, qui tibi, aliiſque venæ ſectionem reiicientibus præluxit, acritèr etiam refellis, ut exindè in omnibus jure meritò cavillator dici poſſis. Nos laudatum Auctorem, qui contra rectam medendi methodum in febribus per ſanguinis miſſionem diſſeruit, a tuis cenſuris defendendum hìc non ſuſcipimus, utpotè noſtræ ſententiæ contrarium.

CAPUT VIII.

PYrethologiam Thomæ Vuillis acritèr conſueto more tuo impugnas, nil verò noſtra intereſt meritiſſimum Virum defendere; unum tamen ſubeſt adnotandum, te in hoc tuo

capite

capite tibi metipſi contradicere, ut jam innuimus; nam ſuperiùs hæc verba contrà Galenum tamquam ex tripode prolata oppoſueras, inquiens: *Poſtquam cordatis Viris innotuit ſanguinis motus in gyrum, non poſſunt putredinis fodinæ, in venis collocari, cum ſanguis jugitèr fluat per arterias, refluat per venas, & omnia perluat.* Cur ergò hæc tam citò memoria exciderunt, dum contra Vvilliſium diſſeris, & hunc tuum omninò præfatis verbis contrarium ſermonem ſic exprimis? *Rationum Vvilliſii ſolutio eſt facillima. Concedimus Viro Clariſs. in ſtatu naturali ſanguinem liberè fluere per arterias, refluere per venas, & omnia perluere, indèque omnia corporis diverticula luſtrare; Quid autem obſtat, quo minùs in ſtatu violento ſanguis fæculentus, & viſcidus per vaſorum capillarium anguſtias tranſcolandus, ſuis impuritatibus tranſitum præcludat, vel rumpendo, vel obſtruendo vaſa, ibique ſtagnans ſtato tempore corrumpatur, & exaltetur? ob eandem rationem non eſt denegandus viſceribus focus, ſeù infarctus ab impuris ſuccis, qui fieri poteſt cum tumore, & citrà tumorem; Quaſi verò materia vitioſa ſtagnans; quæ partem non elevet in molem corrumpi nequeat, ac febrim ſuſcitare non valeat.* Cap. 6.

CAPUT IX.

QUidquid Sylvius de le Boè de febribus imaginatus eſt, nihil ad noſtrum pertinet inſtitutum, ideòque cenſuram tuam ſatis fusè conſcriptam, ut inutilem, & alienam omittimus.

CAPUT X.

OMittenda etiam duximus, eadem de cauſa, quæcumque contra Pyrethologiam Thomæ Sydenham breviter expoſitam in hoc capite obiicis.

CAPUT XI.

CUrioſam Landovillettæ diſſertationem de febribus non clarè admodum exhibes, ſed more tuo carpis, neque tamen opus eſt per hæc tua commenta extrà inſtitutum noſtrum vagari.

CAPUT XII.

JO: *Alphonſus Borelli Mathæſeos Profeſſor celeberrimus in Philoſophia, & Medicina Auctor eruditiſſimus*, Vir prodigiorum in demonſtrationibus, ut jure meritò inquit Doctiſſimus Bellini, Siciliarum decus, inquam ego, ab animoſa cenſura tua non eſt immunis. In hoc enim tuo capite, quæ tantus Vir de febre tradidit, refers; Tùm Virum graviſſimum reprehendis, quod *commentitiam* rigoris, & frigoris explicationem proferat, *nullis rationibus*, *vel experimentis conſtantem*, aliaque hujuſmodi animoſa verba contra tantum Virum objicis. Utinam verò eruditum ingenium tuum tanta claritate donatum eſſet, quanta generoſitate abundat; Utinam faltèm perſpicuam Clariſſimi Auctoris philoſophandi methodum, ac breviloquentiam immitareris, nam, ut verum fatear, me legere valdè tædet quæcumque ſimul congeris, tùm digrediens ad Clariſſimi Charletonis placitum contra ſanguinis fermentationem, tùm ejuſdem rationes ad examen revocans, tùm poſtremò ad Clariſs. Borellum rediens; Quorsùm farrago hæc? ſed cum hæc omnia, quæ ad augendum volumen tuum conſcripſiſti, nihil penitùs faciant ad noſtram contradictionem, ad quam propero, ne commemoranda quidem ſunt; agnoſcent enim, quicumque non ſcioli audiunt, ſed verè Philoſophi, quid inter Clariſſimi Auctoris precioſas lucubrationes, ac tuam cenſuram diſcriminis intercedat.

Pag. 199.

Sperabam inter tot febrium ſyſtemata (ut hoc tuo utar vocabulo) novum ſyſtema tuum legere, ſed, ſpe deluſus, iſto etiam nùm carere Litterariam Rempublicam video. Quid mea tenuitas protulerit circa febris naturam, & cauſas, innuam in fine hujus libri. Tùm facilè erit animadvertere Galenum, tametſi non omnia tradiderit, quæ ad veram Pyrethologiæ hypotheſim faciant, tutiſſimam tamen docuiſſe methodum curandarum febrium, quantum ad generalia pertinet remedia.

Expe-

Expenduntur duæ ratiunculæ

DOMINICI LA SCALA

Contrà Sanguinis Miſſionem.

TAndem improbo labore feſſus, poſt congeſta tot Clariſſimorum Virorum placita de febribus, quæ magnam opellæ tuæ partem implent, quæque me fruſtrà fatigarunt, redis ad propoſitum noſtrum, duas afferens ratiunculas contra ſanguinis miſſionem in febribus; Inquis enim: *Præcipuum ſanè inter alia, quæ Medicis ſananda obiiciuntur eſt febris; Hæc autem undè proveniat & quibus ex cauſis proximis generetur, & in quo conſiſtat ejus eſſentia, non adhùc per tot ſæcula cognoſci potuit, ut nuper evidentiſſimè oſtendimus, relatis variis Doctorum placitis. Quapropter, cum non benè ſit cognita febris eſſentia, neſcio quo fundamento ad ſanguinis evacuationem deveniatur; His accedit ſanguinem eſſe naturam, ſeù vitam, morborumque medicatricem, ut cap primo demonſtravimus.* Pag. 212.

In primis non credo humanæ Reip. neceſſarium eſſe ſcire te quo fundamento ad ſanguinis evacuationem deveniatur; Multa enim ſunt nihilominùs fundamenta, quibus neceſſitas remedii hujus innititur, tametſi non benè cognita ſit febris eſſentia. Profectò in abditorum motuum naturalium, & naturæ ipſius diſquiſitionibus, ultimæ rerum differentiæ nos latent. Ecquid ideò? Nonnè generales cognitiones, quæq; ex his directa conſequutione deducuntur, in omni ſcientiæ genere ad humanos uſus ſufficiunt? ſatis eſt ſcire, quod ratum eſt in omni hyppotheſi; hoc generale theorema, ſeù potius axioma. *Vt ſcilicet omnes perſpirationes, omneſque ſecretiones liquidorum ex ſanguine fiunt, ità vitia, quæ ab ipſis imminutis depravatis, aut abolitis emergunt, in ſanguinem ipſum tandem refundi.* Satis eſt ſcire [quod jam ſuperiùs cap. primo breviter innuimus, quodque fusè inferiùs demonſtratione, ac experimentis palam fiet] ſanguinis miſſionem ejuſdem vitia multa corrigere.

Sed inquis ſanguinem eſſe naturam, ſeù vitam, morborumque medicatricem; papæ quam præcipitantèr loqueris? Quid eſt natura hominis inferior? vel quid animalium natura? ſolus ne ſanguis, aut ſanguis quocumque modo, benè ſcilicet, vel malè ſe habens?

Sed quid capite primo demonſtraſſe confidis? Dixeras effuſa nimis oratione ſanguinem eſſe opobalſamum animalis, in ipſo vitam conſiſtere, & hujuſmodi alia, quæ ibi, ut à tuis nos ipſos liberaremus inutilibus verbis, liberalitèr ſuppoſuimus, adnotantes ſolum, quod hoc in ſtatu naturæ integro intelligi debet, non verò dùm ægrotat homo; In hoc enim caſu, vitio ejuſdem ſanguinis, quo vita fovebatur, mortem impendere certiſſimum eſt. Neque ea, quæ illic ad convincendas leves tuas ratiunculas manifeſtavimus, fruſtrà ſunt repetenda.

(Examen Reſponſionum

DOMINICI LA SCALA

Ad argumenta Galeniſtarum pro Sanguinis Miſſione.)

NUnc, ſicco pede tranſactis omnibus, quæ ab inſtituto noſtro aliena ſunt, res exigit, ut contradictionem noſtram intendamus, & acritèr pro veritate certemus; Quocircà, majoris claritatis gratia, quæcumque contra Galeniſtas opponis, vel quæcumque reſpondes eorum rationibus, ad examen ſingillatim revocare operæ pretium eſt.

PUNCTUM PRIMUM.

Pag. 243. *INter præcipuas*, inquis, *argumentationes, quibus Medici, qui phlebotomiam admittunt, perſuadere nituntur ſanguinis evacuationem præſentaneum eſſe remedium ad morbos expellendos, aſſerere non verentur hujuſmodi remedium, vel ex naturæ inſtinctu indicari; ad quod probandum, exemplum afferunt depromptum ex Plinio, qui lib. 8. cap. 26. naturalis hiſtoriæ aſſerit quoddam eſſe animal fluviatile [quod Græci Hyppopotamon,*

latini

latini fluviatilem equum vocant] *quod ubi ſe prava affectum ſentit valetudine, e fluvio in littus proſilit, & offendens acutum aliquid, vel ex arborum truncis, vel arundinum cæſuris, applicato ibi corpore, venam quandam cruris vulnerat, &c.*

Reſpondes autèm fabulam tibi videri hanc Plinii hiſtoriam, prout olim Avempalucæ arabico Medico viſa eſt; ac non deeſſe curioſos, eruditoſque Scriptores aſſerentes ſe [ut hac de re certiores redderentur] interrogaſſe illarum regionum habitatores, in quibus id Plinius evenire dicit, an hoc obſervaſſent? Qui ingenuè faſſi ſunt ſe numquam tale quid obſervaſſe.

In primis non eſt hæc hiſtoria unum ex præcipuis argumentis phlebotomiæ utilitatem oſtendentibus; multa enim ſunt, & multa quidem, quibus nemo fortaſſe reſpondere vmquam poterit, niſi verbis, & cavillationibus; Quod verò tu, aliique nonnulli, huic hiſtoriæ Plinii fidem negent, nihil penitùs obſtat, ſed nimis levi ratiuncula moveris, ad denegandam naturali hiſtorico fidem; facilè quippe eſt incolas præfatos regionum illarum, quos interrogarunt curioſi, numquam tale quid obſervaſſe; Nec ideò tamen (niſi præcipitanter nimis) accuſare licet de mendacio Plinium; An ne curioſi illi agricolas omnes interrogarunt? An ne tàm frequenter Hyppopotamus ægrotat, confugitque ad ſalubre vulnus, ut multis datum ſit id obſervare? An ne incolæ illi omnes, vel plurimi hac tenentur curioſitate? An ne Hyppopotamus hanc ſuam curationem dictante natura petit coram Agricolis? Quin imò ſcimus animalia cuncta ſylveſtria naturæ inſtinctu aſpectum humanum fugere. Veruntamen fides ſit penes Auctorem. Et hæc intereà contra te ſufficiant, non ad oſtendendam quidem hujus hiſtoriæ veritatem, cujus alioquin doctrina mittendi ſanguinis non eget, ſed ad te monendum, ut non tàm citò, aut tàm levibus motus argumentis, mendaces hiſtoricos facias.

Sed Plinium ab illato mendacio abſolvere ſtudes inquiens, *id fortuitò eveniſſe, & , natura ipſa impellente, ſanguinem è naribus effluxiſſe, non autem ex crure vulnerato*, quod cum naturaliter eveniat, ſubdis mirum non eſſe, ſi ſanitatem recuperaverit Hyppopotamus; *Quod enim natura molitur, id ars efficere non poteſt*. Veruntamen, non ne vides hoc tuo commento præfatum Auctorem, qui rem aliter narrat, non à mendacio excuſari, quin potiùs, & mendacem, & ad judicandum proclivem nimis te Plinium facere? An verò ars efficere poſſit, quod natura molitur, eſt aliud argumentum mox expendendum. Pag. 184.

PUN-

PUNCTUM SECUNDUM.

UNum ex argumentis phlebotomiam ſuadentibus ex ipſa natura deſumitur. Enim verò quandoque natura criſim molitur per largas hemorragias cum conferentia, & tolerantia, quamobrem rectè *inferri poteſt a Medico, qui eſt naturæ Miniſter, ritè celebrari poſſe pro morborum curatione venæ ſectionem*. *Reſpondes autem primò facultatem medicam naturæ* Pag. 184. & 185. *ſolertiam imitari haud poſſe; Hæc enim fermentationis, efficit motum, quo cuncta moventur, agitantur, & revolvuntur, & poſt quem ſimilia aggregantur, heterogenea ſeparantur*. Tùm auctoritate tua fretus, non ulla quidem ratione probas, ſed tantùm ex tripode dictas: ſudoris excretionem fieri per fermentationem, eadem ratione, ac exanthematum, & peticularum eruptio fit. Poſtmodùm arguis. *Quis unquam Medicus has vitales operationes, venam ſecando imitari poteſt?* Concludiſque *per venæ ſectionem Medicum non imitari naturam rectè operantem, ſed perperam agentem, cum non rarò eveniat in ſimilibus evacuationibus, per nares, uterum, & mariſcas, naturam feſtinantèr ad ſepulchrum ægrotantes ducere*. Poſteà uberioris ſermonis gratia hæc dicere pergis: *Appellant Medici prædictas ſanguinis evacuationes ſimpthomaticas, cruda ſcilicèt exiſtente materia, quæ in eo conſiſtit, docente Galeno, quod nondum vitioſum ab utili ſeparatum eſt. Separat natura à ſanguine inutilia, ut diximus, non per ſomniatas facultates, ſed glandularum ope; Harum interventu in animalis corpore depuratur ſanguis ut notat Clariſs. Charletonius, qui licet fermentationem inficietur, vult tamen ad heterogeneorum ſegregationem eſſe ſufficientem glandularum ſtructuram. Sed parcat mihi Vir Clariſſimus* [inquis]; *Verum ſiquidem eſt glandulas eſſe inſtrumentum ſeparationis naturæ in animali; ſed præcedere debet ſanguinis fermentatio, quæ diſſociet particulas heterogeneas, ut, è vinculis ſolutæ, ſimilem inveniant in glandulis meatuum configurationem pro ſeparatione particularum heterogenearum. Et, ut a ratione exordium deſumam, aſſerendum eſt per vaſis ſectionem cum inutilibus ſanguinem evacuari, non depurari: Hoc munus natura præſtat; Quod ſanè reor Galenum agnoviſſe, dùm ait naturam in morborum curatione primò coquere, ſecundò ſegregare, tertiò expellere. Per venam ſectam celebratur evacuatio ſimpthomatica, educens è vaſis promiſcuè purum, & impurum.*

Hæc eſt integra quidem reſponſio tua, nihil verò penitùs præfatæ rationi officit; Quandò enim natura criſim molitur

per

per largas hemorragias, id præſtat abſque ulla glandularum ſecretione per vaſa narium, vel uteri, vel per mariſcas, ideòque non evacuat natura quid à ſanguine ſecretum, ut in alijs criſibus contingit, per ſudorem ſcilicet, urinam, aliaſque hujuſmodi ſecretiones, ſed ipſummet ſanguinem effundit, ejuſdem omninò rationis, ejuſdem omninò naturæ, ac ſanguis, qui in arterijs, & venis remanet; vel ejuſdem omninò naturæ, ac ſanguis venæ ſectione eductus, cum tamen ejuſmodi evacuationes plerumque ſint criticæ, quandò ſcilicet cum conferentia, & tolerantia fiunt, tametſi quandoquè ſymptomaticæ ſint, quandò vi cauſę alicuius morbi ſi ę potiùs, quam naturæ conatu ſequuntur. Enim verò, ſi tu ipſe, uberi ſermone tuo ſuperiùs relato, fateris ad ſeparandum ex ſanguine id, quod inutile eſt, vel alienum, neceſſarias eſſe glandulas; ubi glandulæ ſunt in præfatis vaſis, è quibus natura ſanguinem utilitèr effundit? Et utilitèr quidem effundit ſanguinem natura, ut omnes medicinam facientes obſervarunt, per hæc vaſa, quandò ipſa prævalens morbo, hanc molitur evacuationem; Quandò enim effunditur ſanguis inutilitèr, & ſymptomaticè, ab aliqua cauſa præter naturam id fit, non ab ipſa natura prævalente. Vide igitur quam feſtinantèr, quam lubricè, & confidentèr dixeris *per venæ ſectionem* Medicum non imitari naturam rectè operantem, ſed perperam agentem. At fortaſſe, qui à Galeni doctrinam reſpuis, non conſideraſti, quod palam fiet inferiùs: miſſione ſanguinis opportuna, non minùs, ac hemorragia naturam, quæ pręmebatur, levari, motuſque omnes liquidorum per canales ſuos reddi liberiores, adeòut, quod morbum faciebat, faciliùs prævalente natura eliminetur.

Reſpondes ſecundò *Galenum cum ſuis pediſſequis valdè decipi, dùm putant curationem aliquarum febrium à natura peragi per ſanguinis hemorragias, quoniàm in ſanguine foràs è vaſis rubris effuſo eſt commixtum, ſeù intrà poſitum fermentum febrile, ideſt ſucci acres, & maligni, qui vel è nervulis glandularum, vel ab arterijs intrà venas effunduntur fermentationis ope; Quarè dùm foras per anaſtomoſim, ſeù venarum oſcilla eiiciuntur, ſimùl ſanguis inſons per dicta oſcilla effunditur. Sanguis igitur* (inquis) *alteratus, ideſt pollutus, non eſt cauſa immediata febris, ſed fermentum illud febrile ſangnine mixtum; Hic enim non morbi cauſa, ſed eſt naturæ, corporis balſamum, alimentum, ſi non proximum, ſaltèm remotum, animalis vitæ, & totius corporis æconomus.* Præthereà obſervas *ſynochas rarò per hemorragiam, ſæpiùs per ſudores terminari, ideſt degenere illo humore, ſeù fer-* Pag. 185.

mento

mento febrili educto, undè ſanguinis fermentatio violenta promovetur; Mox verò repurgato ſanguine per ſudorem ab impuritatibus ſecretis, in conſuetis corporum emunctoriis, ſeù glandulis Stenonis, reducitur æger cum fælici ſucceſſu ſine virium diſpendio priſtinæ ſanitati, quod non evenit patientibus per hemorragiam curatis, qui cum virium languore, & non raro cum recidiva à febri fiunt immunes, ob virium, ſeù ſanguinis jacturam ſimul cum fermento febrili, è vaſis rubris foras effuſi.

Profectò cum multa hic dixeris, nihil omninò probaſti. In primis enim, quando natura in febre continua homotona E.G. cum capitis dolore, ex diſtenſione vaſorum ſanguinis ſuborto, curationem molitur per effuſionem ſanguinis è naribus, ubi erat tuum iſtud fermentum? Ubi acres ſucci, & maligni, quos optas è nervulis glandularum, vel ab arteriis intrà venas effundi fermentationis ope, ac poſtmodum exire foras cum ſanguine, quem natura per hemorragiam effundit? Sed etſi liberalitèr tibi demus iſta gratis adſtructa fermenta, qua neceſſitate fermenta, quæ ſanguini mixta per circuitum jam totam afflaverunt maſſam, ad narium vaſa, vel ad mariſcas properant, dum exit iſtinc ſanguis? Cauſam præfati morbi nos habemus conſpicuam, ſanguinem ſcilicet, vel rareſcentia, vel lentore vaſa diſtendentem capitis, doloreſque ibi producentem, ac utrumque vitium à prohibita perſpiratione, cæteriſque cauſis non naturalibus fieri poſſe, notiſſimum eſt. Sed etſi demus tibi rareſcentiam illam ſanguinis, ab aliqua incongrua mixtione fluidi, quod fermentum appelles, dependere, vel ſi permittamus etiam quavis ratione lentorem ab hujuſmodi cauſa te deducere; Adhùc non alia utilior evacuatio eſt hoc in caſu, quam hemorragia, non quià incõgrua illa fermenta tua per vaſorũ naſi, aut mariſcarũ emiſſaria eiiciat (hoc enim, ob præfatam rationem, non niſi abſque neceſſitate, & abſque cauſa fingi poteſt puerilitèr) ſed quià ſimùl, & ſemèl hemorragia dolorem compeſcit, diſtenta vaſa deplens, ac in priſtinum perimetrum ſuum reducens, tùm motu ſanguinis naturali hanc ob cauſam concitato per directiones canalium, faciliorem perſpirationem promovet, cujus ope corpuſcula, ſeù halitus extranei, e corpore protrudantur, morbuſque omninò ſuperetur.

Replicas hic ſanguinem effuſum eſſe *naturam*, corporis balſamum, alimentum, ſi non proximum, ſaltèm remotum, animalis vitam, & totius corporis æconomum; ſed hæc liberalitèr tibi concedimus, ea ratione, qua ſuperiùs diximus, ſi nimirùm intelligas ſanguinem ipſum in corpore ſuperſtitem, poſt-

quam

quam hemorragia ritè peracta ipſum liberavit à vitio, quod contraxerat, & quo cæteroquin conſtituebatur potiùs cauſa morbi, & mortis, quam vitæ ipſius.

Circà obſervationem tuam præfatam, certum eſt, ubi diſtenſiones vaſorum deſunt, vel aliæ neceſſitates, atquè etiam diſpoſitiones ægrotantium, non ſemper fieri criſim per hemorragiam, ſed faciliùs ſuo tempore in iſtis caſibus fieri criſes per conſuetas magis evacuationes, ut ſudoris, urinæ, &c. veruntamèn ſi etiam per hemorragiam natura criſim molitur, ubi ea, quæ neceſſaria ſunt, non deſunt, falsò aſſeruiſti *Galenum cum ſuis pediſſequis valdè decipi, dùm putant curationem aliquarum febrium à natura peragi per hemorragias.*

Quod verò ad reliquum ſermonem tuum, ſcias nos quoque medicinam facere, & obſervare, criſes veras hemorragia peractas, nihil magis relinquere debiles ægrotantes, quam alias criſes, nec ab illa magis, quam ab iſtis alijs recidivas evenire; Quin imò repugnat omninò cum vera, & perfecta criſi recidiva, nam vera, & perfecta criſis omnem morbi cauſam tollit, ideòque Hippocrates inquit, *quæ judicantur, & judicata ſunt integrè, neque movere oportet, neque novare, neque medicamentis, neque aliis irritamentis, ſed ſinere* oportet. *Pag. 186. in principio.* *Primo Aphoriſ. 20.*

PUNCTUM TERTIUM.

SUmmam aliarum rationum, quibus Galeniſtæ innituntur pro ſanguinis eductione, tertio tuo paragrapho ſimùl refers, iiſque ſingillatim reſpondes: nos ideò diſtinctè magis primam ex allatis rationibus, tuaſque reſponſiones hic expendemus, alias ex ordine inferiùs judicaturi.

Venæ ſectio, inquiunt, *refrigerat æſtum febrilem*.

Hic verò multa dicis eſſe conſideranda. Primò, curationem febris non per contraria eſſe inſtituendam, & affers Hippocratis contextum dicentis, manifeſtè errare, qui ſibi ipſis *ſuppoſuerunt pro morbis, calidum, aut frigidum, aut humidum, aut ſiccum &c.* itemque alium ſubdis ejuſdem contextum: *non ſiccum, neque humidum, neque calidum, neque frigidum hominem lædere, ſed amarum, & ſalſum, dulce, & accidum, & acerbum, & fluidum, & alia infinita omnigenas facultates habentia copiamque, ac robur. Atque hæc quidem juxtà, ac inter ſe temperata, nec eſse conſpicua, neque hominem lædere; Ubi verò quid horum ſecretum fuerit, & ipſum in ſe ipſo fuerit tunc, & conſpicuum eſſe, & hominem lædere.* *Pag. 186. & 87.* *Lib. de vet. med. num. pri.* *Nu. 14.*

Dd Tum

Tùm aſſeris concludere Hippocratem non fieri curationem; neque à calidis, neque à frigidis, neque ab humidis, neque à ſiccis; at falsò quidem, ſi intelligas Hippocratem excludere ſemper curationem à calidis, aut à frigidis &c. In illo enim ultimo contextu exemplum affert Hippocrates caſus cuiuſdam, pro cuius curatione, neque calidum, neque frigidum opportuna ſunt remedia. Non valet autèm à particulari ad univerſale illatio. Alij verò contextus Hippocratis palam quidem docent errare illos, *qui ſibi ipſis ſuppoſuerunt calidum, aut frigidum, aut humidum, aut ſiccum, aut aliud quodcumque voluerint, rem in compendium contrahentes, principium cauſæ tùm morborum, tùm mortis hominibus omnibus idem, unum, aut duo proponentes*. Non verò ità perperam intelligendi ſunt, ut tu fraudolentèr traducis, quaſi Hippocrates docuiſſet calidum, aut frigidum, aut humidum, aut ſiccum numquàm eſſe cauſas tùm morborum, tùm mortis; Ad hoc enim oſtendendum ſatis fuit mihi addere verba præfata ejuſdem Hippocratis, quæ flagitiosè tacueras. Ex his enim, quicumque leget, intelligere poterit, damnare Hippocratem illos, qui tantummodò unum, aut alterum principium cauſarum in morbis aſſumunt; eademque ratione palàm docet in alijs allatis contextibus Hippocrates non ſolum ſiccum, neque humidum, neque calidum, neque frigidum hominem lædere, ſed alia etiam, quæ expreſſit; Non autèm propterea illas cauſas excludit, ut quicumque, vel purus grammaticus, legendo percipiet.

Pag. 187. Animosè tandèm concludis curationes non fieri per contraria, contextum alium Hippocratis afferens, qui ne dùm nihil pro te comprobat, ſed potiùs (ut alij ſuperiùs allati) contrà
Nu. 30. te eſt: Inquit enim Hippocrates à te citatus: *Verum dixerit aliquis: qui ardenti febre febricitant, itemque peripneumoniis, & aliis fortibus morbis, non citò ex calore liberantur, neque adeſt hic frigidum, adversùs calidum. Atqui ego hoc maximum ſignum eſſe puto, quod non propter calidum ſimplicitèr homines febricitent, neque hoc ſit ſimplicitèr afflictionis cauſa: Sed eſt, & amarum, &c.* Reliqua Hippocratis verba, quæ integrum contextum componunt, quià contrà te faciunt, prudentèr omittis. Sequitur autèm Hippocratis oratio: *ſed eſt amarum, & calidum idem, & calidum, ac acidum, & ſalſum, ac calidum, & alia infinita; & rursùs frigidum cum aliis facultatibus conjunctùm. Hæc itaque ſunt, quæ lædunt; ſi ſimul adeſt autem, & calidum robore participans, nimirùm ducens, & exacerbans, & augens ſimul cum illis, &c.* En igitur clara Hippocratis ſen-

tentia

tentia, quæ non excludit, ut falsò dixeras, calidum, & frigidum à cauſis morborum, neque docuit umquam hic, aut alibi, quod intendis probare, curationes non fieri per contraria.

Afferς etiam Petri Poterij aliquot verba in comprobationem tuæ ſententiæ: *Medicus* (inquit ille) *qui dicit febrim eſſe calorem, & frigidum ipſi opponit, & eam non curat, oſtendit clarè frigus non eſſe febri contrarium*: ſed quorſum hæc? quis umquam curationem febris aggrediatur per ſolum aquæ frigidæ potum? Quis umquam hoc generale axioma Medicum: *contrarijs contraria curantur*, anguſtè adeò intellexit, ut nudas qualitates contrarias pro curatione morbi opponat? Nonnè, ſi cauſam morbi tollamus, morbum etiam per contraria curamus? contraria ſiquidem ipſi cauſæ eſt eiuſdem ablatio, quomodocumque fiat, neque Medici, qui ſunt artifices ſenſati logicis huiuſmodi cavillationibus detinentur. Profectò, in hac tua prima reſponſione, miror te tantis verbis nihil dixiſſe; Alia fortaſſe reſponſio tua melior erit, ideòque ad eam tranſeamus.

Reſpondes ſecundò à ſanguinis eductione æſtum febrilem refrigerari. *Diſtingue, tamèn*, inquis, *duplicem refrigerationem, alteram Ariſtotelicam, id eſt qualitatem poſitivam calori oppoſitam; Ambæ ſiquidem qualitates mutuo ſe expellunt ab eodem ſubiecto, cum in genere plurimum diſtent. Alteram privativam, quæ in ſpirituum calidorum defectu conſiſtit, & pro cauſa non agnoſcit agens, frigidum, ſed reſolutionem factam à quacumque cauſa reſolvente partes mixtum componentes.* Subdiſque *exempli gratia vinum bifariam dicitur ab Ariſtotelicis frigidum, vel qualitativè, vel ſubſtantificè; Priori modo conſideratur incorruptum, ſed alteratum ab agente frigido. Secundò modo corruptum, & frigidum ſubſtantificè cum carentia videlicet ſpirituum, ut eſt acetum, quod eſt vinum corruptum, ſpiritibus ſulphureis deſtitutum.* indè proſequeris. *Reſolvuntur ſpiritus, vel ſpontè, ideſt ab intrinſeco, vel occaſionalitèr à cauſis videlicet extrinſecis, ut eſt calor ambiens, vel alia cauſa mixti compagem deſtruens. Venæ ſectio refrigerat ſubſtantificè corpus, exhauriendo ſanguinem ſpiritibus fætum, qui eſt pars componens illud, & impertiendo calorem; Quarè venæ ſectio refrigerat ſubſtantificè, privando corpus ſpiritibus vitalibus. Componitur animal tribus partibus, docente Hippocrate, continentibus, contentis, & impetum facientibus: febris, juxtà Galeni ſententiam, eſt caloris exceſſus, cui opponitur frigiditas qualitativa, non ſubſtantifica, juxtà illud Galeniſtarum effatum, contraria contrarijs curantur.*

Pag. 188.

tur. Frigiditas ſubſtantifica non opponitur calori extraneo febrim conſtituenti, ſed deſtruit vitam, ideſt ſanguinem ſpiritibus vitalibus impregnatum, ut obſervamus in propè morituris, quorum corpus algidum eſt, ob ſanguinem corruptum, ideſt ſpirituum vitalium extinctionem à cauſis morbificis ſanguini inductam. Rurſùm per ſectam venam non ſolum refrigeratur corpus, ob ſanguinis abſentiam, ſed etiam ſanguinis reſiduum ſpiritibus effæti; Nàm per vaſis foramen advolat maior ſpirituum copia, quam ſanguinis, quia ad motum ſunt magìs expediti, utpotè corpora ſanguine leviora.

Hæc eſt integra tua reſponſio, in qua ſcholaſticis terminis te ſatis inſtructum præbes; Refrigerium, quod affert ſanguinis miſſio, eſt certè illud, quod appellas privativum. Sed ex hoc non tanta mala patitur æger, quanta reformidas. In primis enim, fac ſanguinem in febribus, immoderata fermentatione, ſeù mavis, efferveſcentia turgere, ſuppone item, ut mavis, fermentum aliquod extraneum, quod ſanguini mixtum, huius efferveſcentiæ cauſa ultima ſit, [loquor enim iuxtà tua principia, ut convenientes unà ſimul, non ad verba digrediamur, ſed ad rem properemus] nonnè in hoc caſu luxuriat in ſanguine copia effluviorum calidorum naturali maior? Nonnè iſta effluvia miſerum ægrum lædunt, actioneſque ipſius enervant? Quod ſi ità eſt, ut negari omninò non poſſit; nonnè ſanguinis miſſio congrua, qua immoderatus æſtus deferveat, undè graviter angebatur æger, magnam opem, & præſentaneam affert? Dices hanc exuberantis caloris mitigationem fieri per diſſipationem ſpirituum calidorum; quid autem intelligis hoc nomine? omnia ne calida effluvia, vel potiùs materiam purorum ſpirituum, qui actionibus animalis inſerviunt? ſi primum intelligas, rectè quidèm inquis, quippè cum in febre longè minùs, quam in ſtatu ſanitatis perſpirent conſueta illa effluvia calida, per cutis poros, ut Sanctorij experimentis conſtat, profectò ſi per ſanguinis miſſionem diſſipentur halitus iſti, ſupplet hoc ſalubre remedium, perſpirationis neceſſariæ defectui; Et hac ratione refrigerium affert diſſipando calidos halitus, qui cum in ſtatu morbi extrà corpus non eliminentur, calorem in ſanguine naturali maiorem producunt; Ac nil vetat hoc refrigerium appellare tecum tuo termino ſcholaſtico, *refrigerationem privativam*. Si verò ſanguinis miſſionem reformidas, eo quod refrigeret hauriendo ſpiritus vitales, & hoc nomine vires enervando, gratis omninò id affirmas. Spiritus enim ſanguinis ità ſunt reliquis particulis imè

mixti,

mixti, ut non tàm facilè diſſipari poſſint, quinimò ex æquo ſingulis quibuslibet ſanguinis portionibus diſtributi ſunt. Id docet profectò autopſia in deſtillatione chimica ſpirituum eiuſdem ſanguinis, non niſi magno labore illos proliciente; Ac ridendum eſt hoc tuum placitum, quo tàm audacter aſſeris extractionem aliquot unciarum ſanguinis, copiam purorum ſpirituum exhaurire. Scilicet in tanta ſanguinis copia, quæ abundat in arterijs, & venis poſt opportunam venæ ſectionem, deerit materia ſpirituum actionibus omnibus neceſſaria! Sed hac de re primo capite falſitatem opinionis tuæ oſtendimus. Lege inſuper quæ Doctiſſimus, & numquam ſatis laudatus Laurentius Bellini nuper edidit, de hoc tutiſſimo venæ ſectionis remedio, & clarè percipies puerilem hanc eſſe formidinem. Demonſtrat enim ille ſatis magnam extrahi poſſe venæ ſectione ſanguinis copiam, abſque virium iactura, & experientia quoque id manifeſtiſſimum omnibus facit.

PUNCTUM QUARTUM

Communis ſententia eorum omnium, qui Galeni doctrinam ſequuntur, eſt, quod ſanguinis miſſio *ventilet fuligines*; hanc tu quoque impugnare aggrederis.

Nemò anatomicorum, inquis, *ſic perperàm loquutus eſt in proponendo uſu partium animalis. Ordo analiticus anatomes docet*, Pag. 189. *tranſpirationem, quæ eſt partium fugitivarum, & volatilium eruptio, fieri à ſanguine fermenteſcente quo per innumeras glandulas ſubcutaneas circulante, fit ſeparatio illarum partium fugitivarum, quæ per vaſa excretoria ad extimam epidermidis ſuperficiem evehuntur. Hoc artificio*, ſubdis, *natura ſeparat à maſſa ſanguinea excrementum ſeroſum, ideſt ſudorem, & excrementa volatilia, quæ vulgò dicuntur fuligines. Ex nuper exaratis liquet venæ ſectionem non eſſe inſtrumentum ſeparatorium fuliginum, ſed eductionem ſpirituum regentium ſanguinis, & fuliginum promiſcuam. Natura horret vulnus in corpore animalis, ut ſibi noxium, intendit vacua ſpatiola, per quæ effluvia continentèr erumpunt. Deindè*, inquis, *prohibita tranſpiratio curatur tubulos cutis reſerando, qui vel ab humoribus glutinoſis obſtruebantur, vel eorum oſcula, ideſt pori, à ſicco, ut eſt alumen, ſal eſculentus, vitriolum, & alia, vel à frigido denſante, claudebantur. Prima intentio abſolvitur attenuando humorum glutinoſitatem per incidentia, & attenuantia. Secunda cutim laxando per humectantia. Tertia rarefaciendo corporis ſuperficiem per*

calida.

calida: Venæ ſectio nullam prædictis intentionibus præbet utilitatem, ſed ſolum vires ægrotantium prædatur. Nec officit Galeniſtas velle prohibitam tranſpirationem interdùm à ſanguinis copia proficiſci cutis tubulos opprimente; Non enim pratèr rationem eſt, ſi aſſeramus ſanguinis copiam naturam opprimentem eſſe ſomniatam, opinantes illam dari à veritatis ſcopo valdè deflectere, ut mox demonſtrabimus.

Quid autèm [ut hæc tua verba expendamus] *ordo analiticus anatomes docet?* Evincunt equidem contrà te ſtatica experimenta Sanctorij ægrotare hominem dùm ſupprimitur, vel imminuitur perſpiratio, quemadmodum Galenus pridem docuerat; Evincit recta ratio, ex rei neceſſitate deſumpta, fore ut, retenta in ſanguine effluvia, quæ alioquin perſpirare debuerant, impetum ſuum ſanguinis particulis infligant, ipſaſque proindè in motus inteſtinos, præter naturæ ordinem, ſeù in fermentationem, ut inquis, urgeant; Nihil verò probat incerta tua ſuppoſitio, qua inquis tranſpirationem fieri à ſanguine fermenteſcente; Imò, ſi hoc verum eſſet, quando verè fermenteſcit ſanguis, ut in febribus, [nàm in ſtatu naturæ integro adhuc dubium eſt, an detur iſta fermentatio], procùl dubio non deficeret neceſſaria tranſpiratio; Cumque hæc ſummopere conducat ad bonam conſervandam valetudinem, iuxtà laudati viri experimenta ſtatica, profectò febris, utpotè tranſpirationem promovens, ex vi tuæ hyppotheſeos exoptanda potiùs, quam arcenda eſſet pro tuenda valetudine, quo quid inſultiùs dici poteſt? Tranſpiratio effluviorum, quæ à ſanguine perpètim per corporis meatus exeunt, promovetur à libero, & veloci ſanguinis circuitu per omnes arterias, & venas etiam minimas, & capillares, prout naturalis exigit lex, hunc autem liberum, & velocem ſanguinis motum per directiones canalium, neceſsè eſt minui, ſi fermenteſcens iſte alium motum inteſtinum conceperit, quo particulæ à recto tramite divertant, ac per tranſverſas directiones turbulentèr moveantur, vaſa maiuſcula diſtendendo, tùm minimas arteriolas infarciendo, ac non rarò inflammationes, decubituſque ſtagnantis ſanguinis inducendo; præproperè igitur dixiſti tranſpirationem, quæ liberum circuitum etiam per vaſa minima exigit, à ſanguine fermenteſcente fieri.

Sed quid ordo analiticus anatomes docet? An ne iſte tuus ordo analiticus confundit tranſpirationem cum ſudoris evacuatione, quæ per vaſa excretoria glandularum ad cutim fit? Non alij fortaſſe meatus in corpore ſunt, per quos effluvia ſpirent,

rent, quam excretorij ductus ſudoris? Clariſs. Nicolai Stenonis (quem olim audiuiſſe glorior) diligentiſſimæ obſervationes docent in corpore humano eſſe cavitates ubique ad effluvia excipienda idoneas; & inter glandulas cutis, ad ſudorem excernendum comparatas, neceſsariò meatus inſenſibiles quoque ſunt, per quos effluvia ex ſanguine exeant; Per ipſas vaſorum tunicas perſpiratio etiam fit, adeò ſubtile eſt quod in tranſpirationem abit; Sed, ut falſitatem poſitionis tuæ per experimenta quoque percipias, obſervavimus non ſemèl in ijs, qui morboſo ſudore cronico laborant, perſpirationem imminui, & omnes, qui medicinam faciunt, in hac præſertìm Civitate (ubi endemius iſte morbus propemodum eſt) facilè id obſervare poſſunt; Qui enim huic morbo magis obnoxij ſunt, aut hypocondriaca affectione tentantur, aut hyſterica, ſi fœminæ ſint; Obſervamus autèm omnes præfato morbo obnoxios benè propemodum habere, minùſq; vexari alijs ſymptomatibus. dùm ſudant, itaùt viderim virginem, cui evacuationes menſtruæ longo tempore ſuppreſſæ erant, ſudorum huiuſmodi beneficio liberam perſtitiſſe à chloroſi, cum tamèn intereà tùm iſta, tùm alij omnes ſudoribus præfatis obnoxij, pondus quoddam corporis, & inertiam accuſent, quæ ſigna ſunt ſuppreſſæ perſpirationis, ut Clariſs. Sanctorius ſtaticis experimentis docet. *De ſolido intrà ſolidum.*

Quod ſi ergò tantas nugas, falſaque commenta peculiari ſtudio congeſſiſti, non mirum ſi perperam concludas venæ ſectionem non eſſe inſtrumentum ſeparatorium, fuliginum, ſed eductionem ſpirituum regentium ſanguinis, & fuliginum promiſcuam.

Sanguinis miſſio velocitatem, ac libertatem motus per directiones vaſorum adauget, ut evidentiſſimè oſtendit Clariſs. Laurentius Bellini; ex hac autem libertate, atque velocitate circularis motus, & ex imminuta reſiſtentia pro ratione ſanguinis educti, neceſſariò promovetur tranſpiratio, ut re ipſa manifeſtum eſt, tùm quià viæ omnes magìs expeditæ, magìſq; patentes fiunt, tùm quià motus celerior ſanguinis maiore impetu, quod per poros eliciendum eſt, neceſſariò protrudit. Quod verò, inquis, venæ ſectionem eſſe eductionem ſpirituum regentium ſanguinis, iàm ſuperiùs puerilem eſſe formidinem oſtendimus.

Alia quæ ad prohibitam tranſpirationem curandam proponis remedia, non improbamus quidem, ſed longè minùs efficacia ſunt, quàm ſanguinis miſſio, ideòque hanc falsò reijcis ab iſto

reme-

remedij genere, vano illo timore, ſuperiùs à nobis excuſſo, perterritus, quo pronuncias *ſolum vires ægrotantium prædari*.

Sed & falsò negas prohibitam tranſpirationem interdùm à ſanguinis copia opprimente proficiſci, cumque hanc ſanguinis copiam opprimentem vires te demonſtraturum pollicearis falſam eſſe, nos inferiùs tuas, quas promittis, demonſtrationes audiemus, & ſi fortaſſe non adeò dociles erimus, ut demonſtrationibus tuis aſſensum noſtrum præbere poſſimus, rationes ſaltèm, quæ in contrarium occurrent, adducemus.

PUNCTUM QUINTUM.

ALia ſubeſt pro miſſione ſanguinis ratio, quià ſcilicèt, ut refers, plenitudinem particularem demolitur, huic verò propoſitioni tua modo contradictio in promptu non eſt; Inquis enim, *Quid ego ſentiam referre adnitar*, dùm de derivatione verba faciam. Nos igitur, quidquid ſenties, tùnc liberè, more noſtro, expendemus. Intereà palàm eſt ex ſanguinis miſſione vaſa neceſſariò exinaniri ea proportione, qua ſanguis mittitur, ideòque manifeſtum eſt minui reſiſtentiam, quæ obſtabat quo minùs vaſa, quantum opus erat, contraherentur, urgerentque prorsùm, quod alicubi hærebat, ac plenitudinem particularem conſtituebat; Hinc vides neceſſariò inferri: quod educto ſanguine facilior ſequatur vaſorum contractio, ac, per conſequens, ſtagnantis alicubi ſanguinis pulſio per directiones canalium, qua plenitudo illius partis neceſſariò ceſſet.

PUNCTUM SEXTUM.

SAnguinis miſſio motum ſanguinis irregularem corrigit; Tu verò hanc propoſitionem impugnans, duplicem ſanguinis motum adnotas; Vnum alterationis, ideſt fermentationis, alterum progreſſivum, atque primum quidem bifariam dividis, quatenùs nimirum, ut inquis, *vel ſanguis plus æquo gliſcit in ſua fermentatione, vel minùs fermenteſcit*; Tùm ſtatìm ſubdis, *vtrumque vitium nequit corrigere venæ ſectio, ut liquet &c.*, quamuìs autèm nihil omninò attuleris, quod comprobare poſſit propoſitionem tuam, ut legenti patet, nihilominùs verba tua utcumque allata expendenda ſunt.

Et primò ſupponamus ſanguinem plus æquo fermenteſcere propria, ut inquis, affectione, ideſt, *propter particulas ſanguinis elementares exaltatas*; in hoc caſu ſcire te, inquis, curationem

tionem eſſe dirigendam per præſidia glutinoſa; ideſt ramoſa, aggregantia illas particulas diſſociatas. Quæ verò ſunt iſta præſidia, vel quid virium habent ad ſanguinem mixtioni ſuæ naturali reddendum, quando motus ipſius, plus æquo fermenteſcentis in febre acuta, non dat inducias? Hoc profectò, ad conciliandam fidem profeſſioni tuæ, ignaro vulgo venditare potes, nos verò, qui longo tempore præſidia huiuſmodi, quę appellas *glutinoſa, & ramoſa aggregantia particulas diſſociatas*, experti ſumus, ingenuè fatemur ne dùm comparari non poſſe cum ſanguinis miſſione, ſed irrita plerumque eſſe in febribus præſertim acutis, ubi non tantas morbus præbet inducias, ut, quod optamus, efficere valeant in ſanguine. Contrà verò ſanguinis miſſio efficacitèr ſanguinis craſim reſtituit, *partim evacuando, partim miſcendo, & reddendo inconſpicuum*, id, quod motus turbulentos in ſanguine valet excitare; Oſtendimus enim ſuperiùs miſſione ſanguinis perſpirationem promoveri, qua particulæ illæ, quas exaltatas appellas, é corpore eliminentur. Oſtendimus etiam miſſione ſanguinis motum ejuſdem per directiones canalium augeri, quo ſanguinis naturalem craſim reſtitui notiſſimum eſt.

Secundò ponamus, ut inquis, ſanguinem plus æquo fermenteſcere proptèr aliquod extraneum fermentum, ſuppeditatum ab aliquo fomite particulari, *ad quem fomitem, ut ſubdis*, pertinet partium inflammatio; certum eſt fermenta hujuſmodi (ſi quidèm non extrinſecùs adveniant, ſed in corpore generentur) e ſanguinis penu proficiſci; Omnis enim ſeparatio cuiuslibet laticis, à ſanguine tandem per glandulas fit. Quod ſi ergò iugis, & perennis generatio, ſivè ſeparatio extranei iſtius fermenti ex ſanguine vitiato fit, miſſio autem ſanguinis vitio ejuſdem promptiſſimè, atque efficacitèr occurrit, ob rationes ſuperiùs allatas; & materiam, quæ in fermenta hujuſmodi abitura erat, partim per diapneuſtiam promotam, partim per alias evacuationes eliminare valet, manifeſtum eſt, etiam in hiſce caſibus, ſanguinis miſſionem opportunum eſſe remedium. Nec dicas dari *apud chimiatros medicamenta, quæ maſſam ſanguineam corrigant, ipſumq; priſtinæ texturæ reſtituant*, nam, ut diximus, ubi morbus non dat inducias, non tantam videmus ab hujuſmodi remedijs efficaciam, quæ morbo ſuperando par eſſe poſſit.

Sed adhùc comprobare niteris venæ ſectionem corrigere non poſſe *motum ſanguinis progreſſivum, ſeù circularem, cum hic dependeat à ſua naturali craſi, quæ, ſi vitiatur, emendatur*

tùm per præſidia dulcificantia, ut ſunt obtundentia, vel refermentantia, tùm per medicamina depurantia tollendo à ſanguine vitium; venæ autèm ſectio [ſubdis.] non curat, ſed vitium & vitiatum, ideſt utile, & inutile è corpore educit; quod eſt contrà naturæ leges, quæ morbos curat, ut dicet Galenus, ſegregando inutile, ab utili. Rem inſuper Illuſtras uberiori paraphraſi inquiens. *Natura primò concoquit ſecundò ſegregat, tertiò expellit. Per venæ ſectionem promiſcuè evacuantur humores, tùm utiles, tùm inutiles. Criſes, quæ fiunt cruda exiſtente materia, non ſunt ſalutares, ſed noxiæ, quià non eſt ſecretum utile, ab inutili. Hemorragia eſt criſeos ſpecies, quæ fieri debet cocta materia. In principijs morborum eſt ſymptomatica; quià materia cruda, ideſt non ſegregata ab utili: igitur venæ ſectio quæ promiſcuè humores evacuat, non eſt celebranda, quia ſymptomatica, ſeù noxia eſt. Neque cocta exiſtente materia iuvat venæ ſectio, quia neſcit Medicus venam, ad quam natura depoſuit fermentum febrile ſecretum à reliquo ſanguine, ut, cum ſanguine polluto in prædicta vena exiſtente per phlebotomiam eijciatur. Facilè erit fermentum febrile cum ſanguine, vel per arterias, vel per nervos, in conglomeratas glandulas deponi, ibique ſegregari, & foras è corpore detrudi.*

Verùm, pace tua dixerim, tua hæc ingenioſa locutio nihil penitùs roboris habet, imò ex ſuperiùs dictis fallax eſſe deprehenditur, inefficacia enim ſunt, ubi morbus non dat inducias, tua iſta præſidia dulcificantia, obtundentia &c. ut nuper diximus; venæ autèm ſectio, portionem ſanguinis evacuans, aucta diapneuſtia, per ipſam expellit quod totum ipſum inficiebat, tùm aucta celeritate motus per directiones canalium, ſegregationes per glandulas promovet, ut iam inculcavimus. & per conſequens naturæ concoquenti, ſegreganti, atque expellenti (ut idem ipſe Galenus docet) opitulatur; Neque timenda eſt evacutio, puta unius libræ ſanguinis, eo quod promiſcuè, ut inquis, exeat vtile, cum inutili, multò enim major utilitas eſt, quam exindè haberi iam oſtendimus, & nihil damni umquam emergit, ut ſuperiùs evicimus, evacuatione illa, tàm exiguam proportionem habente ad ſanguinis copiam, quæ in vaſis remanet, vitæ uſibus, & functionibus omnibus nedùm ſufficiens, ſed ſuperabundans; quæque perpetim per alimenta generatur.

Neque in principijs morborum omittenda eſt venæ ſectio, tametſi nondùm criſis tùm expectanda ſit; Ex dictis enim patet ad futuram criſim liquida noſtri corporis diſponi, imò num-

quam

quam procraſtinanda eſt venæ ſectio vſque ad materiæ coctionem, ſed ex præſcripto magni Hippocratis in principijs morborum eſt celebranda.

Tandèm, ubi minùs æquo ſanguis fermenteſcit, venæ ſectione torpidam ejuſdem craſim non perfici aſſeris, ſed in hiſce caſibus *antacida*, vt inquis, tùm fixa, tùm volatilia laudas, & parari *talia iuvamina arte Chimica*, inquis, *quæ in minima mole hoc præſtent*, nos verò tametſi in hiſce caſibus, ubi re vera morbus dat inducias, remedia huiuſmodi Chimica non improbemus, imò nec ſemper venæ ſectionem, ubi ſanguis minùs æquo incaleſcit, laudemus, efficacitèr tamèn quandoque opitulari venæ ſectionem, juxtà Galeni monita, experti ſumus, quamvis torpidus ille ſit in ſua craſi, & [vt vocabulo tuo vtar] minùs fermenteſcat, idque ſemper experti ſumus fælicitèr, quotieſcumque torpida ſanguinis craſis à ſuppreſſa evacuatione menſtrua in Virginibus, vel hemoroidali in viris ortum duxit. Ratio autèm in promptu eſt, quià libertatem circularis motus venæ ſectio pręſtat imminuta reſiſtentia, ut identidem inculcauimus, Motu autèm liberiore ſanguinis craſim torpidam corrigi neceſsè eſt, atque particulas activas, quæ obrutę deliteſcebant, excitari. Pag. 119.

Sed inquis: *Venæ ſectio ex Galeno ſanguinem refrigerat, illumque torpidum reddit. Primò quia ſpiritus vitales, caloris cauſa, e corpore removentur. Secundò quia minuitur agentis calidi, ideſt ſanguinis moles, quam comitatur minor calefaciendi energia.*

Profectò Galeni doctrinam immeritò traducis, neque neceſſitates motuum, à venę ſectione pendentes, altè conſideras. Refrigerat ſanguinis miſſio, ut ſuperiùs diximus, non quia ſpiritus vitales, ut præter rem times, è corpore removeantur, ſed quatenùs, aucto motu per directiones vaſorum, perſpirationem adauget, qua efluvia calida, è corpore eliminantur, undè priùs ſanguis plùs æquo incaleſcebat. Refrigerat etiam, quia minuitur ſanguinis moles, malè autèm exindè putas torpidum ſanguinem reddi per venæ ſectionem; Quomodò enim torpidus reddi poteſt ſanguis hoc eodem præſidio, quo in motum liberiorem agitur? Si medicinam feciſſes tot ſęculorum experimentis innixus magis, quam opinioni propriæ [crede mihi] didiciſſes, hoc idem auxilium, quo nimia ſanguinis incaleſcentia compeſcitur, motum irregularem, atque plùs æquo tardum mirificè reſtituere.

PUNCTUM SEPTIMUM.

VEnæ ſectione *interiora pleraque mitigantur*, *ac deferveſcunt*.

Tu verò paucis contrà morem tuum verbis hanc doctrinam traducis, potius quam impugnes. Inquis enim, *æquidem non ignoro in prope diem morituris, omnia interiora, & exteriora mitigari, ac deferveſcere, itemque frigida fieri*. Nos verò iure merito tua hæc verba ridemus, cum ſatis ſuperque ex dictis ſuperiùs conſtet, venæ ſectionem refrigerium inducere, abſque ullo periculo, & pudore dignam eſſe iſtam in vena ſecanda hyppocondriacam formidinem.

PUNCTUM OCTAUUM.

Cap. 21. de febr. HOC eodem remedio hemorragiæ ipſæ ſiſtuntur.

Contra hanc tot ſæculorum experientiam, peculiarem objicis caſum à Vvilliſio obſervatum, in quo vnica venæ ſectio non potuit hemorragiam ſiſtere, potuiſſet fortaſſe repetita, donec ſanguinis copiæ minuendæ, atque æſtui ejuſdem compe-
Pag. 192. ſcendo par fuiſſet remedium. Deinde complures obſervationes, tùm antiquorum, tùm etiam tuas in medium afferre te poſſe ſubdis, ad illuſtrandam *terrapeiam ſanguinem ſiſtendi cum ſucceſſu fæliciſſimo, abſque venæ ſectione*. Sed hæc tuas, & aliorum obſervationes omittens, contrà Vvilliſij doctrinam verba facere aggrederis.

Profectò inſtituti noſtri ratio non patitur, omnia dicta, aut Vvilliſij, aut aliorum minutim advertere, nec opus eſt Clariſs. Viri doctrinam à multiloquio tuo defendere; fateor enim me nihil ex tanta huius tui paragraphi lectione percepiſſe, quæ tantillum Vvilliſij doctrinam offendat, quamuis te ſæpiùs Vvilliſij libros percurriſſe aſſeras, & valdè parum inveniſſe, quod menti tuæ veritatis avidæ ſatisfacere poſſet.

Hemorragiæ, atque hemopthiſeos præſertim duas Vvilliſius aſſignat cauſas videlicèt, aut ipſius ſanguinis diſcraſiam, aut malam vaſorum conformationem; Ad primam refert ſanguinem plùs iuxtò tenuem, ſimulq; acrem, qui arteriolarum oſcula reſerat, aut exedit, tùm etiam craſſiorem ſanguinem coagulationi obnoxium, qui, cum à venis ſatis promptè excipi nequeat, extravaſatur; Ad ſecundam refert gracilitatem vaſorum, vel nimis laxam, & humidam eorum indolem.

Tu verò utraſque cauſas venæ ſectionem excludere dicis,

ſed

ſed nullatenus probas. Inquis enim, *ſanguinis vitium eſt, ſi acidus ſalſus, fluidus, tenuis, & ſeroſus pluſquam decet, evaſerit. Quandòque glutinoſior, & craſſior à venis, ut par eſt, excipi nequit in reditu ad hepar, & cor.* Tùm ſubdis, ſanguinis acrimoniam corrigi, vel obtundentibus, vel refermentantibus, fluiditatem incraſſantibus curari, glutem, attenuantibus, & incidentibus, cumque ſanguinem è vaſis proſilire dicas, (vt communis fert ſententia) anaſtomoſi, diapedeſi, diæreſi, rixi, & diabroſi [quamuis anaſtomoſim cum Doctiſs. Laurentio Bellino negem, utpotè quia continuæ inter ſe ſunt venæ, & arteriæ] diapidiſim, ſeù tranſudationem curari ſubdis per aſtringentia, & corrigentia nimiam ſanguinis ſeroſitatem, vaſorumque diviſionem, ſciſſionem, & eroſionem indicare conſolidantia. Poſtmodùm ſtatìm, neſcio quà confidentia, ità concludis. *Ex his comperiat quiſquis, neque ſanguinis diſcraſiam, ſeù vitium, neque vaſorum malam conformationem per phlebotomiam curari.* Pag. 193. Pag. 195

Anaſtomoſeos deindè triplicem cauſam aſſignas, venarum laxitatem, ſanguinis *trombum*, ut inquis, ſeù concretionem, & ſpaſmodicam affectionem, quibus impediri aſſeris, quo minùs ſanguis ab arteriis in venas liberè traiiciatur, atque ſpretis Vvilliſii, omniumque medentium rationibus, medelam hemopthiſeos eò collimare inquis, primò *ut venarum laxitas per aſtringentia tollatur, ſecundò, ut ſanguis à trombo per antacida vindicetur; Tertiò, ut ſpaſmodica affectio per ſua ſpecifica ritè curetur.*

Quomodò autem probare umquam poteris *venæ ſectionem numquam in hemorragiis valere*, ut confidenter inquis? Nonnè ſanguinis copia venæ ſectione minuitur? Nonnè, imminuta copia, vaſa, quæ priùs diſtenta fuerant a rareſcente, vel etiam a ſubſiſtente concreto ſanguine, majorem ſeſe contrahendi vim aquirunt? Nonnè vaſa, dùm validius contrahuntur, ſanguinem, cæteroquin tranſverſo motu erupturum è vaſis, per directiones canalium in motum ſuum naturalem validiùs promovent? Nullam profectò video, inter tot verba, quæ contra Vvilliſium habes, ratiunculam, quæ hiſce neceſſitatibus, a ſanguinis miſſione pendentibus, ullatenus refragetur: Quod verò venæ ſectio præterea ſanguinis extum compeſcat, undè etiam Hemopthiſis, & hemorragiæ pendent, jam ſuperiùs oſtendimus; quodque inſuper hæc omnia beneficia conveniant ubi vaſorum laxitas, aut gracilitas adeſt, ac præſto ſint, ne faciliùs erumpat ſanguis, [non ſpretis aliis auxiliis, quæ vaſa

firmare

firmare poſſunt], ſatis ſuperquè ex dictis conſtat. Tù autèm contentiosè nimis Vvilliſii verba diudicas; frictiones in hiſce caſibus, & ligaturas præſertim reprobare aggrederis fuſa nimis oratione, cum verò de hiſce inſtituti ratio, & b.evitas agere non patiatur, & jam celeberrimus Laurentius Bellini, ſolida quidem doctrina, & altiſſimis rationibus, earum uſum comprobarit, piget verba tua, ut ut ingenioſa, in hiſce caſibus audire.

PUNCTUM NONUM.

Pag. 199. PHlebotomia putridi, & pravi minuuntur humores, ut reſiduum cedat faciliùs medicamini. Huic veterum doctrinæ tu more tuo contradicis, ne quidquam tamen ſolidi affers in longa contradictione tua. Unica ratiuncula, quam affers, eſt ea, quam in prima reſponſione refers ex eruditiſſimo Portio, quia ſcilicet, per detractionem ſanguinis, auſertur plus boni, quam vitioſi; Hanc verò rationem laudatus Portius non attuliſſet, ſi neceſſitates omnes à venæ ſectione pendentes penitiùs advertiſſet, eædemque ſi tibi notæ fuiſſent, illius doctrinam non tranſcripſiſſes. Non enim ſanguinem mittimus in hunc tantummodò finem, ut evacuemus, ſed ut, imminuta reſiſtentia, faciliùs per canales ſuos moveatur tota maſſa, debitamque fluxilitatem adipiſcatur, atque exindè ſecretiones recrementorum ſanguinis, faciliùs in hiſce, vel illis glandulis fiant. Quinimò in hunc etiam finem mittimus ſanguinem, ut, nedum evacuetur quod vitioſum eſt una cum laudabili ſucco in peluim educto, ſed ut exindè faciliùs diapneuſtia promoveatur, per quam uberiùs materia morbifica extrà corpus perſpiret. Quod cum jam ſuperiùs a venæ ſectione præſtari oſtenderimus, nil eſt, quod hic addendum ſit, ſed hac ſola animadverſione corruit quidquid vanæ ſpeciei oſtentaverat allata ratiuncula.

Secunda reſponſio tua longa quidem eſt, & eruditis verbis affluens, nihil tamen ad propoſitum noſtrum facit. Vagaris enim, & omninò è puncto diſputationis digrederis, contendendo *putredinis introductionem in febribus falſiſſimam eſſe, nam intricatæ putredinis deffinitiones ſunt prognatæ*, ut inquis, *quarum nulla rem ſuperficie tenùs tangit*. Impugnas Ariſtotelis, & Galeni deffinitiones, non admodùm tamen altè rem attingis; Capivacei, Hoffmanni, Sennerti, aliorumque opiniones de putredine more tuo judicas, cum verò nec ex omnes

Pag. 199. (margin note beside "dendo")

nes opiniones, nec Recentiorum ſententiæ, quas affers in cauſis febrium aſſignandis, quicquam omninò immutent præfatam Theſim, non eſt cur in illis immoremur. Sit quæcumque tibi placet cauſa febris ex vitio ſanguinis oriunda, ex iis quæ attuliſti, ſemper verum eſt dicere, quòd, educto ſanguine, faciliùs è corpore eliminetur vitioſus latex ob præfatas neceſſitates, vel ſcilicet per Diapneuſtiam, vel per faciliorem, ſecta vena, ſequuturam morboſi liquidi per glandulas ſecretionem.

Pro coronide; nullus erat locus commiſerationi tuæ, quam hiſce verbis exprimis. *Hinc vides*, inquiens, *quam miſerè hallucinetur Medicorum vulgus venæ ſectionem pro minorandis putridis humoribus commendans, qui febrium putridarum cauſa ab ijs exiſtimantur; ignoſcendi tamen, cum febris cauſam ignorent.* Nullus inquam locus erat iſti commiſerationi tuæ, nihil enim attuliſti, quod mundi ignorantiam tollat, totque effuſa tenebris illuſtret, ingenia, quæ in Europæ academijs morborum cauſas inquirunt; Fruſtrà ignoſcis illis, cum nil aliud præſtes, quam duplicatum laborem legendi inter verba tua, quæ ab alijs jam ſcripta fuerunt.

PUNCTUM DECIMUM.

EXcretiones antequam ſub cutim erumpant, non reſpuunt venæ aperturam, nulla enim à circumferentia ad centrum reductio ſanguinis eſt, ſicut nec ad circumferentim à centro.

Contra verò aſſeris reſpuere venæ aperturam: audiamus igitur rationes tuas, ac tecum in primis ſupponamus non dari peculiarem quandam virtutem expultricem, *quæ excrementa, ſcabiem, & efloreſcentias ad cutim eliminet, ſed*, ut mavis, ſanguinis fermentationem (inutiles controverſias evitaturis) liceat nunc admittere, *ob quam particulæ heterogeneæ, ipſique naturæ adverſantes à maſſa ſanguinea ſegregantur, undè in ſanguinis circulo tranſeuntis per glandulas innumeras ſubcutaneas, à fermenteſcente ſanguine exutæ per vaſa eorundem excretoria, ſeù per tubulos cutis, foras erumpunt, &, ſuperficiei epidermidis adhærentes, concreſcunt.* His poſitis, quid infers? Terapeiæ methodum hoc ritu inſtituis. *Indicationes*, inquis, *genuinæ in eo verſari debent, ut ſanguinis fermentatio intrà modum naturæ congruentem manuteneatur, ea nimirum ratione, ut neque bino plùs æquo fermenteſcat, & particulæ volatiles agglomeratæ ſiant fortiores, & ſe à particulis craſſioribus diſſocient, undè ſanguis* Pag. 208

prædi-

prædictis ſpiritibus effætus putreſcat, neque illinc nimis torpeat, ut materiæ etherogeneæ, & naturæ repugnantis protruſio impediatur, vel ſanguinis conatus adeò labefactetur, ut novum ſtatum aquirere nequeat, veteres nimirum particulas exaltando, & novas ſubigendo, undè ſanguinis particulæ in ordinem alium tranſpoſitæ novam præbeant ſpeciem. Tùm ſubdis. *Fermentatio efferа pacatur, ſuffocatis viribus fermentationem efficientibus, quæ in dilutione particularum energeticarum conſiſtit; Vt, quæ agglomeratæ ſeù unitæ efficaciores erant, in amplum diffuſæ remittantur, & temperentur. Temperari res dicitur, ut docet Gaſſendus, non quod aliquid ipſius depereat, ſed quod eius vigor, qui in unione particularum confertiſſimarum conſiſtit, ità dividatur, atque diſpergatur ob particulas ſui ſegregatas, interceptaſque contrarias, ut diſgregatus vehemens ſentiri perindè, ac unitus non poſſit, exindeque eſt, vt, ſi diſperſæ particulæ recolligi, ac iterum coadunari valeant, idem vigor ſentiri non poſſit. Pacatur ſecundò effera fermentatio, ligando particulas fugitivas, illas obtundendo, vel acidis præcipitando particulas ſulphureas, vel lixiviales volatiles in motum ſatis celerem concitatas*. Statìm tandèm poſt hæc copioſa verba concludis: *Quorsùm venæ ſectio?*

Ego verò miror te non advertiſſe ex inſtituta tua methodo magis prodeſſe in hiſce caſibus miſſionem ſanguinis, quàm tua illa imaginata remedia, ad ſanguinis fermentationem efferam compeſcendam. Miror, inquam, te non advertiſſe miſſione ſanguinis immanem ejuſdem æſtum deferveſcere, ac proindè hoc remedio pacari magis, & promptiùs efferam fermentationem, quam *dilutione* particularum *energeticarum*, aut ſomniato illo tuo vinculo particularum fugitivarum, aut etiam acidis præcipitantibus, quæ omnia ſenſati viri ſatìs norunt parum virtutis habere, nec re vera, ut imaginaris, ſcopum artificis promptè attingere. Benè inquiunt Galeniſtæ venæ ſectionem refrigerare ſanguinis æſtum, & ut falsò ſuperiùs te impugnaſſe confidis hanc doctrinam, ità ex ijs, quæ contra te ibidem oppoſuimus, manifeſtum eſt te nihil aliud in confutanda venæ ſectione, quam inutilia verba feciſſe; Qua de cauſa viſum eſt tua omninò præfata verba tranſcribere, ut æquus Lector iudicet quid roboris habeant.

Neque, ex eo, quod Vvilliſius afferat, ex parca ſanguinis extractione ſanguinem efferveſcere, ſeù ſtatìm à phlebotomia homines incaleſcere, inferre licet Galenum, & Vvilliſium pugnantia ad invicem comminiſci; poteſt enim homo ſtatìm à phlebo-

phlebotomia parca manu inſtituta incaleſcere, atque poſteà extus ſanguinis refrigerari, multòque magìs, ſi tantum ſanguinis evacuetur, quantum opus eſt.

Tandèm duas refers hyſtorias, quas Portius fol. mihi 316. adnotat; duorum ſcilicet ægrotantium Vvilliſij, quibus, detracto ſanguine, Variolæ eruperunt, [quamvis uni non niſi vigeſima die] veruntamèn convaluerunt illi, & ſi gravia priùs perpeſſi ſymptomata; Neſcio verò quid, ex hiſce hiſtorijs, inferre contra ſanguinis miſſionem poſſis; & ſi enim eorum alteri tardè variolæ eruperint, quotidiana experientia docet in omnibus, quibus ſanguis mittitur, citò erumpere variolas, & fæliciſſimè ſanari; Alia igitur de cauſa in peculiari caſu allato tardè variolas erupiſſe, ſanæ mentis quilibet facilè iudicabit, atque alia de cauſa ſymptomatum ſævitiem proceſſiſſe.

PUNCTUM XI.

Revelluntur miſſione ſanguinis, ſeù avertuntur influentium humorum incurſus ad partem. Pag. 209 & 210.

Revulſionem impoſturam appellas, idque te palam facturum dicis, eo quod *revulſio ſanguinis, & ejuſdem circulatio* ſimul intelligi non poſſint. Atque hæc unica ratio eſt, cui inniteris, nam multa alia Helmontij, quæ refers, in hoc idem argumentum coincidunt, quamvis ille circuitum ſanguinis non agnoverit. Inquit enim (& in hoc tota illius ratio conſiſtit) *licet vena cubiti tota poſſet evacuari, tamen mox iterùm totus cruor æquaretur per totum venarum contextum.*

Non adeò tamèn acritèr Galenus inculandus eſt, neq; eius doctrina præcipitantèr adeò explodenda, ut more tuo facis; quamvis enim ille circuitum ſanguinis non agnoverit, atque iuxta ſuam hypotheſim ſit loquutus, iure merito tamèn laudandus eſt potiùs, cum ea protulerit, quæ novæ hypotheſi optimè congruant. Quamobrem rectè Higmorus à te etiam citatus animadvertit revulſionem, quæ venæ ſectione fit, motum ſanguinis circularem nullo modo violare. *In vene ſectione* (ait Vir Clar.) *quantò maior ſanguinis quantitas à vena inciſa fluit, tantò celeriùs, maiorique copia per arteriam, cui per anaſtomoſim vena coniungitur, à corde ad inflictum vulnus excurrit, quià illic patentiorem viam & vaſa magìs inanita invenit; undè ſine ſanguinis præcedentis renixu illùc celerrimè protruditur; Cùm autèm alicui parti plùs iuxta, quam ſoleret, recurrat, ſanguinis minor copia in corde, & aorta relinquitur, minuſque ſanguinis*

cæteris partibus diſtribuitur; ſecundum enim quantitatem ſingulis diſpenſatur, ex magna multum, ex parua minùs conceditur. Derivationem etiam idem auctor, ſalva circulatione, optimè explicat, inquiens: *Præmiſſa revulſione, fonte, ac arterijs inanitis, opportunè conſequitur derivatio, quæ aperta vena in eodem latere, arterias parti affectæ vicinas promptè lacunat; atque ſic ſanguinem per arteriam axillarem derivat, qui in arterias intercoſtales ejuſdem lateris concitatiùs propellendus fuerat.*

Tu in opinione, quam præmaturè iniſti, perſiſtens, primò, inquis, non diſtingui ab Auctore præfato revulſionem à derivatione, quia diſtantia maior, & minor rei ſpecificam, ut ais, differentiam, non infert. Sed quorſum hæc? ſatis eſt illud inter derivationem, & revulſionem diſcrimen, quod in maiori, vel minori diſtantia conſiſtat.

Secundò, inquis, ex hoc placito deduci poſſe, derivationem eſſe meliùs ſubſidium revulſione; infælicitèr tamèn hallucinaris, eo quod ſalubrem Græcorum, & Galeni præſertim methodum ſpernas. Ponamus enim diſtentam eſſe, vel inflammatam à rareſcente, vel à ſubſiſtente ſanguine particulam aliquam, cuius vaſa diſtenta ſanguinem excipiant à trunco aortæ aſcendentis, quis non videt meliùs eſſe, iuxta veterum præſcriptam methodum, ſanguinis miſſionem inchoare ab aliqua vena, cuius contigua arteria ſanguinem hauriat à trunco aortę deſcendentis? Nàm, ſi tempore, quo mittitur ſanguis, fluens ille per emiſſarium in aera, parùm, vel nihil repugnantem, minùs reſiſtit ſuccedenti ſanguini, quàm ſi mitteretur in ſanguinem præcedentem, nondum facto emiſſario, ut luculentèr oſtendit Clariſs. Laurentius Bellini, manifeſtum eſt, velociùs motum iri emiſſarium versùs, ſanguinem nedùm per ſummas arterias ſectæ illi venæ continuas, ſed per earundem ramos maiuſculos, maiores, ac demum truncum deſcendentem ad uſque cor. Cumque ſingulis contractionibus cordis, eo tempore, quo ſanguis non mittitur, æqualis portio ad utrumque truncum protrudatur, propter æqualem velocitatem ſanguinis, manifeſtum eſt etiam, ſecta vena illa, ob maiorem velocitatem ſanguinis per truncum deſcendentem fluentis, maiorem quantitatem, dato tempore, protrudendam fore ad eundem truncum deſcendentem; manifeſtum eſt igitur, eo dato tempore, vaſa illa diſtenta inflammatæ particulæ, ob imminutam reſiſtentiam ex detracta illa quantitate, faciliùs contrahenda fore, ſanguinem validiùs per circuitus ſemitas protruſura; Quod profectò non tàm facilè contingeret, ſi, contrà præfatam

tam veterum methodum, venæ ſectio à parte proximiore fieret, ut ex dictis manifeſtiſſimum eſt; lege attentè, quę Doctiſſimus Vir nuper citatus, rem in ſuis neceſſitatibus altiſſimè penetrans, de revulſione, ac derivatione protulit, & erroneam opinionem tuam (niſi obſtet pertinacia) profectò mutabis.

Tandèm ſeverè Higmorum iudicas, & ſubitò, more tuo, pronuncias *in hoc egregiè falli, quia iudicat inflammationes ab influxu ſolito copioſiore produci, & ubi ſecundum hoc præiudicium putavit revulſionem ſuam ideò iuvare, quod influxum iſtum prohiberet, tùnc planè erraſſe; Nàm obſtructiones* [*inquis*] *in cauſa ſunt, ut homores coacerventur, in tumorem eleventur, aceſcant, & inflammationem pariant. Quarè* [*ſubdis*] *illa medicamenta proſunt, quæ obſtructiones tollant, & acidum recconcentrent.* Adducis inſuper, in confirmationem tuæ ſententiæ, Diemerbroeckij conſimilem opinionem, & plethoram vitioſam negas, qua de re inferiùs diſeremus. Pag. 211.

Intereà, ut videas quam iniquè laudatum virum iudices, libet admittere obſtructiones in cauſa eſſe, ut humores coacerventur, in tumorem eleventur, aceſcant, & inflammationem pariant, [tametſi non hanc ſolùm cauſam inflammationum ponamus] quid indè inferre vales? Nonnè miſſio ſanguinis, imminuta reſiſtentia, velocitatē circularis motus adauget? Nonnè velocior motus ſanguinis validiùs abripere poteſt, & in motum urgere, quod in anguſtijs vaſorum hæret, obſtructiones faciens: Profectò ſi leges motus attentè conſideres, hoc facilè percipies; Quod ſi venæ ſectione in motum rapitur efficaciſſimè, id quod obſtructionem facit, ubi ſunt iſta tua decantata remedia, quæ huic magno præſidio comparari poſſint, quæ nimirum, ut inquis, obſtructionem tollant, tàm citò, tutò, atque efficacitèr, ut præceps poſcit occaſio? lege iterum attentè, quæ hac de re ſcripſit Doctiſsimus Bellini nuper citatus.

PUNCTUM XII.

F*Luxi humores derivantur, ſeù evacuantur per vias, ad quas inclinant; ſic in inflammatione emitti ſanguinem clamant.* Pag. 212.

In primis tu contra hanc veterum doctrinam reclamas, eo quod *ſupponunt Galeniſtæ tumorem fieri per fluxum, nec vident*, inquis, *fluxum eſſe naturalem, cum ſanguis fluat per arterias, refluat per venas. Omnis tumor* [ſubdis] *fit per congeſtionem; hoc eſt quando ſanguis, ac humorum fluxus aliqua ex parte impe-*

 ditur

ditur propter obſtructionem, ob quam maſſa ſanguinea alicubi congeratur. Igitur (conc ud.s) *humorum fluxus eſt effectus tumoris qui pro cauſa agnoſcit obſtructionem, quæ fundentibus, & non evacuantibus liquidum, ut eſt venæ ſectio, tollitur.*

Quoniam verò etiam tibi data, & non conceſſa hac ſola cauſa inflammationum, paulò ſuperiùs jam palam fecimus miſſione ſanguinis, hærentem in anguſtijs vaſorum materiam obſtructiones facientem, in motum urgeri, nihil planè concludit, ut vides, hæc tua ratiuncula.

Subdis, *humores fluxos, ſeù ſtagnantes incapaces eſſe evacuationis*, & cum Luca Portio putas, *ſanguinem ſtagnantem venæ ſectione in vaſa non reaſſumi.*

Profectò, ſi ſanguis extrà vaſa ſtagnare ſupponatur, verum eſt venæ ſectione in vaſa rursùs non reaſſumi; at verò ſi in anguſtijs vaſorum minimorum hæret, ipſaque vaſa congeſtione diſtendit, ex ſuperiùs dictis maniſeſtiſsimè conſtat venæ ſectione in motum circularem humores illos abripi poſſe, quod ſatis eſt, ut corruat omninò falſa, & erronea tua contra miſſionem ſanguinis opinio; Plerumque autem in inflammationibus tumores fiunt per ſolam vaſorum diſtenſionem, abſque eo quod extrà vaſa exeat ſanguis, niſi quando tumor diſrumpitur; Et quotidiana experientia docet miſſione ſanguinis reſolvi tumores, & prohiberi, ne in ſuppurationem, aut diſruptionem tendant.

PUNCTUM XIII.

S*Vppreſſa menſtrua, & lochia iuvat.*

Hanc ſententiam impugnare multo apparatu aggrederis, ſed fruſtrà [me Iudice] divagaris ad veterum, & recentiorum placita exponenda de cauſa menſtruæ purgationis. Non enim
Pag. 218. hoc argumentum brevi digreſſiuncula tractari poteſt, à te præſertìm, qui tuum eſſe, inquis, inſtitutum ſolum exponere diſquiſitionem de venæ ſectione, *utrum ſcilicet menſtrua iuvet ſupreſſa.* Supponis, unicam rationem eorum, qui ſanguinem mittunt in ſuppreſſione menſtruæ purgationis, exindè peti, quia venæ ſectio eſt vicaria menſtruæ purgationis. Deindè contra uſum mittendi ſanguinis pro curatione prefatę ſuppreſſionis ratiunculas tuas exponere adniteris.

Quoniam verò in quacumque hypotheſi, non propter allatam rationem tantùm, ſed propter alias, convenire ſanguinis miſſionem pro menſtrua ſuppreſſione, morbiſque ab ea

pendentibus curandis, manifeſtum eſt ex ſuperiùs dictis; ideò fruſtrà fatigaris, dùm contra præfatam rationem tantummodò differis.

Sed (ut alias omittamus rationes) placet hic illum mittendi ſanguinis ſcopum à te relatum, & reiectum propugnare, ſcilicet mittendum eſſe ſanguinem, quià venæ ſectio eſt vicaria menſtruæ purgationis, quod equidem nos commodè præſtituros confidimus ſolo tuarum oppoſitionum examine.

Duo præiudicia tollere fas eſſe exiſtimas [ut inquis] primum eſt, quòd pertinacitèr plerique, è vulgo credunt menſtruam purgationem pro causâ materiali ſanguinem bonum agnoſcere; ſecundum eſt, quòd plerique ex veteribus, & recentioribus ſibi perſuaſerint, interdùm venæ ſectionem ſuppreſſis menſtruis opitulari. Sed inter tot verba tua nihil planè invenio quod rem à te propoſitam conficiat. *Pag. 213.*

Quoad primum, evertere pergis ſententiam ſè è omnium veterum, & recentiorum quorundam, qui cenſent *menſtruam fæminarum purgationem* agnoſcere pro materia ſua ſanguinem non excrementitium, aut noxium, ſed utilem, quamvis ſuperfluum in fæminis, *ad generationem promovendam, fætumque alendum, & præclaras de le Boè Sylvij rationes refers, quarum aliquas tantummodò hic placet brevitatis gratia adnotare. Cum ergò* (inquit Clariſs. Vir) *& ſanguis obſervetur effluere mulieribus ad generationem aptis, & ſanis, nec gravidis, nec lactantibus, & quidem ſingulis menſibus; Cum ad ipſarum uterum prægnantem obſervetur ſanguis fluere copioſiùs, quam tempore alio; cum poſt partum obſervetur effluere multus lochiorum nomine notus; cum in viva brutorum, aut fæminarum in partu defunctarum ſectione, nil præter ſanguinem copioſum obſervetur ad uterum, placentam, fætumque ferri; Meritò puto me concludere ſanguinem maternum, menſtruatim efluere, ac minui ſolitum, pro fætus pabulo, ac nutrimento habendum.* Videamus modo quid tibi occurrat in contrarium. *Pag. 214.* *Praxeos Medicæ l. 3. cap. 3. de menſtru purgat.*

Vnde [inquis] *contingit, ut à menſtrua purgatione læſa tot ſymptomata maligna proficiſcantur, motus viz. ſpamodici, lypotimiæ epilepſiæ, febres malignæ, aliaq; huius generis pathemata? ſi menſtruæ purgationis cauſa eſt ſanguis laudabilis, cur, læſa menſtrua purgatione, ſymptomata maligna prodeunt, communia etiam fætui, ut ſunt Variolæ, Morbilli, & aliæ cutis efloreſcentiæ, quæ pro cauſa agnoſcunt ſanguinem menſtruum, quo in utero alitus fuit?* Hæc ſunt omnia quæ habes ad tollendum, ut potuiſti, primum præiudicium; putaſnè rem confeciſſe?

Sed

Sed cur tuas haſce ratiunculas, tu ipſe infringis, allata reſponſione facili aliorum, quam ne impugnare quidem ampliùs audes? *Reſpondent* [inquis] *prædicta ſymptomata dependere non à ſanguine menſtruo, ſed ab eodem circa uterum ex parte ſtagnante, quapropter idem paulatìm ob moram acrior redditus ſuam acredinem reliquo ſanguini communicat*, ac nerveas fibrillas [inquam ego] iniquis ofc llationibus irritat, *undè ſymptomata nuper enarrata excitantur*. Hic liquet, quia non procedeuntibus menſibus per uterum, nihil tamèn detrimenti, quo ad ſymptomata notata patiuntur *fæminæ* [inquit Sylvius] *quoties ſanguis per nares, os, aliaſque vias excernitur, undè, licet via iſta non ſit naturalis, non coacervatur tamen, nec corrumpitur ſanguis, nec proindè memorata ſequuntur ſymptomata fæminis tàm moleſta, & gravia*. Cur ergò contra hanc reſponſionem nil aliud afferes? aut, ſi aliud non habes in contrarium, cur tàm facilè dixiſti te primum illud præiudicium ablaturum, *quo pertinacitèr plerique è vulgo* (elato nimis animo ſic loquutus es) *credunt menſtruam purgationem pro cauſa materiali ſanguinem bonum agnoſcere*?

Alias affers ſententias Clariſs. Charletonij, & Portij de cauſis menſtruæ purgationis, & alia inſuper hac de re afferre poſſemus, ſi noſtri inſtituti ratio id permitteret; omnes tamen quæcumque afferri poſſunt, opinionem præfatam de le Boè Sylvij, & veterum ſententiam, non lædunt; Et ſi fermentum aliquod in utero ponunt aliqui, vel tametſi Clariſs. Charletonius ſuccum nutritium à ſanguinis rivo diverſum ponat, quo etiam fætus alatur, cujuſque reliquiæ diutina mora ſtagnantes, poſtquam in dies congeſtæ fuerint in utero, extum pariant, menſtruas purgationes promoventem, adhùc tamen communis fert ſententia hunc ſuccum nutritium, non per nervos à Chilo immediatè diſtribui, ſed è penu ſanguinis ſuppeditari commiſſis placentæ glandulis, ut tu ipſe iuxta immortalis præceptoris mei Malpighij hypotheſim contra Charletonium ſentis. Quamobrem tibi quoque rata eſt præfata propoſitio: alendi ſcilicèt fætus materiam ex ſanguine depromi.

Pag. 222.

Sed, & Portij ſententia, quam refers, hanc etiam propoſitionem confirmat *Vult enìm* (ut inquis) *eruditiſs. Vir mulierem pati menſtruationem propter ea, quæ in ipſius utero præparantur, ac fiunt, ea enìm apta toro, ut plurimum quocumque anni tempore ſemper aliquid patitur ad ſpeciei propagationem, vel fætus nutricationem ordinatum, ac niſi lactet, vel utero gerat, ut plurimum continuò aliquid in eius utero præparatur, quod in*

Pag. 216.

fætus

fœtus uſum abiret ſi ipſa plena eſſet. Illud autem, & ſi ſæpiſſimè non ſit multa copia, replet tamen primùm partem nonnullarum viarum, acceditque ad illos poros, per quos tranſiret ad fœtus regiones, ſi fœmina utero gereret: ad placentam ſcilicet uterinam, & ad ſecundinas, quibus puer involvitur: ſed cum uterus ſit inanis, & vacuus, fruſtrà etiam hoc fit. Quo circà lapſu dierum, non ſolum quia hoc in maiori copia eſt coadunatum in illis meatulis, verùm etiam, quià mora vitium aliquod concipit, tandem mulierem moleſtat, & conniventes poros aperit, è quibus efluit. Enim verò id, quod in utero præparatur abiturum in fœtus uſum, ſi fæmina plena ſit, non aliundè, quam è ſanguinis penu derivari vir ægregius dicit; alioquin tu ejuſdem ſententiam reprobares, velut illam Charletonij; Jam igitur confirmat ille præfatam propoſitionem, qua ſcilicet dicebamus alendi fætus materiam ex ſanguine depromi, quæque fundamentum eſt ſententiæ veterum atq; Clariſs. de le B. è Sylvij ſuperiùs relatæ. Quamobrem ex his conſtat luculentèr menſtruam purgationem pro cauſa materiali ſanguinem bonum agnoſcere, quamvis aliqua ejuſdem portio, ob rationes præfatas retenta, vitium conceperit. Sed quid opus eſt hanc veritatem fuſiùs oſtendere, cùm & ſenſuum criterio pateat, imò nec tu ipſe parum conſtans infitieris; loquis enim: *Non inficior, iuxta hanc ſententiam, ſanguinem etiam quadantenùs ad conſtituendum catameniorum fluxum concurrere, colluviemque menſtruæ purgationis tempore excretam, ex plurimo ſanguine cum paucis ſucci nutritij reliquijs tubulorum commixto conflari.* Pag. 219. in fine. Ex quibus verbis mitiùs te nobiſcum agere conſtat, quàm decreveras, cum te præiudicium illud tollere propoſueras, quo pertinacitèr plerique è vulgò credunt menſtruam purgationem pro cauſa materiali ſanguinem agnoſcere bonum; cum tamen controvertatur utrum ſanguis ſit materia menſtruæ purgationis; verebar enim ne *occultum*, & novum quid allaturus eſſes, quo oſtenderes in menſtrua purgatione non excerni ſanguinem, & quidem maiori ex parte laudabilem, ſed aliquid aliud, quod, ſub ſpecie ſanguinis, ſenſus eluderet. Pag. 213 Sed hæc dicta ſint ſatis, quo ad iſtam propoſitionem: ſupereſt, ut videamus an nè aliquid habeas contra id, quod veteres, & recentiores ſibi perſuaſerunt, interdùm venæ ſectionem ſuppreſſis menſtruis opitulari.

Afferamus autèm integros hac de re tuos contextus; *ſingillatim*, inquis, *rimando rationes, & ſingulas ſententias perpendendo, a prima initium ſumo: ſola phlebotomia in ſanguinis exuperantia eſt efficaciæ, ſi hæc concedatur. In ſanguine ſtagnante* Pag. 228.

procul

procul dubio non erit valitura; per medicamina fuſiva curatio eſt abſolvenda ſuum motum ſanguini reſtituendo. Secundò ſanguinis miſſio ſanguinem minorat, qui nec ſtariò ad uterum propelli debet, ut ſanguinem ſtagnantem fundat, & foras eliminet. Sed hoc ſpontaneum naturæ opus eſt quæ phlebotomiæ nihil imitabile relinquit. Sanè extrà conſuetum ſanguinis motum ad uterum procedere non licet; Incaſſum igitur per phlebotomiam ſanguis educitur per alias partes; conſuetus hic naturæ proceſſus per uterum non facile turbandus.

Pag. 214. in principio. Iſta ne ſunt argumenta, quibus antiquæ opinionis *falſitatem* oſtendere propoſueras? Phlebotomia ſanguinis exuperantiam tollere manifeſtum eſt, ſed hanc ſanguinis copiam negas, at ſuo loco expendemus novam tuam de plethora ſententiam.

Quod verò in ſanguine ſtagnante longè magis efficax, atque tutior ſit venæ ſectio, quàm oſtentata, & ſpecioſa medicamina fuſiva, iàm ſuperiùs palam factum eſt. Et ſanè, ſi ſanguinis miſſio copiam minuit, tantum abeſt hac de cauſa ſanguinem ſtagnantem non fundi, quin potiùs hoc magno præſidio longè ſecuriùs, quam aliis, opus perficiatur; imminuta etenim copia ſanguinis, neceſſariò augetur velocitas, qua quidquid ſtagnat prorsùm urgetur, ut faciliùs fluat.

Prætereà cur venæ ſectio vicem purgationis menſtruæ gerere non poteſt, prohibendo ſaltèm imminentia mala, cum ſępè videamus, quoties ſanguis per nares, aliaſque vias excernitur, ſymptomata non pati mulieres ſuppreſſas, quæ à ſuppreſsione cæteroquin pendere ſolent? Reſpondes *ſanguinem per venam* Pag. 118. in fine. *ſectam eductum nulla peculiari vitioſitate ſordere; attemèn ex utero ad alias partes propulſum vitiorum contagio ab eo conſpurcatum exire, neque ob id à vaſis rubris prorepſiſſe, ſed in ipſo utero conſenuiſſe, ac labem contraxiſſe, debita ſibi ventillatione, ac motu deſtitutum*. Quomodò illud, quod ſomnias contagium, ab utero ad cor, & uſque ad nares commeatu vaſorum tranſmiſſum, non intereà ſævit, aùt ſymptomata non profert, quæ ſuppreſsis familiaria ſunt? Qua ratione, qua neceſsitate, vitioſus ille ſanguis poſtquam impunè toti maſſæ permixtus fuerit, congregatur una ſimul, ut efluat, quaſi ſecretum aliquid abſque cribro, per venas narium? Expendamus reliqua.

Pag. 219. *Secundæ ſententiæ*, inquis, *de fermento uterino non eſt congrua phlebotomia quæ ſanguinis ſtagnantis, ſeù in utero coerciti averruncus non eſt. Sic conſulta ſunt remedia fuſiva, ut nuper diximus, non autèm ſanguinem inſontem educere*; atque eodem planè argumento inſiſtis cum Portio in ſequentibus duobus paragra-

paragraphis. Inquit enim Portius à te relatus: *quæcumque vena ſecetur, id quidem, quo menſtruatio movetur, & utero primum, deindè univerſo corpori moleſtum eſſe poteſt, nequicquam educitur*, ac tu paragraphum addens, ſubdis altero paragrapho: *nec humana ſedulitas prævertere naturæ ſagacitatem abſque noxa poteſt. Igitur medens eas aperire debet vias, ſeù poros, quos natura, cum benè operetur, recludere conſuevit in utero, &c.*

Quorſum hæc? equis umquam venæ ſectionem conſuluit, ut quod ſtagnat in utero immediatè evacuaret? ſi ſanguinis miſſio vias reddit fluxiles, ut identidem inculcavimus, opportunum eſt remedium in ſuppreſſis menſtruis, quæ pro cauſa torpidum motum agnoſcunt, ſanguiniſque vitium, quo minùs fluidus ille redditur, quam in ſtatu naturæ integro; atque ità duplici de nomine ſacrum hoc remedium iuvat, tollendo ſcilicet plenitudinem, quæ neceſſariò (ſi quidem ritè computare vales) à ſuppreſſione iſta dependet; [nullatenùs enim admittenda eſt nova, & ingenioſa Clariſs. Portij, ac tua ſimùl ſententia, qua plenitudo vitioſa negatur, ut inferiùs luculentèr oſtendemus] tùm prodeſt venæ ſectio conciliando indolem illam ſanguini, qua, in ſtatu morboſo, deſtituebatur, vt aptè flueret. Quibus peractis, jam ſpecifica remedia (quæ cæteroquin minùs efficacia forent) meliorem in corpore diſpoſitionem invenient, faciliuſque proindè vires ſuas exerent.

Tandem in ſententia Clariſs. Charletonij miſſionem ſanguinis non convenire aſſeris: verùm ſi doctiſſimi viri ſententia ità moderetur, ut hypotheſi doctiſs. Malpighij congruat, quemadmodum tu ipſe exoptas, præfatæ noſtræ rationes omnes falſas omninò evincunt oppoſitiones tuas. Præterquàmquod, ſi ejuſdem hypotheſim defendere nunc animus eſſet, facilè etiam oſtenderemus nullius momenti eſſe ratiunculas à te contrà ipſum adductas. Sed hoc perſpicuum erit attentè legentibus Charletonij doctrinam, & oppoſitiones tuas. Placet autèm hic, ut digreſſiones omnes evitemus, hypotheſim præceptoris Clariſs. Marcelli Malpighij à te probatam contra Charletonium aſſumere, atque tuas pro nunc tolerare cenſuras quibus generosè inquis: *ut me medicis in diſquiſitionibus Neotericum reor, ità in Charletonij diudicando ſententiam, non hoſtem eius me fateor; Nonnulla me Iudice reprobanda, & ad bonum ſenſum ſunt reducenda. Sed re vera in hoc criminandus eſt vir Clariſs., quoniàm varijs conceptibus idealibus obnubilatam, & non explicatam tradidit prædictam doctrinam, ut digito com-* Pag. 200.

menſtrabo. Opinionem hanc de duplici galaxia, licet ingenioſam, tamen à veritatis ſcopo valdè deflectere ex anatomè colligimus &c & paucis interiectis: *non inficias ibo*, ſubdis, *quin detur ſuccus nutritius à cerebro per nervos ad omnes partes perlatus, aut quin ſit concretum ſpirituum animalium; ſed fateor hunc ſuccum in glandulis cerebri corticalibus per ſecretionis viam generari. Huius materiam eſſe ſanguinem diſtributum per arterias carotides ad prædictas glandulas, ut docet Clariſs. Malpighius, &c.* His enim poſitis redeunt cōtra te rationes omnes pro miſſione ſanguinis jam allatæ, neque opus eſt alias, quæ hypotheſi præfati Auctoris à te probatæ congruant, adducere.

Præterea contra Charletonium differis eo quod prægnantibus plethoricis ad præcavendum abortum ſanguinis miſſionem laudet, idque præſtas in primis reprobando eius hypotheſim, deindè negando periculum abortus ex nimia plethora pendere; Quoad primum, non eſt hic locus ut diximus, hypotheſim illam examinandi. Expendamus ergò quæ ad propoſitum affers. *Non concedimus* [inquis] *Charletonio, cùm Galeniſtarum turba abortiendi periculum prægnantibus præſertìm plethoricis impendens, haud raró venæ ſectione vitari. Vidi ſæpè in praxi aliquos medentes ad præcavendum abortum venæ ſectione uſos eſſe, ſed incaſſum, ac proindè forsàn cum ipſius patientis interitu; ſicuti ſi interdùm benè ſe habuerit, in eam planè ſuſpicionem propendere poſſem, ægram haud maiore iure venæ ſectioni, quam plumeo lecto ſanitatis ſuæ reſtitutionem debere, iuxtà illud: ſæpè numero inefficax medicamentum fortuna nobilitat. Sæpiùs autèm obſervavi abortum medicamentis ſpecificis, ſiuè intrò ſumptis, ſiuè exteriùs applicatis præcaveri.* Subdiſque, *illud hic loci non omittendum erit abortiendi periculum prægnantibus valetudinarijs, & hypocondriacis impendere, non plethoricis, habitu carnoſo, & optima indole præditis, quarum corpora ſuccis alimentaribus ſcatent. Hoc patet ex cordatorum practicantium obſervatione. Ego in praxi ad prægnantes cum abortiendi periculo accuratè attendebam eaſque ſatìs exactè examinabam; atque ità tandèm omni paſſione in iudicando evitata, certiſſimè mihi perſuaſi, non à ſucci nutritij, pleonaſmo abortum cauſari, ſed potiùs ab ejuſdem defectu, nempè ab acido peregrino ſemper luxuriante ventriculi culpa genito, eſcam commutantis in ſaburram acidam, ex qua ſanguis non procreatur, qui pro materia agnoſcit Chilum laudabilem: Quarè hoc deficiente, deficit paritèr ſanguis, hinc abortus; Concludo hoc me conſequutum eſſe, docere me ipſum, diſcere à me ipſo, vulgi præiudicia à mea mente arcere,*

Pag. 224.

arcere, quibus immeritò facultas medica commaculatur.

Hæc ſunt, quæ adducis auctoritate propria, & rationum vice obſervationes tuas ſubſtituis, quæ quidèm quid valeant, quamque concilient fidem, attenta lectio ſatìs ſuperq; demonſtrat. Nam ſi ſæpè venæ ſectio non profuit ad præcavendum abortum, non ſola plethora in illis caſibus fuerat abortus imminentis cauſa; Deindè ſi forsàn interitus cauſam fuiſſe inquis venæ ſectionem, hoc non vidiſti, hoc non obſervaſti, non enim illa particula uſus fuiſſes, dubietatem tuam ſignificante, atque obſervationis certitudinem tollente. Quod verò ſubdis, abortum ab acido vitiante alimentum fœtus proficiſci, tranſeat. Quid indè? An ne hac admiſſa negabimus alias? An ne tu, qui doces te ipſum, & à te ipſo diſcis, omnia obſervaſti? Si plethoram inter abortus cauſas non obſervaſti, obſervarunt alij; & ego teſtari poſſum me id non ſemèl vidiſſe. Unica brevis ſufficiat hiſtoria. Illuſtriſs. Maria Angela Siffredi Soceri mei primi uxor ſecunda, habitu corporis quadrato, & optima indole prædita, plenitudine ſanguinis oppreſſa, dùm utero gereret, tertio ni fallor, vel quarto geſtationis menſe, quam Medicus non conſuluit, ſanguinis miſſionem à natura obtinuit; Hiantia enìm cervicis uteri vaſa tantam profuderunt ſanguinis copiam, ut abortum continuò expectaremus, cum tamen fælici ſucceſſu ceſſerit ſanguinis profluvium, & exonerata natura, fæliciſſimè partum ad maturitatem protraxerit.

Cætera quæ contra Galenum habes, circà menſtruæ purgationis cauſam, cum ad rem noſtram non faciant, & à Clariſs. Charletonio, quem adhùc impugnaſti, excerpta ſint, ut inutilia omittenda duximus. Pag. 236.

PUNCTUM XIV.

HEmorroidas cohibitas iuvat *ſanguinis eductio per hirudines*. In bonum ſenſum reducenda eſt hæc doctrina, non enim, quæ demonſtrationibus anatomicis repugnantia Galenus tradidit, admitto, ſed neque proptereà omnem reijcio doctrinam, ſalvo enìm ſanguinis circuitu, in quacumque hypotheſi vera eſt præfata propoſitio, ſic præcisè intellecta, vt expoſuimus, idque manifeſtum eſt ex ſuperiùs traditis; eadem enim de cauſa, qua ſanguinis miſſionem prodeſſe oſtendimus in ſuppreſſione menſium, hirudines cohibitas hemorroidas iuvare neceſsè eſt; ac tametſi ſanguinem non trahant è profundo, ſed ex ijs dumtaxat partibus, quibus admoventur, ut inquit Van-

derlinder à te citatus, negari non poteſt id præſtare hirudines, quod venæ ſectio, quatenùs ipſæ quoque ſanguinem educunt in ſupplementum naturalis illius cohibitæ evacuationis, idque ſatis eſt, ut manifeſta ſit propoſitio eadem neceſſitate, quam ſuperiùs in ſuppreſſione menſium adnotavimus.

Sed conſuetæ exercitationis gratia expendamus quæ in contrarium effers. *Evacuatio, quam natura per hemorroidas molitur, ſpontaneum eſt naturæ opus*, inquis, *quæ arti nihil, aut* Pag. 228. *parum imitabile relinquit; Quod eſt inutile, à natura laceſſita ſegregatur à ſanguine, & foras eliminatur, & vena expurgatur cum aliqua portione ſanguinis, qui utilitèr retineretur, ſi per glandulas traijceretur: Non retinetur, quia expellitur per anaſtomoſim, ideſt per oſcilla vaſorum aperta, per quæ, dum illud inutile, ſeù morbidum expellitur, exit quoque aliqua ſanguinis pars ei tincturam rubram tribuens. Sed hæc fusè à Clariſs. Portio.* Vidiſti ne umquam ſanos alioquin viros, & laudabili præditos temperamento evacuationibus per hemorroidas exonerari aſſuetos? Ego certa huius rei exempla poſſum afferre. Vidi enim ſæpè huiuſmodi evacuationibus aſſuetos laudabilem ſanguinem cum levamine ſtatis temporibus dare, abſque vllo vitij alicuius iudicio præter plenitudinis notas. Scio te plenitudinem cum Portio negare, de hoc autèm inferiùs. Intereà ſenſu iudice in illis caſibus nullum conijcere potui laticem vitioſum, quo natura ſtimularetur.

Clariſs. Portius à te citatus pag. mihi 181. fusè, atque elegantèr, inquit, *quod ſi contingat humores corporis particulas nonnullas habere, vel minùs reſolubiles, vel minùs aptas in circulum ferri, & meatus penetrare, & è vaſis in vaſa transfundi; neceſſum eſt eaſdem particulas alicubi impingentes, obſtructiones primùm facere, deindè alias, atque alias circa partem illam congregari; Et circum exiſtentia vaſa, proptèr impeditum liberum humorum motum, non nihil intumeſcere & turgere.* Tùm paucis interiectis ſubdit, *Quacumque de cauſa in inteſtino potiùs recto, quam alibi pars aliqua intumuit, & circum exiſtentes venæ particulis turgidæ factæ fuerint, ad motum, circulationemque minùs idoneis; ſi vel ſpontè, vel Medici induſtria diſrumpatur pars illa, vel aperiatur; primùm efluet id, quod antequam deponeretur in hemorroidas mixtum ſanguini inutile erat, & morbos parere poterat, & id quod minùs aptum erat ad anguſtias vaſorum pervadendum. Poſteà ſi quid aliud conſequitur utiliorum humorum, eo meliùs una expurgantur reliquiæ fortè adhùc in parte affecta reſtagnantes &c.* Veruntamèn non concluſè admodùm

dùm, ut fortè opinatur, probavit anteà vitioſam plenitudinem non dari, ob quam ſanguis [niſi ſpontè, vel Medici induſtria aliquantulum evacuetur] minùs aptè pororum, & meatuum anguſtias permeare valeat; quo in caſu nihil omninò egregius vir concludere valet contra venæ ſectionem. Quod ſi ſola prohibita perſpiratio vitioſam producere poteſt ſanguinis plenitudinem, qua ineptus iſte liberè ad fluendum per anguſtias vaſorum reddatur, ut ſuperiùs, & ut inferiùs oſtendemus fuſiùs, & ut experimentis Clariſs. Sanctorij conſtat; Quid ni dicamus ſpontaneam ſanguinis evacuationem, hac de cauſa per hemorroidas naturam moliri, abſque eo quod fingamus aliud, cuius nullum habemus indicium? Ego certè, quia pluries monuit Hypocrates hanc naturalem evacuationem à Pleuritide, Peripneumonia, alijſque morbis viros liberare, probabiliùs puto [ſi quid iudicare valeo] naturam huiuſmodi evacuationes inſtituere in ſupplementum perſpirationis ſuppreſſæ, ex qua cæteroquin morbi prefati facilè fieri poſſent. Si ergò æquè bona venæ ſectio ſupplet, ut iàm ſuperiùs oſtendimus, quarè non poterit hemorroidas iuvare cohibitas? Sed liberalitèr data, & non conceſſa eruditiſſimi viri ſuppoſitione, quis non videt venæ ſectione fieri poſſe reſolubiles moleculas illas vitioſas, quæ in ſanguine deliteſcebant, obſtructionibus producendis aptæ? velocitas circularis motus, per ſanguinis miſſionem aquiſita, ne dum ſufficit, ad atterendas moleculas illas, ſed etiam ad expurgandas per idonea glandularum cribra.

Pro coronide te moneo pluriès me in praxi obſeruaſſe viros, qui ob vitioſos latices ſanguifluis venis laborare conſueverunt, infælicitèr hujuſmodi evacuationes perpeſſos fuiſſe, ac dolorem, & morbum potiùs, quam levamen ipſis hanc vaſorum aperturam extitiſſe: contrà verò illos, in quibus præfatæ tantum plenitudinis habemus indicia, evacuationes facilè per hemorroidas abſque ullo incommodo, imò cum levamine toleraſſe. Prudens Medicus attentè cauſas rimari debet, ac prematuras opiniones vitare.

PUNCTUM XV.

VEhementiſſimos compeſcit dolores venæ ſectio; & Galenus optimè tradidit in vehementiſſimis doloribus ſaluberrimum eſſe præſidium. Videamus nouas oppoſitiones tuas.

Omni fluido, inquis, *natura locum aſſignavit. Continentibus*, Pag. 229.

quæ

quæ expatiantur, noxam exhibent. Fluidum vaſis naturalitèr continetur, quibus ſi excedat, ac effundatur, eſt humor loco peccans; extra vaſa autem varijs ex cauſis effluit. Rumpuntur, & exeduntur vaſa, quibus depluit, tùm in carnem, tùm in corporis cavitatem: copioſi influxus caro minimè eſt capax. Hinc alieno hoc in loco coagulatur, ac acrior evadit vario modo, ac menſura; atq; ita morbus omnigenus, indeque dolores, ac innumera omnigenæ conditionis ſymptomata emergunt. Inter varia præſidia vulgo recenſetur derivatio, quæ humori ſtagnanti tribuitur, qui per vicina eſt educendus. Sed motus ſanguinis in orbem reddit derivationis rationem perplexam: omnium venarum, ac arteriarum eſſe communionem comperimus; exempli gratia venam frontis, ramum ſcilicet iugularis, excipere ſanguinem è ramo arteriæ carotidis externæ. Venam ramariam originem debere iugulari; eam haurire item ſanguinem ex carotidum ſurculis, quas carotides æquali communione gaudere cum aorta, prout reliquas, detectum eſt; Hinc nullum omnium diſcrimen eſt; Et quod iuvamen ab apertis hiſce vaſis ſperatur, perexiguum eſt; Adaucta effuſi ex alijs ſanguinis quantitas, vel pluries facta ſectio paria faciunt. Quod ſi non ſaltèm procedant, neceſſarium eſt. Humori foras effuſo ibique ſtagnanti, & acriori reddito, doloris ſenſum producenti, alijs remedijs, non venæ ſectione, contra niti decet.

Hæc ſunt omnia, quæ in huius puncti diſſertatione habes: nihil tamèn invenio in hiſce tuis verbis à me fidelitèr tranſcriptis, quod diſputatione dignum videatur. Non enim ad vehementiſſimos dolores producendos neceſsè eſt extrà vaſa ſua liquida effluere; ſed ſatis eſt ſi vaſa, per quæ ſanguis, aliaque fluida mouentur naturalitèr, obſtructione, aut compræſſione prævia, vel etiam rareſcentia ejuſdem liquidi, (ne dicam inflammatione) nimis diſtendantur. Quinimò ſatis eſt, ſi per atmoſphæram ipſius ſanguinis intrà vaſa ſua fluentis, expirent particulæ vi ſtimuli præditæ, quæ adiacentes membranas, nerveaque corpora feriant acritèr, & in oſcillationes enormes adigant, ità ut liquidum nerveum, ſpirituſque animales [quorum fluxu, & refluxu, præſertìm motuum, ſenſuumque munia exequuntur] in motus irregulares, & aſſimetros veniant [ut generatìm modo, & in qualibet hypotheſi loquamur de germana doloris coniuncta cauſa.] His enim poſitis miſſionem ſanguinis prodeſſe, & compeſcere vehementiſsimos dolores manifeſtum eſt, ex jam dictis, quoniam, & inflammationibus opitulatur, & rareſcentiam ſanguinis compeſcit, & obſtructiones tollit, & vitioſis perſpirationibus faciliorem extrà cor-

pus

pus exitum parat, ut iàm oſtendimus. Ideòque, cum ab hujuſmodi cauſis frequentiſſimè dolores ortum ducant, manifeſtum eſt, quod propoſitum erat. Nec tu contrà iſtas neceſſitates ab hoc remedio pendentes aliquid protuliſti, ſed tantummodò *humori foras effuſo doloris ſenſum producenti, alijs remedijs, non venæ ſectione contrà niti debere*, aſſeris. Quinimò nec illud quidem probas, ſed veluti ex tripode loqueris, cum tamèn facilè ſit oſtendere venæ ſectionem prodeſſe quoque vbi humor foras effuſus, & ſtagnans doloris cauſa ſit; Nàm ſi venæ ſectione impeditur novus exitus humoris extrà vaſa, imminuta vaſorum tenſione, non ne hoc de nomine ſaltèm proderit? Ea verò, quæ contrà derivationem habes, iàm ſuperiùs falſa, & nullius momenti eſſe demonſtravimus, nec modo ad propoſitum punctum faciunt; ſufficit enim generatìm hactenùs oſtendiſſe venæ ſectionem vehementiſſimos dolores compeſcere.

PUNCTUM XVI.

SAnguinis miſſio tandèm *naturam à cacochimia in vaſis ſanguifluis exiſtente deonerat*.

Hanc rationem expugnare inani conatu aggrederis, nil enim aliud habes, quam conſuetam tuam cantilenam, imò nihil planè huic ſententiæ directè, ac ſpeciatìm opponis, idque ut pateat, non pigebit referre omnia verba tua; *Quo corpus vegetatur, & vivificatur* [inquis] *quo vita alitur, & conſervatur, cauſatur, ſuſtentatur, & declaratur, animæque tutela vehiculum, & nutrimentum à ſanguine non diſtinguuntur, ut ſuprà demonſtravi. Hæc luculentiſſimè, & fusè à Clariſs. Portio dialogo primo de ſanguinis miſſione. Quarè ſatìs liquet per venam ſectam corpus natura deonerari. Quidquid impuritatis, & illuviei nectar ſanguineum vitiat & infeſtat, varijs elicitur modis, perſpiratione, ſudore, diureſi, alijſque præſidijs. Si ſanguis eſt vitiatus ob particularum exaltationem ipſum componentium, eſt corrigendus iuxtà illud Hipocratis lib. de veteri medicina. Miſce, & redde inconſpicuum. Si craſſus, & coagulatus, fuſorijs tractandus, ſi tenuis, & efferus figendus: curari debet ſanguis: Curatio eſt motus à morbo ad ſanitatem remanente ſubiecto. Pars corporis continens vitiata non avellitur, quia animata, ſed vitio privatur; Cur non ſanguis, animalis vita, curandus, ideſt vitio emendandus? à vaſis apertura de vitiato non de vitio tollitur; ſed ad quid pluribus? Hùc facit etiam maſſam ſanguineam depurari per glandulas, tùm conglobatas, tùm conglomeratas; depu-* Pag. 230.

ratio

ratio effectus eſt naturæ ſe exonerantis, non artis, hæc iuvat ope, illa opem.

Perbellè profectò, ſed nihil planè concludis; à ſanguine benè habente nutrimentum, & vitam pendere jam ſuperiùs diximus, & hoc ſanè perſuadere ad ſummum poſſunt allata ſuperiùs tua, aliorumque hac de re verba, quæ abs re demonſtrationes apellas. Non ſunt profectò tàm dociles alij, vt huiuſmodi lucubrationes tuas, quamvis eruditas, pro demonſtrationibus excipiant, quemadmodùm animosè ſupponis; ſed hac de re ſatis ſuperiùs: Impuritates ſanguinis *perſpiratione, ſudore, diureſi* expurgari verum quidèm eſt, at æquè certum eſt venæ ſectione mirabilitèr, tutò, atque efficaciſſimè haſce, aliaſque evacuationes promoveri: Uno verbo, diſponi materiam, ut aptè per glandulas idoneas (motu ſanguinis liberiore reddito) ſeparetur, ut jàm oſtendimus. Præterea venæ ſectione craſſum, & coagulatum ſanguinem, tutò, & efficacitèr magis, *quam fuſorijs* à te propoſitis, atteri, atque in meliorem craſim verti, ex præfatis conſtat: Tenuem verò, & efferum hoc eodem remedio compeſci palam eſt; quatenùs in perſpirationem adiguntur efferæ tenuiores particulæ, quæ maſſam univerſam exagitabant, ſanguiſque utilitèr refrigeratur, ut diximus. Hæc eſt optima, & tutiſſima via curandi ſanguinem, nō obſtante vana illa, & puerili ſpecie timoris, qua tu fortè perterritus terrere vulgus non vereris. Pars ſolida morbo aliquo laborans non amputatur, nec ideò inferre licet ſanguinem vitio aliquo inquinatum è venis non educendum fore. Sanguis enim continuò ab ingeſtis regeneratur, pars ſolida ſemèl abſciſſa nequaquam. Præterea, tametſi utilis aliqua portio educatur, perexiguam hæc proportionem habet ad tantam ſanguinis copiam, quæ adhùc in corpore ſecta vena luxuriat, quæque multò vberior eſt, quam vitæ functionibus præſtandis par ſit; Ideòque perexiguum hoc impendium abſque ulla læſione virium fit, & nihili omninò faciendum eſt, ſi præſertìm ad magnas, quæ indè ſequuntur utilitates, ipſum comparemus. Veſſicantia, purgantia, opium, aliaque huiuſmodi pharmaca, quibus tu quoque in medicina facienda vteris, longè magis conſumunt vires, quam ſanguinis miſſio; Illa enim vi ſtimuli ſpiritus in nerveo latice hoſpitantes exprimunt. Opium venefica vi conſumit, nec tamèn ideò cum opus eſt, aut cum neceſſitas urget, ejuſmodi remedia proſcribuntur ab arte: ſanguinis miſſio longè ſecurior eſt, ac timor, quem incutis, hypocondriacos quidem, non autèm ſanos viros apprehendere poteſt.

Neque

Neque minima (ſubdis) *hoc in loco eſt de ſanguinis plenitudine altercatio*: Hæc verò aliena eſt à nuper propoſita quæſtione, ideòque mox altercatio hæc eſt compeſcenda.

CAPUT XIII.

In quo Dominicus la Scala ſuam de plethora opinionem exhibet.

TVam de plenitudine opinionem prolaturus, in fine duodecimi capitis, duplicem à Galeno expoſitam plethoram refers, alteram reſpectu ad vires, alteram ad vaſa. Plethoram ſimpliciter conſiſtere, inquis, ad mentem Galeni in omnibus humoribus æqualiter adauctis, plethoram verò ſanguineam in ſolo ſanguine, quem pro quarto humore Galenus accipit. Cacochimiam contrà in alicuius alterius humoris ſuper alios exceſſu. Porrò plethoram ad vires eam dici, *quæ licet vaſa præter modum non repleat, ab ea tamèn corporis vires veluti opprimuntur*.

Poſt hæc, Galeni doctrinam, *vt phantaſticam, & à ſenſibus remotam* explodis, eo quod non dentur iſti quatuor humores maſſam ſanguineam componentes, atq; etiam ſi concedantur, *erumpere* (inquis) *in grave erratum, dicentes plethoram appellari, quando quatuor humores ſunt æqualitèr adaucti, vel ſi ſolus ſanguis ſimplex alijs antecellit*. *Dicant quæſo*, ſubdis, *quibus oculis linceis hoc diſcernunt? Quo ſenſuum criterio hoc diſtinguunt? ut ergò omnis fucus relinquatur* [concludis] *amplector, quæ menti meæ magis ſatisfaciunt, dicendo plenitudinem, ſi fortè detur, eam eſſe, quæ ad vaſa, eorumdemque capacitatem referri debet; ſiuè ſanguis ſit ſimplex, ſiuè aggregatum ex quatuor humoribus*. Pag. 236. & 331. in fine.

Veruntamen ſi poteſt intelligi plethora, abſque eo quod obſtringamur hypotheſi quatuor humorum, de hac diſſertaturus fruſtrà in illius hypotheſeos cenſuram diſtraheris. Galeni oculos verè lincæos fuiſſe in diſcernenda plenitudine quo ad vires manifeſtum fiet ex dicendis inferiùs, eaque fortaſſe menti tuæ ſatisfacient, niſi obſtiterit præiudicatæ opinionis tuæ pretinacia. Primùm autèm videamus quid novi hæc tua opinio de plethora proferat integros contextus tuos afferendo.

Prima plenitudinis ſpecies, [inquis] *quæ à Galeno dicitur quo ad vires, eſt frivolum commentum. Malè Galenus ſanguinem accepit veluti pondus externum, à cuius gravitate* 100. *circitèr* Pag. 327.

unciarum, robuſti hominis vires non opprimantur, vitam verò valetudinariam ducentis opprimantur; Ità ut à ſanguine veluti à pondere aliquid detrahere expediat, quo infirmi hominis vires leventur. Tùm ſtatim proſequeris. *Dùm hic loci de plenitudine Galenica quoad vires mentionem facimus, in memoriam venit haud illepidum Galeni indicans mittendi ſanguinem, quod modo ſumendum à virium robore, modo ſumendum præcipit à virium debilitate;* [hæc autèm reſtaurantia indicat], *cum ſe graues, pigros, & in motu torpidos ſentiunt patientes.* Porrò ſubdis: *ut autèm quo pacto ſe res habeat iudicemus, ei facilè hoc modo reſpondendum putamus. Perperàm Galenus comparat animalis vires cum pondere externo corpus opprimente; ſanguis enìm non eſt veluti pondus, ſeù corpus grave, quod eſt animali extrinſecum, & nihil ad ipſum pertinens, à quo ſi magìs, ac magìs detrahas, magis, ac magìs animal levabitur, ſanguis enìm, non ſolùm eſt quid intrinſecum animalis conſtitutiuum integrale, verùm eſt, ut plùs ſemèl diximus, quo corpus vegetatur & vivificatur, animæ vehiculum nutrimentum, & tutela, quove cauſatur, ſubſtentatur, & declaratur vita.* [Concludis tandèm] *quare decachinnandus eſt ille, neſciens, quo corpus vegetatur, & vivificatur, vires, & ſanguinem, in quo animalis vita maximè conſiſtit, & conſeruatur, & à quo naturalis calor humidumque radicale fovetur, & miniſtratur, ſpirituſque vitales formantur, & ſuggeruntur, identificari.*

Memini totam me hanc doctrinam legiſſe apud eruditiſſimum Portium in elegantiſſimis dialogis ſuis de ſanguinis miſſione, ideòque nil adhùc novi tuo in hoc capite habes contrà plenitudinem ſanguinis. Hanc verò laudati viri doctrinam, pro rei dignitate, diſtinctè expendemus inferiùs. Intereà quid aliud afferas deſpiciamus.

Pag. 233. A propoſita opinione tua de plethora digrederis afferens denuò conſuetam tuam cantilenam contrà ſanguinis miſſionem, quod ſcilicet, *ſanguinis miſſio non coquit* (ut inquis) *ſed ſanguinem, ideſt naturam, ſeù animam inferiorem exhaurit, prædaturque de viribus animalis*, & adducis exemplum ex vino deſumptum, quod itèm, ni fallor, legi apud eumdem: Oenopolas videlicet vinum a fæculentijs liberaturos, non educere ipſum è dolijs, ſed præcipitantia adhibere; Ideòque Medicum hoc idem præſtare debere, *ubi ſanguis, ſeù natura eſt ſarcina oppreſſa*. Iàm verò ſuperiùs miſſione ſanguinis non exhauriri naturam ſatìs ſuperque oſtendimus; quin imò in morbis magnis, & acutis præſertim, vires levari per ſangui-

nis

nis miſſionem demonſtravimus capite primo, & ex fuſiùs dicendis inferiùs, palam fiet; certum eſt etiam ex dictis in capite ſuperiori miſſione ſanguinis promoveri ſegregationem inutilium humorum in glandulis, neq; ideò exemplum ab Oenopolis deſumptum valet quidquam contrà ſanguinis miſſionem; non enim detractio vini ex dolio promovere poteſt ſecretionem inutilium per idonea naturæ cribra, quæ ibi deſunt, quemadmodùm deeſt etiam motus circularis ad inutilium ſegregationem neceſſarius; at verò ſanguinis miſſio circularem ſanguinis motum, ut diximus, magìs expeditum facit, & hoc de nomine ſecretiones inutilium per cribra glandularum faciliimè promovet, quæ cæteroquìn non ità facilè, neque tutò violentis præcipitantibus, aut hujuſmodi ſpecioſis arcanis obtineri poſſent.

Adducis poſteà doctrinam Helmontij, qua ille nunquam in febribus plethoram ſubſiſtere opinatur, ac proindè ſanguinis miſſionem nunquam indicari. *Membra* [inquis] *in febricitantibus ſanguine conſueto nutriri non ceſſant, ideſt adhùc præter conſumptionem à febre cauſatam, ſuam cruoris ſoliti taxam conſumunt; etenìm, ſi benè valenti quotidiè fiant unciæ octo ſanguinis, neceſſum eſt totidem quoque in dies in alimentum aſſumi, alias in immenſam molem mox homo protuberaret. Quod ſi ergò benè valenti quotidiè decidant unciæ octo cruoris, certè non minùs conſumet febris.* Ergò (concludis) *cum nulla, aut parva* Pag. 134 *ciborum ſit appetentia, digeſtio, & ſanguificatio, neceſſariò quoque mox plethora binis diebus, ſi qua ſit initio, deficiet, ceſſabitque eius indicatio pro cruoris miſſione in febricitante.* Quin imò post tanti viri fallacem ratiunculam, quam appellas demonſtrationem, concludis cum eodem, *non poſſe dari ſanguinis vitium in quanto, ex eo quia vires peccare non poſſunt abundantia*; atque ita concludis. *In Mathuſalem nec bonum ſanguinem peccare nimietate, eo quod vires vitales, & ſanguis ſunt corelativa, quia vel divinarum more litterarum eſſe dicitur carnis anima, &c.*

Verùm levis illa, & fallax ratiuncula eos quidem decipere poteſt, qui penitùs ignorant animalis oeconomiam; nullatenùs tamèn decipiet eos, qui phyſiologiæ, atq; pirethologiæ fundamentis inſtructi ſunt. Pro ratione perſpirationis, copia ſanguinis magìs, vel minùs luxuriat in vaſis, idque, ut notiſſimum, inferiùs demonſtrabimus. In febre ſanguinis motum turbat intrà vaſa retentum, id, quod cæteroquìn blandè per cutis poros expurgandum fuiſſet; quod ſanè cum ex obſerva-

tionibus Clariſs. Sanctorij valdè copioſum ſit, obruit in febribus naturam ipſam, nec mirùm proindè, ſi ciborum appetentia, & digeſtio deſit deficiente motu illo, quo ſecundùm naturæ leges digeri, & conſumi ſolet aſſumpti à ſanguine pabuli materies. En igitur quam falsò dicis cum Helmontio in febre deficere plethoram, & ceſſare indicationem mittendi ſanguinis. Quod verò generatim promulgat Helmontius *in Mathuſalem non peccare copia ſanguinem*, ex inſufficienti etiam animalis oeconomiæ notitia profluxit, nàm ſi ritè neceſſitatem digeſtionis, & perſpirationis agnoviſſet, clarè profectò percipere potuiſſet, pro ratione ſuppreſsæ tranſpirationis plethoram augeri. Eoque præſertìm, quando, ut inquit Sualve à te citatus, ſuccedit perpetìm auctior Chilus, & ſuprà debitam mediocritatem luxurians.

Falsò etiam contrà Sualve aſſeris, ex Chilo auctiore ſemper virium robur emergere, *ideſt ſanguinis plethoram, quæ non eſt vitium ſanguinis in quanto*, nàm, ſi plùs aſſumatur, quàm par ſit inſtaurando corpori, & ſuppeditandæ materiæ tranſpirationis, aliarumque ſecretionum, neceſsè eſt molem ſanguinis, aliorumque liquorum è penu ejuſdem profluentium augeri, ut evidentiſſimum eſt re ipſa, cum unaquæque quantitas ſuperaddita quantitate adaugeatur; atque omninò abs re ſupponis adauctam ſanguinis molem, arteriarumque repletionem quamcumque non eſſe vitioſam, nec naturæ legibus adverſari: Animalis enìm ſymmetria certos denique fines habet, vltrà quos conſiſtere nequit, nec minùs vitioſa eſt repletio nimia, quam inanitio improba. Tu curiosè obſervas *fibras omnes, in*
Pag. 235. *ſuo naturali ſtatu collocatas, aliquam violentam tractionem pati; Nam, ſi ſcindantur, ſpontè ſua contrahuntur, & breviores fiunt, quod non contingeret, ſi illæ fibræ eſſent in æquilibrio laxitatis, & contractionis, quod ſanguinis imminutio cauſat; ſicut arcus ſoluta chorda non patitur contractionem, & diſtractionem; Igitur*, ſubdis, *quo magis ampliatur arteriæ cavitas à ſanguine repletæ, eo magis eius fibræ tranſuerſales elongari debent; & multo maiorem ſeù violentam diſtractionem patientur, cui ſuccedit arteriarum conſtrictio, quæ ſine fibrarum circularium contractione fieri non poteſt, quæ eſt ipſis fibris propria & connaturalis*: Tandèm inquis: *Illa violenta fibrarum diſtractio ab arteriæ turgentia, ſeù ſanguinis plethora proficiſcitur*. Et profectò verum eſt violentam fibrarum diſtractionem à ſanguinis plethora proficiſci: ſi ergò eſt violenta, quomodò naturalis? An neſcis ornatiſſime vir, naturam animalium non ſine læſione violentias pati?

pati? Symmetriam firmarum partium, & liquidorum in commoderatione, & mediocritate conſiſtere? Dixeras paulò antè *vaſorum fibras motrices diſtractioni reſiſtere, & vi pollere ſe contrahendi ad inſtar arcus diſtracti*, & hoc admittimus, ſed, ſi nimia ſit copia, diſtrahens arterias, nonne patet fore ut contractiles illarum fibræ maiorem inveniant reſiſtentiam? ideòque difficiliùs pro rei neceſſitate contrahantur? miror certè hæc te non advertiſſe.

Deſpicis Galeni ſectatores dicentes plethoram, vel ſuffocationem ſpirituum regentium, vel vaſorum diſruptionem minari, ideòque non eſſe naturalem, ſed vitioſam. Ipſos *hallucinari* ſtatim pronuncias, quia *ſpiritus regentes, in quibus robur vitale reſidet, in ſanguine nidulantur, ſuntque pars conſtitutiva principalis ſanguinis: ijs abſentibus*, inquis, *ſanguis coagulatur, ineptus redditur ad corpus vivificandum*: ſubdiſque: *Omnes liquores fermenteſcentes ſpiritibus cum ſuo concreto conſtare; ut ſunt cereviſia, vinum cæterique liquores ſpirituoſi; idem de ſpiritibus vitalibus cum ſuo concreto ſanguinem componentibus* fateris, & dicis inſuper: *ſpiritus non ſuffocari à liquore, quem conſtituunt, ut patet in ſpiritibus vini, qui non ſuffocantur à vino, quàmuis ſit in maiori mole: ſic porrò de alijs ſpiritibus aliorum liquorum, & ſanguinis* ratiocinaris. *Neque eſt*, inquis, *vaſorum diſruptio metuenda; hanc enim cauſaret plethora poſtrema, quod eſt impoſſibile quia vaſa decuplo, & forsàn ampliùs ſunt extenſilia; Tunc autem rumpuntur, quando ad extremam tenſionem ducuntur*.

Nec tamen advertiſti malè comparari ſanguinem cum vino; nàm ille liquor valdè compreſſilis eſt, & eo magis eadem contractione vaſorum comprimi neceſsè eſt, quo magis copia luxuriat. Non advertis etiam obſtare nimiam copiam, nimiamque compræſſionem libero, ac regulari motui ſpirituum, quo iſti iuxtà naturæ leges uniuerſum ſanguinem aptè permeare debent; obſtare etiam libero motui ſanguinis per directiones canalium, obſtare omnibus ſeparationibus, tùm eorumdem ſpirituum per glandulas corticis cerebri, tùm aliorum liquorum per glandulas ſuas; multa denique non advertiſti, ad quę certè ſi reſpexiſſes, non tàm facilè inania iſta commenta pronunciaſſes; Hæc autèm in diſſertatione paulò inferiùs exaranda de plenitudine, in gratiam nouæ opinionis eruditiſs. Portij clariora fient.

Denuò Helmontium advocas, qui non *inficiatur* [ut inquis,] *dari repletionem, ſeù plethoram quo ad vaſa, ſed eam eſſe naturalem*; Pag. 328.

ralem, *ſeù intrà ſanitatis latitudinem*, ideòq; in athletis ab Hipocrate commendatam fuiſſe ſanguinis miſſionem, non ob plethoræ metum, ſed ne vaſa repleta in exercitijs diſrumperentur. Conſtat verò iàm ex dictis hanc nudam Helmontij à te relatam opinionem falſam omninò eſſe, atque dari certos tùm repletionis, tùm inanitionis vaſorum fines, vltrà quos conſiſtere ſanitas nequit.

Digrederis iterùm reijciens venæ ſectionem in febribus, quam convenire docet Schola ratione *vitioſorum humorum ſanguinem perturbantium*, nàm cum Helmontio reſpondes non indicari turbati cruoris exhauſtionem, ſed turbatoris, ſeù vitij ablationem; Mors enim contingit, quia ſanguis corrumpitur ob vitium contractum, per venæ ſectionem cum ſanguine tolli vitium, ac deficiente ſanguine in vaſis, vel ſequi mortem, vel vires enervari. Secundò reſpondes *ſanguinem, qui è cubito trahitur, primuſque educitur, puriorem eſſe, ac relinqui intùs impuriorem*.

Pulchra ſanè doctrina, ſi venæ ſectio nil aliud, præter evacuationem, moliretur, ſed prætereà faciliùs promoventur ſecretiones omnes liquidorum ſanguinem turbantium, atque uberiore perſpiratione vitioſum etiam e ſanguine, poſt venæ ſectionem, extrà corpus urgetur, ut manifeſtum iam identidem fecimus. Id verò, quod cum Helmontio contrà Scholam affers: non promiſcuè humores venæ ſectione evacuari; ſed ſanguinem eductum puriorem eſſe eo, qui relinquitur, profectò non poſſum non mirari, cum præſertim tu propoſitionem iſtam comprobaturus, tibi ipſi manifeſtè in eodem contextu contradicas, inquiens. *Et quamuis per venam ſectam ſanguis cum impuritate educatur, & impuritas è corpore minoretur, non ideò ſequitur iuvamen, quià ſanguis in vaſis relictus remanet eadem proportione impurus, ut priùs*. Cur ergò propoſitionem tuam non probas ſed inutiliter potiùs comprobas opinionem, quam refellere tentaſti? cum paulò antè dixeris, *Quidam è Galeniſtis ſibi perſuaſerunt celebrandam venæ ſectionem quià humores promiſcuè evacuantur, ſed perperàm, quià ſanguis eductus purior eſt eo, qui relinquitur*: Lectoris expectationem eludis. Sed non eſt prætereunda animadverſio tua in hoc eodem contextu allata, qua ſtatìm progrederis: *ſequitur ſanguinis miſſionem non eſſe celebrandam, quià nullam affert patienti utilitatem, ut teſiantur ſanguinis hemorragiæ ſymptomaticæ, quæ in febris principio fiunt cruda exiſtente materia*. Te verò admonemus obſervare omnes quicumque hìc medicinam

faciunt

faciunt hemorragias in principijs etiam febrium utiles eſſe, non minùs quam venæ ſectionem, dummodò tanta non effundatur copia, quæ vires debilitet, quo in caſu vitium ſanguinis hemorragias ejuſmodi promovens, maiùs eſt, quam ut ſola hac evacuatione compeſci poſſit, alijſque præſidijs tùnc natura indiget. Cæterùm moderatæ hemorragiæ nedùm ratione iſtius evacuationis utiles in febribus ſunt, verùm etiam quià futuras ſeparationes, & criſes non minùs, ac ſanguinis miſſio diſponere valent, ob rationes identidem ſuperiùs exaratas. Quamobrèm luculentèr patet Helmontium male concludere *cacochimia non indicari venæ ſectionem, ſed potiùs purgationem, quæ ſelectionem humorum vitioſorum educit*, nàm venæ ſectio potiùs, quam purgatio in principijs morborum acutorum, ac febrium præſertim convenit ex doctrina magni Hipocratis, & Galeni, quatenùs videlicèt rem ità comparare poteſt, ut faciliùs expulſionem vitioſi humoris conſequamur, vel ut faciliùs etiam, per pharmacum opportuno tempore exhibitum, expurgatio ejuſdem vitioſi humoris inſtituatur: Quo circà in methodo medendi optimè Franciſcus Valleſius inquit, *meliùs præparat ſanguinis miſſio ad purgationem, quam purgatio ad ſanguinis miſſionem, hæc enìm laxat vias, quo maximè corpus expurgandum indiget, illa debilitat vires, quo nihil ad mittendum ſanguinem periculoſius &c.*

Difficultatem à nobili quodam anglo tibi factam contrà plethoram affers. *Dicebat enìm* [inquis] *ſi cui, vel crura, vel brachia fuerint abſciſſa, iſque poſteà adducta cicatrice ſanus alijs membris evaſerit; Hnic ſanguis, qui partes illas abſciſſas nutrire debebat, non nè, cum ſuperabundans ſit, nocumentum aliquod corpori afferet?* cui tamen difficili quæſito ſic reſpondiſti: *nec tali caſu ſuperabundare ſanguinem, nec ullum nocumentum corpori afferre. Natura enim* [dicebas] *de ſanguine illo, quo nutriri debuerant partes illæ divulſæ, maiorem efficit conſumptionem, & de illius ſuperabundantia maiùs efficit diſpendium &c.* quæ ſanè reſponſio præfatæ difficultati ſatisfacit. Natura enìm, proùt neceſſitas exigit, operatur, ut inductione maniſeſtiſſimum eſt. Quod ſi de ſanguinis ſuperabundantia in caſu illo maiùs diſpendium non fit, aut natura maiorem perſpirationem, aliamvè ſenſibilem evacuationem promovere non aſſueſcit, alterutrum neceſſariò fateri opportet, aut ſcilicet minùs pabuli admittere ſanguinem, aut in vaſis ipſum ſuperabundare, quæ omnia profectò poſſibilia ſunt.

Duo etiàm ſatis curioſa commenta objicis contra Galeniſtas Pag. 238.

metuentes

metuentes rareſcentiam ſanguinis vitioſam, pro qua arcenda venæ ſectionem inſtituunt. *Solet quidem* (inquis) *in ardentibus febribus, ac eriſipelate ſanguis plùs iuxtò rareſcere, ſed inanis eſt rupturæ vaſorum formido; Nunquam enìm ipſis contigit poſtrema tenſio, cum ſint valdè extenſilia; Neque ſanguis in vaſis, vita ſuperſtite, extremum raritatis attingit, cum per poros cutis, & meatus particulæ eius elaſticæ avolent; Quarè non crudeli impetu, & ruptura in vaſorum clauſtra deſeviunt &c Vivum enìm corpus undique perſpirabile eſt; ideòque à tot fermentationibus, & rareſcentijs nullus tumor metuendus;* Sed profectò miror te, qui alioquin venæ ſectionem adeò reformidas, ubi timoris vanitatem totius mundi experientia manifeſtam facit, non timere tamèn ubi maximè eſt occaſio timendi. Non nè ſanguinis rareſcentia nimia quandoque in ardentibus febribus vaſorum capillarium tunicas ità diſtendit, aut diſrumpit, ut inflammationem, ac tumorem alicubi producat? Non nè hac eadem de cauſa diſtentis nimium, atque ità diſtractis pulmonum vaſis, ut veſſiculas eorumdem pulmonum improbè premant, diſpnæam fieri vidiſti? aut alias preſſiones improbas, & morboſas alibi per nimiam ſanguinis rareſcentiam fieri? Time ergo quæ timenda ſunt, & inanis timoris ſpecies, ubi timendum non eſt, evaneſcat.

Alterum commentum, quod affers, ſatis profectò curioſum eſt; Nàm inquis: *neque ijs, qui cibo, & potui indulgent, facilem eſſe plethoram vitioſam; ſaburratus enìm ventriculus deflectit ab officio ſuo: Hinc ob Chili defectum maſſa ſanguinea non inſtauratur ut continuus eſt partium nutricatus; Iugitèr namque conſumatur ſuccus nutritius, ac ſanguinis tandèm moles imminuitur; igitur ijs qui lautè veſcuntur, difficilis plethora. Huic doctrinæ in oppoſitum ſe ſe agerit vetuſtas, quæ triplicem modum, triplicemque vivendi rationem dedit; plenam ſcilicèt, mediocrem, ac tenuem; ſed perperàm, quia victum pleniorem plurima circunſtant incommoda, vt dixi de ſaburrata ventriculi culina;* Quid autèm ſi valdè lauto cibo, & potui aſſueſcant homines, etiam citrà ſanitatis læſionem, ut re vera multos facere palam eſt, non nè commentum iſtud tuum corruit? Quamobrèm optimè dicit Sualve à te relatus, *corpus univerſa mole intumeſcere.* Tu autèm gratis omninò, & ſola fretus auctoritate tua contra ipſum hæc ſubdis. *Intumeſcit corpus non ob ſanguinis pleonaſmum, ſed à colluvie ſeroſa, vel humoribus rareſcentibus; redduntur turgida vaſa à ſanguine fermenteſcente; fit tenſum, & dolorificum à muſculis, membranis, nervis, alijſque partibus*

con-

convulſione affectis; Nàm rationes aliquas apparentes ſaltèm afferre debueras, quibus probare conareris non hæc à ſanguinis quoque plethora fieri poſſe.

Poterii verba multa, quæ integris paginis contrà plethoram citas, omittimus, utpotè jàm a te identidem allata, ſimulque a nobis impugnata, cum præſertim, nil aliud boni planè reſonent, quam auctoritates Sacræ Scripturæ, Cornelii a Lapide, ac ſimilia, quæ tuo primo capite congeſſiſti, quæque nullam difficultatem produnt.

Tandèm redis ad Galeni doctrinam de plenitudine quoad vires, iſtamque iterùm fateris eſſe frivolum Galeni commentum. *Detur*, inquis, *ſed non concedatur Galeno vires à ſanguine diſtingui, adhùc ſuprà captum eſt hujuſmodi plenitudo, quæ vires, non vaſorum capacitatem reſpiciat*. Sunt, ut docet Galenus, qui ſe ſe graves, pigros, ſegnes, atquè ægrè mobiles referant, quibus neque brachia, neque tibiæ, neque manus, neque partes aliæ pleniores videntur; Tu hæc phenomena malè à Galeno tribui aſſeris plenitudini quoad vires, ſubdiſque, *hujus ſæculi magnates Philoſophos, ac Medicos flocci ipſum habere, dicentes in ejus libris vana, & ridicula inveniri, omiſſis neceſſariis*. Ego equidem te inter megnates hujuſce ſæculi (quantum attinet ad Galenum, ejuſque ſectatores damnandos) primam ſedem occupare puto: Nulli enim ſecunda eſt hujuſmodi tua hæc contumelioſa loquendi ratio. Sed quoniam ex Sanctorii ſtatica deſumendam innuis *cauſam, cur ſe ſe graves, pigros, ſegnes, atquè ægrè mobiles aliqui referant*, ego autèm in ſcriptis meis ad pathologiam pertinentibus jàm pridèm oſtendere aggreſſus ſum, per certam theorematum ſeriem, geometrarum more, plenitudinem quoad vires à Galeno inventam, & impugnatam a Portio, ab imminuta etiam perſpiratione pendere, meam quoque ſententiam hac de re breviter proferam; Priùs autem, opportuna digreſſione, ſubiiciendam cenſeo ſeriem eorum, quæ conſcripſi, ut quæ adversùs laudati viri ſententiam adnotaveram, clariùs pateant. Pag. 250

Digreſſio ad plenitudinis doctrinam conducens.

» QUæcumque olìm de ſanitate, ac morbis conſcribere
» meditabar, me in primorum phyſiologiæ fundamen-
» torum contemplationem rapiebant, neque inter
» varias hypotheſes, quibus Auctores hujuſce ſæculi præſer-
» tim oblectantur, hanc, vel illam indiſcriminatìm ſeligere

,, cogitabam, qua lucubrationes meas qualeſcumque aptè poſ-
,, ſem explicare, ſed, veritatem avidè inquirens, de certitu-
,, dine hypotheſeos valdè ſollicitus eram. Fieri enim nulla-
,, tenùs poſſe rebar, ut, ſine certitudine hypotheſeos phyſi-
,, cæ, certi aliquid circà naturalem, vel non naturalem ſta-
,, tum hominis determinari poſſet; Cumque in examen prin-
,, cipiorum Renati Des Cartes incubuerim, neque ſolidis ta-
,, men fundamentis phiſiologiam ſuam, ut ut valdè ingenio-
,, ſam, præclariſque luminibus refertam, inniti depræhende-
,, rim; commentaria verò Clariſſimi Gaſſendi in Epicuri phy-
,, ſiologiam non omninò ad puram veritatis ideam comparata
,, eſſe noverim, atque cæteras tandem Chimicorum hypothe-
,, ſes phyſicas ineptas omninò perſpexerim, ea contemplatus
,, ſum principia phyſica, quæ publica magis, quæque magis
,, certa veritatem ſine fuco inquirentibus viderentur, quæque
,, non minùs antiquæ melioris notæ doctrinæ, quam recen-
,, tiorum methodo demonſtrativæ congruerent. Exindè enim,
De ſolido intra ſolidum nat. exiſtent. ,, ut monet Doctiſſimus Stenon, errores in re phyſica proflu-
,, xiſſe reor, quod multi non diſtinxerint ea, quæ dubia eſſent,
,, ab iis, quæ certò determinari poſſent, quodque ad libidi-
,, nem, quæ pulchra magis, aut nova viderentur, amplexi
,, fuerint. Quamobrem, per certam Theorematum, & pro-
,, blematum ſeriem, diſſertationem conſcripſi de primo re-
,, rum principio, corporis phyſici analiſim methaphyſicam
,, inſtitui, Ariſtotelis doctrinam enucleavi, & coherentèr pro
,, principiis naturam corpoream conſtituentibus aſſumpſi cor-
,, pus, & ideam. De loco, inani, tempore, infinito, & con-
,, tinuo, quæ ad motus cognitionem faciunt, deque ipſo mo-
,, tu diſſerui, omneſque motus ſpecies ad mutationem loci,
,, vel figuræ contuli; vacuum, cum Ariſtotele à phiſices con-
,, templatione rejeci: Naturæ abditam meditationem, pro
,, rei veritate magis, quam ſcribendi libidine, conatus ſum
,, explicare. Tùm corporis firmi, atque fluidi ideas [quæ
,, apprimè ad corporis humani, fluidorumque ipſius cognitio-
,, nem perducunt] expoſui, motuumque leges præcipuas, &
,, mechanices fundamenta conſcripſi. Omniaque ad claram
,, corporis phyſici, & motus localis ideam comparata ſunt.
,, Primum fluidum omnia permeans diverſa longè ratione, ac
,, Renatus Des Cartes demonſtravi; Quinimmò, vel contrà
,, magni, atque immortalis Præceptoris Borelli ſententiam,
,, continuum eſſe poſſe oſtendi. Cætera verò fluida neceſſariò
,, eſſe in particulas fluitando aptas diviſa, cum eodem cele-

berrimo

„ berrimo Præceptore Borello, ratus ſum.

„ Jàm verò, quoniam ſanguis corpus fluidum eſt, multa li-
„ quidarum, & ſolidarum partium varietate refertum, in
„ opuſculo de ſanitate ipſum breviter ad examen revocavi, &
„ ideò non ſimpliciter fluidum, ut æther, aqua, & hujuſmodi
„ alia, ſed fluidum compreſſile appellavi, ut lac, cæterique
„ animalium, & plantarum planè omnium latices, qui non
„ exigua ſui portione ſolidas comprehendunt moleculas di-
„ verſæ indolis equidèm, ſed aptè fluido aqueo, atque æthe-
„ reo commixtas, ideòque unum quid fluidum conſtituentes;
„ Analyſim ejuſdem ſanguinis (facem præbentibus Clariſs.
„ Viris, qui hac de re diſſeruerunt) breviter meditatus ſum;
„ &, combuſtibilium particularum materiam, in valdè ma-
„ gna ad alias particulas proportione, ſanguini intrà vaſa
„ fluenti mixtam eſſe novi. Tùm particularum omnium ſan-
„ guinis mixtionem perſpecturus, lemmata aliquot ex Hy-
„ droſtaticis præmiſi, ut earumdem particularum gravitatem
„ ſpecificam rimarer. Cum verò deprehenderim tàm in ſolo
„ albumine ſanguinis, quod ſerum dicitur, quàm in toto ejuſ-
„ dem aggregato, firmas moleculas multigraves eſſe, nedùm
„ ſubtiliori ſubſtantiæ, ſed ipſi parti aqueæ, operæ pretium
„ ratus ſum attentè meditari, qua ratione fieret, ut æquili-
„ brium, quod ad bonam craſim, & æquabilem fluendi ratio-
„ nem neceſſarium eſt, in ſtatu naturæ integro ſervaretur;
„ Tametſi enim validus cordis, & arteriarum motus ſufficiens
„ videri poſſit ad urgendum ſanguinem in magnos, atque
„ etiam minuſculos arteriarum canales, abſque eo quòd par-
„ tes omnes ejuſdem æquilibres, & æquabili fluendi ratione
„ inſtructæ ſint, neutiquam tamen percipio per minimas va-
„ ſorum anguſtias, abſque præfato æquilibrio æqualiter flue-
„ re poſſe.

„ Æquilibrium autem particularum ſanguinis, undè opti-
„ ma fluendi ratio pendet, in duplicem tantummodò cauſam
„ neceſſariò conferri poſſe oſtendi. Nàm primo ex Hidroſta-
„ tices legibus patet, quod ſi corpori ſpecificè graviori aqua,
„ jungatur materies eidem aquæ minugravis in ea proportio-
„ ne, ut compoſitum emergat, eamdem cum aqua gravitatem
„ ſpecificam obtinens, iſtud ipſi aquæ futurum æquilibre;
„ ideòque a minima vi externa in hanc, vel illam partem im-
„ pellendum fore, ac non minùs quam par aquæ moles, data
„ ſpatii capacitate, fluxurum; ſecundò patet etiam innatare
„ poſſe ubique in aqua particulas, cæteroquin multigraves, ſi

„ ſi in eas dividantur minutias, ut vis exceſſus gravitatis ea-
„ rumdem minor ſit vi, qua particulæ aqueæ divulſioni reſi-
„ ſtunt. Nec ulla umquam excogitari poteſt ratio alia, qua
„ innatent, æquiponderentque fluidis, quæ graviora ſunt ip-
„ ſis in ſpecie. Quibus poſitis, facile eſt percipere ſanguinis
„ particulas firmas, æquilibres fieri fluidis, alterutra, vel
„ utraque ratione.

„ Quoniam verò ad hoc maximè confert, imò apprimè ne-
„ ceſſaria eſt reſpiratio; uſus ejuſdem, quantùm ſpectat ad
„ præfatum effectum, brevitèr innuimus. Enimverò aer eſt,
„ qui mirabilem craſim liquidorum, ad animalia, & plantas
„ pertinentium largitur; atque in hunc etiam finem natura
„ hujuſmodi miracula circumſito aeri expoſuit. Clariſſimus,

In opuſculis ad Archibald. Pitcarnii.

„ & immortali honore dignus Laurentius Bellini mirabiles
„ reſpirationis uſus, vel in ipſis naturæ primordiis, in ovo
„ ſcilicet, rimatus eſt. Prodigia enim detexit ſapientiſs. vir
„ in aere obtuſum ovi angulum occupante; Tùm oſtendit, li-
„ quidis, quæ in pulmonem derivantur, aerem pulmonis
„ idem præſtare, *quod præſtat aer folliculi in liquidis ovum im-*

Prop. IX. pag. mihi 67.

„ *plentibus*, & quemadmodum ille illa mutat *in liquida primæ,*
„ *& ſuccedentibus formationibus apta*, *ità aerem pulmonis mu-*
„ *tare ſanguinem refluum*, *& chilum in illa liquida*, *quæ ſunt*
„ *apta continuæ formationi animalis*, *hoc eſt conſervationi ejuſ-*
„ *dem*; *cumque hoc dicatur produci ſanguinem*, optimè conclu-
„ dit *ſanguinem in pulmonibus per admixtionem aeris produci*.

„ Refert deindè celeberrimus vir prætioſas Malpighii ob-
„ ſervationes circà reſpirationis organa in omni viventium
„ genere, plurimaque in inſectis, & vel in ipſis plantis de-
„ tecta, quæ mihi pridem meritiſſimus ille Præceptor innue-
„ rat oretenùs Bononiæ, antequam publicata eſſet plantarum
„ anatomes; Obſtupebam tùnc profectò aſpiciens incompara-
„ bilem virum; ac mihi quoque obverſabatur animo, *quiddam*
„ *humano majus* (ut verbis utar Doctiſs. Præceptoris Bellini)
„ dùm admirabilem canalium aeris diſpoſitionem per omnes
„ plantarum partes illæ me humaniſſimè docebat. Quod verò
„ ad rem noſtram pertinet, hiſce generatim tantummodò præ-
„ miſſis, quæ præfati Auctores fusè proſequuntur, diù cogi-
„ tavi aerem, vel quid in aere latens, admirabilem quoque
„ fluendi vim latici plantarum, è radicibus uſque ad altitudi-

De mot. anim. p. 2. propoſ. CVIII. & prop. 30.

„ nem abietis, exempli gratia, aſcendentis, nedùm humano
„ ſanguini largiri. Doctiſſimi Borelli cenſuram contrà Mal-
„ phigium exaratam, qui reſpirationis ope ſanguinis maſſam

probè

„ probè miſceri ratus eſt, adnotavi; & oſtendere conatus ſum
„ vaſorum pulmonariarum anguſtias non obſtare, quo minùs,
„ ſanguinis, Chili, & limphæ particulæ, reſpirationis ope,
„ craſim, ac mixtionem ſuam aquirant, & inteſtino motu,
„ etiam vertiginoſo, ad probam mixtionem neceſſariò agi-
„ tentur. Videtur enim Clariſs. Borellus huic doctrinæ con-
„ tradicens, tantam ſupponere præfatorum vaſorum angu-
„ ſtiam, ut ne quidèm inteſtino motui particularum ſangui-
„ nis, aut (ſi mavis) naturali fermentationi ejuſdem [quam *Prop. 30.*
„ cæteroquin admittit] locum præbeat. Propoſitionem verò
„ meam Borello contrariam clarè deduxi, ex eo quòd, am-
„ plitudinis canalium, ut ut minimorum ad amplitudinem eo-
„ rumdem pororum in tunicis, proportio valdè magna ſit,
„ ideòque magnitudo particularum ſanguinis (quas e poris
„ horum vaſorum, per diapidiſim, aut per ſuctum, exilire
„ poſſe patet) ad amplitudinem eorumdem canalium valdè
„ exiguam proportionem habeant, ac proindè minutæ ipſæ
„ particulæ ſanguinis, in vnoquoque mollium canalium illo-
„ rum fluentes, aſſimilari poſſunt granis millii in ſaculo ob-
„ longo non exactè repleto contentis, in quo variis, & ver-
„ tiginoſis motibus moveri poſſe manifeſtum eſt. Itaque per-
„ ſpexi vaſorum anguſtias huic aeris officio non obſtare. Quin
„ imò, vel in ipſis perexiguis inſectis, quibus admirabilis, &
„ ſenſum omnem fugiens vaſorum tenuitas donata eſt, hanc
„ etiam aeris actionem in liquida contemplari ſubeſt.
„ Non auſus ſum determinare, annè particulæ illæ, quæ
„ ab aere in ſanguinem derivantur, nitri naturam ſapiant, ut
„ recentiores nonnulli exemplis ſuadere conati ſunt, aſſen-
„ ſum tuum, & aliorum promeriti; Hæc enim poſitio,
„ quamvis ingenioſa, & plauſu digna ſit, non eſt ex iis, quæ
„ certò determinari poſſint; Neque rursùs determinavi eam-
„ dem ob cauſam, annè machinulæ illæ ſpirales aeris, juxtà
„ placitum Doctiſs. Borelli, ſanguinem ſubeant; ſed illum
„ cogitavi tantummodò neceſſarium valdè uſum rectæ ſangui-
„ nis craſeos conſtituendæ, ut aptè, & æquabili motu per
„ anguſtias vaſorum hic fluere poſſet, etiam in inſectis per-
„ exiguis.
„ Et, quoniam ſunt in aere fluida tenuiſſima huic muneri
„ præſtando idonea, ſi fortè in ſanguinem aptè penetrent,
„ hiſce fluidis hoc munus deberi ſum ratus, præſertim verò
„ ætheri, ſivè ſubſtantiæ illi ubique diffuſæ, qua lux, & lu-
„ men conſtituitur, ſivè igni, quem Hippocrates, & Stoici

per

„ per omnia diffuſum contemplati ſunt, aut, (quod idem
„ eſt,) calori animali, quem Ariſtoteles in univerſo ineſſe
„ docuit, cum enim ſubſtantia hujuſmodi omnia propemodùm
„ permeans neceſſariò conſtet [hoc de nomine] particulis ad
„ fluendum maximè idoneis, & probabilitèr ſphæricis, fieri
„ omninò non poteſt, ut ſi liquidum quodlibet quamvis com-
„ preſſile vndèquaquè permenet, ipſum non reddant aptum ad
„ fluendum per minimorum canalium anguſtias. Contrà verò
„ compreſſile fluidum per haſce anguſtias traiici omninò non
„ poteſt, niſi lubrica interſpiret ipſum ſubſtantia hujuſmodi,
„ quæ particulas tenuiores à mutua cohesione liberet, atte-
„ nuetque quantum exigit idea fluidi, & vaſorum, per quæ
„ traiici debet, ratio.
„ Huic etiam tenuiſſimo fluido, ſanguinem aptè permeanti,
„ tribuendum eſſe munus excitandi caloris vitalis ex refluo
„ ſanguine, atque particulis chili mixtis, facilè oſtendi poteſt.
„ Diapneuſtiam verò ab eodem ſubtili fluido promoveri,
„ adeò perſpicuum eſt, ut ſine ipſo clarè intelligi non poſſit;
„ Effluvia enim, quæ generatim à quolibet liquido perſpirant,
„ magna ex parte mobiliſſima hujuſmodi natura conſtant, ac
„ reliqua perſpirando idonea, motu ejuſdem in perſpiratio-
„ nis motum rapiuntur.
„ His itaque ex phyſiologia delibatis, clariùs doctrina ple-
„ nitudinis à Galeno tradita percipi poterit, atque liberari à
„ difficultatibus eruditiſs. Portij, quibus tu opinionem tuam
„ de plethora, ne mutatis equidèm verbis, conſtituiſti. In
„ primis enim palam eſt exceſſu non minùs, quam defectu
„ deflectere poſſe ſanguinem à ſymmetria, & ab idea ſtatus
„ integri animalis; Nam, ſalubris copia ejuſdem liquoris,
„ illa eſt, quæ ſufficit ad alimentum, & vitalem calorem per
„ omnia membra diffundendum, ad materiam ſpirituum cere-
„ bro ſuppeditandam, ac demùm ad vaſa, nullis interceptis
„ inanibus ſpatijs, liberè percurrenda, ut alibi etiam fusè
„ demonſtravimus. Quamobrèm, ſi copia ſanguinis ab ha-
„ rum neceſſitatum ratione deficiat, ipſamve excedat, ſtatum
„ animalis non naturalem, & inſalubrem fieri neceſsè eſt.
„ Exceſſus verò hujuſmodi bifariam contingere poteſt;
„ primò ſcilicèt cum vaſa nimium replentur, itàut, præter
„ ideam naturæ diſtenta, preſſiones nimias exerceant, mor-
„ boſque varios, hac de cauſa, nec non inflammationes,
„ aut etiam diſruptiones minentur. Secundò cum, citrà im-
„ probam vaſorum diſtractionem, conferta, & conſtipata,

nimis

» nimis conſtituitur, quavis de cauſa, tota ſanguinis maſſa,
» itaut motus ipſius neceſſarij vitientur. Atque hæc, eſt ple-
» nitudo ad vires à Galeno tradita, quam Portius à te relatus
» reijcere conatur.

» Videamus modo quid ponderis habeant eruditiſſimi viri *De ſanguinis miſſione Dialogo pri. pag. 49. & ſeq.*
» argumenta. *Quæ comparantur* (inquit ille) *debent eſſe*
» *ejuſdem ſpeciei. Motus motui, ſiuè vires viribus; ſuperficies*
» *ſuperficiei, magnitudo trinè dimenſa, corpori, & ſanguinis*
» *quantitas capacitati vaſorum rectè comparantur. Tu verò*
» (ità contrà Galenum objicit) *ſanguinis molem, ſiuè quan-*
» *titatem, corpus ſcilicet trinè dimenſum viribus comparas &c.*
» Tùm ſubdit, *vel prætereà mihi videris Galene accipere ſan-*
» *guinem veluti plumbum, à cuius pondere viginti circitèr libra-*
» *rum, robuſti, & benevalentis hominis vires non opprimun-*
» *tur, valetudinarij verò opprimantur; ut expediat à ſanguine*
» *veluti à plumbo aliquid detrahere, ut infirmi hominis vires à*
» *pondere, & à ſarcina leventur, ac, qui mittendi ſanguinis*
» *indicationem pluries ſumendam duxeris a virium conſtantia,*
» *nùnc eandem ſumendam præcipis à virium infirmitate; cum*
» *ſe ſe graves, pigros, & ægrè mobiles ſentiunt ægroti, &c.*
» paucíſque interiectis ſubdit. *Sanguis non eſt veluti corpus*
» *grave extrinſecum homini, & nihil pertinens ad hominem, à*
» *quo ſi magìs, atque magìs detrahas, magìs, ac magìs leva-*
» *bitur homo, &c.* Quoniàm minùs, atque minùs gravabitur
» à minore, atque minore extrinſeci plumbi pondere. *San-*
» *guis eſt quid intrinſecum homini, eſt quid pertinens ad ho-*
» *minem, & vires corporis nequaquam ſunt independentes à*
» *ſanguine.*

» Rectè quidèm hæc omnia procederent, ſi verum eſſet,
» quod ſupponere videtur eruditiſs. vir: corporis vires ità de-
» pendere à ſanguine, vel tanta neceſſitudine cum ipſo iun-
» ctas eſſe, ut incremento, atque decremento ejuſdem ne-
» ceſſariò proportione reſpondeant: At verò meliùs docuit *Lib. de plenitud.*
» Galenus *neque ex incremento, neque ex ſanguinis decremento*
» *vires neceſſariò augeri, vel minui*, dummodò hæc doctrina
» ità percipiatur, ut incrementum, aut decrementum fines
» ab idea naturæ conſtitutos non prætereant. Enimverò, ut
» ex ſuperiùs adnotatis conſtat, vires, non ex ſola ſanguinis
» ſubſtantia, & quantitate utcumque congeſta in vaſis, de-
» pendent, ſed ex ea ejuſdem ſubſtantia, & quantitate pro-
» ficiſcuntur, quæ non obſtet permeanti undéquaque fluido
» æthereo, ad exerendas vires, caloremque vitalem excitan-

dum,

,, dum tantoperè neceſſario. Cùm etenim ſanguis fluidum
,, compreſſile ſit, utpotè particulis multis conſtans ad mutu-
,, am cohęſionem aptis, & comparatis, cur non poteſt con-
,, tingere, ut ijſdem conferta ſit ſanguinis maſſa, etiam citrà
,, nimiam vaſorum diſtractionem, ſi minùs occupent ſpatij,
,, aut quod idem eſt, denſentur magis? Et quare hoc de no-
,, mine permeanti ætheri, reſiſtere non poteſt, atque officere
,, quo minùs inſpiratum iſtud fluidum neceſſitates præfatas
,, impleat, prout idea benè valentis hominis exigit? Profe-
,, ctò, cùm ità ſe res habere facilè poſſit, ut manifeſtiſſimum
,, cuilibet attentè conſideranti ſit, fallax omninò depræhen-
,, ditur eruditiſſimi viri argumentum. Rectè enim à Galeno
,, comparatur viribus conferta huiuſmodi ſanguinis quanti-
,, tas, quatenùs hoc de nomine motibus reſiſtit ad exerendas
,, vires neceſſarijs; eſtque hæc comparatio veluti momenti
,, reſiſtentiæ ad motum ſubtilis illius ſubſtantiæ, quæ neceſ-
,, ſariò ab aere pulmonum in ſanguinis penetralia profluit,
,, vitalem ſanguinem reddens; & quoniàm in huiuſmodi caſi-
,, bus, detracta ſanguinis portione per venæ ſectionem, huic
,, improbæ reſiſtentiæ neceſſariò medemur, ut re ipſa liquet,
,, atque ex ſuperiùs dictis conſtat, falſas omninò eſſe patet
,, Eraſitrati, atque Helmontij apud eruditiſſimum virum
,, poſitiones, contrà Galeni doctrinam, tot ſæculorum expe-
,, rimentis comprobatam.

,, Neque ullius momenti eſt obiectio alia, qua inconſtan-
,, tiam videtur affingere Galeno, nùnc a virium robore, nùnc
,, ab infirmitate earumdem deſumenti indicationem mittendi
,, ſanguinis; Nàm virium infirmitas, in hiſce caſibus, ab op-
,, preſſione vel gravamine dependet, juxtà præfatam doctri-
,, nam a tot celeberrimis viris omni ſæculo comprobatam;
,, ideòque, cum vires neceſſariò leventur detracta oppreſſio-
,, nis cauſa, per indè res ſe habet, ac ſi vires conſtantes venæ
,, ſectionem expoſtulent.

Lib. de curat. rat. per ſang. miſſ.

,, Atque hæc manifeſtam faciunt Galeni doctrinam, qui
,, alibi calorem naturalem, ſeù vires comparat igni, &
,, ſanguinem lignis, ſivè viridibus, ſivè ſiccis; clarè docens,
,, quemadmodùm in lignis comburi idoneis perſeverat, du-
,, ratque qui in foco eſt ignis, ità in ſanguine benè habente,
,, nec nimis conferto, calorem naturalem conſiſtere; Et ut
,, exiguus ignis obruitur, congeſtis in eum lignis, quantum-
,, vis ad comburendum idoneis, ità calorem, ſpiritus, & vi-
,, res naturæ obrui a nimia ſanguinis copia, ſcilicèt (ut in-
terpre-

„ terpretor) a ſanguine particulas conferctim nimis congeſtas
„ habente, ac perſpirantem æthera, ut par eſt, non admitten-
„ te, cujus profectò motus in primis conſiderandus erat ab
„ eruditiſs. Portio dicente vires, & robur, ſivè, quem dicit
„ Galenus, calorem naturalem *conſiſtere in motibus liquida-*
„ *rum ſubſtantiarum, quotcumque illæ ſint, & quocumque no-*
„ *mine appellentur &c.* ſi enim hæc laudatus vir animadver-
„ tiſſet, Galeno potiùs, quàm Eriſitrato, aut Helmontio
„ fautorem ſe præſtitiſſet.

Sed, ut ad noſtram diſputationem redeamus, in examen revocandæ ſunt cauſæ plenitudinis, quæ vires reſpicit. Tu enim potiſſimam ex Sanctorio indicaſti, ad quam cum pridèm Galenus reſpexiſſet, non videtur tanta convicia tua mereri. Omnes cauſæ plenitudinis ad tria ſumma capita neceſſariò reducuntur, aut enim plenitudo fit, quia ſupprimuntur, quæ decedere debent, particulæ, aut quia derivatus in ſanguinem Chilus, proportionem majoris inæqualitatis habet ad omnes, quæ decedunt a ſanguine, partes, aut demùm quia utrumque contingit. Neceſſariò quippè, hiſce poſitis, conſequitur aucta ſanguinis quantitas, vel vaſa diſtendens, vel ſaltèm, intrà eumdem perimetrum contento ſanguini, conferctiores particulas congerens, ut ſuperiùs clarè adnotavimus.

Tu ex Sanctorii ſtatica deſumis cauſam: cur ſe ſe graves, pigros, ſegnes, atque ægrè mobiles referunt, quos Galenus plenitudine opprimente vires laborare docuerat. Quid autèm aliud Clariſs. Sanctorius præſtitit, quam Galeni doctrinam de prohibita tranſpiratione, utilibus experimentis, dilucidare? Quid aliud tu ipſe refers ex Sanctorii ſtatica medicina, niſi quod prohibita ſanguinis perſpiratione, quantitas ejuſdem neceſſariò augeatur? Profectò in diſſertationibus meis, quas innui, ad pathologiam pertinentibus, demonſtravi plenitudinem ad vires, aut a prohibita perſpiratione produci, aut, ſiquidèm ab aliis etiam cauſis fiat, neceſſariò cum illa coniungi, ſi æqualis Chili copia in ſanguinem derivatur.

Idque omninò manifeſtum eſt; Efluvia etenim, quæ alioquin deceſſura erant ex ſanguine, ſi retineantur, eodemque tempore conſueta Chili copia in ſanguinem derivetur, neceſſariò loculi replebuntur, quos alioquin perſpirans æther occupaſſet; cumque in hoc plenitudinem ad vires conſiſtere pateat ex nuper exaratis adverſùs Portium, nulla ulteriùs demonſtratione res indiget. Quod ſi ab alia cauſa ponatur fieri hujuſmodi plenitudo [quum vires obruantur expoſita ratione]

Kk mani-

manifeſtum etiam eſt cum hac eadem neceſſariò prohibitam tranſpirationem coniungi. Si enim proba fieret tranſpiratio, non impediretur motus ætheris in penetralia ſanguinis. Vide igitur quam inanibus conviciis Galeni doctrinam carpis, non re, ſed verbis tantummodò a doctrina Sanctorii diſcriminatam, ſed alia jàm, quæ contrà ſanguinis miſſionem attuliſti, expendamus.

COROLLARIUM.

QUæcumque hallucinatio, & confuſio, & fallacia paralogiſmis adverſariorum obtruſa facilè ſolvitur ex ſuperioribus; cum enim vulgus reformidet læſionem virium in venæ ſectionibus, hinc facilè ipſi imponunt adverſarii, qui nihil aliud inculcant niſi ſanguinis miſſionem vires enervare, corpuſque evidentèr debilitare, & alia hujuſmodi ſpecioſa verba. Ex dictis autèm ſuperiùs in digreſſione noſtra manifeſtè conſtat: vires quantitati ſanguinis, non eſſe neceſſariò proportionales, ſivè, ut Galenus dixerat, neque ex ſanguinis incremento, neque ex decremento vires neceſſariò augeri, vel minui; ſed re vera dari, imò plerumque contingere in morbis plenitudinem ſanguinis opprimentem vires, ut ex Sanctorii experimentis etiam conſtat; ideòque in hiſce caſibus patet luculentèr, miſſione ſanguinis congrua, ne dùm non lædi vires, ſed augeri, vel, quod idem eſt, ab oppreſſione liberari.

CAP. XIV.

In quo expenduntur rationes, quibus Dominicus là Scala demonſtrare aggreditur, *Inflammationem per immanes venarum apertiones non curari.*

OCculta profectò, & planè nova profers, dùm inquis, *per truculentas venæ ſectiones augeri inflammationem, & ægrotum feſtinantèr ad ſepulchrum, vel ad imminens vitæ periculum duci.* Sed videamus argumenta tua, quibus fretus rem admirabilem, & inauditam pronuncias. *Hoc patet* (inquis) *unicuique a præjudiciis Galenicis libero nullum tumorem fieri per fluxum qua talem, utpotè naturalem, ſed omnem tumorem per congeſtionem fieri. Sit poſtulati loco,* [ſubdis] *ſanguinis circuitus:*

Pag. 243.

cuitus: certum eſt quando ſanguinis, lymphæ, ſucci nervei, chili, aliorumque humorum fluxus, aliqua ex parte impeditur propter obſtructionem, ob quam ſanguis, & prædicti humores aliqua ex parte congenerantur alicubi, & accumulantur, evidentiſſimè ſequi per venam ſectam ſanguinis ſubtiliorem, ac volatiliorem portionem educi, craſſiorem remanere, quæ, dùm circulatur, obſtructionem pereptat, eique accumulatur; Quare aucta obſtructione, fit in aliis vaſis compreſſio; Hinc augetur tumor, ideſt humorum fluxus in prædictis vaſis ſtagnat, ac impeditur.

Profectò novam propoſitionem tuam demonſtraturus more Geometrarum poſtulata præmittis, & poſtulatum nos æquidem concedimus, ſed vim demonſtrationis, quam promiſeras, nondùm in allato contextu cognovimus. Quin imò falſam eſſe ſuperiùs oſtendimus, ac vel ex tuis verbis, tibi ipſi contradicentibus, deduximus. Evidentiſſimum eſſe ſupponis, per venam ſectam: ſanguinis ſubtiliorem, ac volatiliorem portionem educi, craſſiorem remanere, quæ obſtructionem, inflammationemque adaugeat; Quomodo ſanguis, cæteroquin æquabilitèr fluens per minimas vaſorum propagines, facto per venæ ſectionem emiſſario, longè magis amplo, quam ſit minimorum vaſorum capacitas, inæqualitèr fluet? Qua neceſſitate craſſiores particulæ ſanguinis, dùm liberè ille per emiſſarium efluit, intrà venas retinentur? Profectò, ſi verùm hoc eſſet, quod evidentiſſimum tu eſſe ſomnias, Seneca Neronis juſſu moriens non effudiſſet æqualitèr, & promiſcuè ſanguinem, nam per emiſſaria vaſorum ſubtilior tantum, & volatilior portio educta fuiſſet, non totus ſanguis. Sed ſi adeò intrepidè hanc evidentiam, ignaris venditare volueras, cur anteà dixiſti: poſt venæ ſectionem, *remanere ſanguinem in vaſis eadem proportione impurum, ut priùs?* Non nè vides, vel te ipſo Judice, falſiſſimum eſſe quod evidentiſſimum gratis pronuncias? Eruditiſs. quoque Portius contrà hanc nudam animadverſionem tuam inquit. *Dùm ſanguinis, aut aliarum ſubſtantiarum ſemper cordis motu in circulum actarum, ſecto vaſe, aliquid detrahitur, id, quod ſupereſt in vaſe, omninò remanere quale priùs fuerat.* Supereſt equidèm poſt eductum ſanguinem aucta velocitas, qua mutatur in meliùs quod in vaſis remanet, quod tamèn educitur, ſecundùm eamdem ſubſtantiarum componentium rationem educitur. Idque ſanè evidentiſſimum eſt, ex legibus fluidorum, nec ulli dubium eſſe poteſt, ideòque tu evidentiſſimè falſum pronunciaſti. Quoniàm verò, ut identidem oſtendimus, emiſſo ſanguine,

Cap. 3. Paragr. 182.

Pag. 270. in fine.

De ſangu. miſſ. pag. mihi 270.

augetur neceſſariò in remanente velocitas, hinc facilè fit, ut, quod ſtagnat in vaſis, obſtructionem, atque inflammationem conſtituens, velociore motu ſanguinis totius urgeatur prorſùm, & à diſtenta parte dimoveatur. Præterquamquod, ſi tantum ſanguinis detrahatur, quantum res exigit abſque virium læſione, vaſa faciliùs contrahuntur imminuta reſiſtentiâ, eodemque de nomine ſtagnantis ſanguinis dimotio ſequitur, ac tutò curatur inflammatio. En igitur quid valeat inverſa ratio tua, & attentiùs reſpice an nè qui Galeni, aliorumque doctrinam hiſce comentationibus tuis flocci feceris, maturum magis judicium ſis prolaturus; Reliqua verò jàm expendamus argumenta.

Secundò, inquis, *inflammatio eſt tumor, cujus mutationes ſunt celeres: Hæ ejus eſſentiam conſtituunt; rubor, febris, & dolor maximè pulſatilis, vel ſunt effectus, vel cauſæ tumoris, hic etiam ſi rubeat, non dicitur inflammatio, ſi mutationibus careat; has dicimus reſolutiones, ſuppurationes, diſruptiones, humorum effuſiones è vaſis: ſeparationes, & quod peregrinum eſt, gangrena, ſphacelus, aliæque ſimiles dicuntur. Dolor non eſt de inflammationis eſſentia: ſunt quædam inflammationes, quæ a Medicis occultæ appellantur, abſque dolore patientes divexantes, ut ſunt peripneumoniæ, pleræque pleuritides. Febris eſt effectus tumoris celeris motus, quæ interdùm non percipitur: ſunt ergò febris, & dolor ſymptomata ſeparabilia a tumore celeris mutationis; Hic procreatur quando aliquid reſtagnat, ſcilicet alicubi eſt infixum, eſtque in vaſe aliquo, vel meatu, vel infundibulo, vel inter fibras alicujus partis eſt coactum, aut alitèr ipſi adhæret, & ſic morbum procreat.*

Quid indè, aut quid in hoc integro paragrapho tuo eſt, quod venæ ſectionem reprobare poſſit? Enimverò quià inflammatio tumor eſt, cuius mutationes ſunt celeres, & cuius ſymptomata ſunt febris, dolor, &c. citò Medici expoſcit auxilium, ideòquè citò ad tutiſſimam venæ ſectionis opem prudens Medicus confugere debet, nè ſuppurationes improbæ, aut fatales diſruptiones, humorumque effuſiones in internis inflammationibus contingant, ſed res ſecuriùs comparetur. Ad reliqua.

In tumore, ſubdis, *tùnc fiunt celeres mutationes, quæ conſtituunt inflammationem, quandò ex fluido in vaſis ſuis valdè diſtentis, partibuſuè quibuſuis alijs ſtagnante, mox evaneſcere incipiunt partes fugitiuæ, tùm acidas, tùm alteriùs generis, temperare ſolitæ. Undè acriores redditæ in ſe mutuò inſurgunt, fermenta-*

mentationemque calidam, ob partes fluidi oleoſas præſentes, excitant: Quin paulatim fluidum ità alterant, ut in pus vertatur, & quidem pro fluidi corrupti varietate planè vitium erit. Proſequeris autèm. *Per fluidum non intelligo illam partem ſanguinis rubram (hæc enim inalterabilis eſt, in pus minimè convertibilis, ut demonſtrat famigeratiſs. Entius) ſed albam, ſeù ſerum concreſcibile, quod prædictis alterationibus obnoxium eſt. In inflammatione eſt trombus, ſeù pars rubra inalterata, & coagulata ob ſpirituum fundentium volatum; eſt pars alba fermenteſcens celerum mutationum cauſa, neutra à phlebotomia amovibilis: Illa, quia non eſt fluxui parata, nam fluxibilitatem amiſſit; hæc quamuis fluida ob fermentationem ab obſtructione eſt impedita, & cum reliquo ſanguine non circulatur: Curatio igitur regia per fundentia trombum, & obſtructionem eſt abſolvenda, qualia ſunt acidum concentrantia, tùm fixa, tùm volatilia.* Pag. 245.

Multa profectò dicis, ſed nihil aptè: In primis enim mutuatam aliorum Hypotheſim explicaturus, cauſam afferre debueras cur evolatis partibus fugitiuis, aliæ partes tùm acidæ, tùm alterius generis in ſe mutuò inſurgant? quo motore ad fermentationem excitandam compellantur? Interpellant alij (à quibus hypotheſim non integrè mutuatus es) fluidum ſubtile Renati des Cartes, ſed illius hypotheſis non eſt publica: de hiſce non eſt hic diſceptandi locus, nec hypotheſim à te aſſumptam reijcere neceſsè eſt, cum nihil obſtet venæ ſectioni; ſatis eſt innuiſſe breviter dictis te magis, quàm rationibus abundare. Quomodò autèm hæc dicta tua venæ ſectioni refragantur, cum hæc ſuppurationes improbas prohibere, atque optatas reſolutiones, citò adminiſtrata, promovere poſſit? *Tuus iſte trombus, ut & pars alba* in inflammationibus, quæ nondùm ad ſuppurationem tendunt, ſecta vena circà morbi initium, & educta ſufficiente ſanguinis quantitate, magna ex parte in fluxum urgeri poteſt per directiones canalium, imminuta reſiſtentia, & aucta tùm ſanguinis velocitate, tùm vaſorum contractilium vi, ut identidèm oſtendimus. Re autèm ità comparata, ſpes eſt fore ut reliquum, quod è vaſis diſtentis dimoveri ſola miſſione ſanguinis non potuit, ad reſolutionem pertendat, vel ſaltèm non in tantum vitæ diſcrimen ſuppuratione ſua ægrum perducat. Tu curationem laudas, *per fundentia trombum, & obſtructionem, qualia ſunt acidum concentrantia tùm fixa, tùm volatilia.* Iſta verò fiducia tua, quam ejuſmodi p æſtas medicaminibus, mihi videtur ſimillima magnæ illi confidentiæ, qua te demonſtraturum pollicitus es inflam-

mationes

mationes per venæ ſectionem non curari. Nos verò in præcipiti morbo confidere non debemus remedijs, quæ vel ſpem noſtram fallant, vel tardè ſaltèm, minuſque efficacitèr operentur.

Doctrinam Helmontij adducis, qui curationem pleuritidis per venæ ſectionem improbat, nam, ut loquis cum ipſo, *pleuritidis eſſentia non conſiſtit in inflammatione; hæc enim eſt ſymptomatica, & quid poſteriùs concomitans pleuritidis eſſentiam, ſeù radicem*, quam Helmontius conſtituit in *aciditate peregrina* archeum moleſtante veluti infixa ſpina, &c.

Pag. 245. In hoc autèm obſervo in primis tacitam præfatis verbis tuis contradictionem, nam qui ne inflammationes quidèm venæ ſectione curari dixeris, modò cum Helmontio ſanguinis miſſionem in pleuritide reprobas, eo quia in inflammatione pleuritis non conſiſtat; Quaſi dicens venæ ſectione curandam fore, ſi conſiſteret in inflammatione; ſed vlteriùs data etiam Helmontio *aciditate* iſta peregrina, quæ ſpinæ ad inſtar fibris affixa ſit, oſtendere adhùc poſſumus venæ ſectionem, vel contra hanc cauſam opitulari. Cum enim fluidorum omnium noſtri corporis motus ſibi viciſſim reſpondeant, ac detracta opportuna ſanguinis quantitate, faciliùs fibræ omnes contractiles in ſuas veniant contractiones, manifeſtum eſt etiam, hoc de nomine, id quod fibris affixum erat, velut ſpina, faciliùs emiſſo ſanguine dimotum iri.

Pag. 246. Quod verò ſubdis, te fælicem in praxi doctrinam Helmontij expertum fuiſſe, in fine huius libri ad examen revocabimus, & oſtendemus quàm facilè tu ipſe, & alij decipi potuerint in proprijs etiam obſervationibus. Intereà Helmontij verba afferamus, ut ſola eorum lectione mendacium pateat, *Ego ſanè* (inquit) *nemini pleuritico ſanguinem mitto eſtque curatio eiusmodi tuta, certa, commoda, & ſolida, nemo illorum perit, ubi interim ſub phlebotomo plures longa tabe pereunt, & quotannis recidivam experiuntur; Iuxtà Gal: enìm quicumque die quadrageſimo non ſunt perfectè ſanati, tabidi fiunt; Ego verò intrà paucos dies perfectè ſano, nec recidiuam ſentiunt. Nec quidem ſolus ab hoc mea arcana habeo: Quinimò vidi Ruſticum omnes pleuriticos tertio potu ſanantem; utebatur enìm ſtercore iumenti, pro viro, & caballi pro muliere, quod diluebat in cervisia, ac colaturam expreſſam propinabat. Tanta ſcilicet eſt Medentum ignorantia, tantaque ſcholarum pertinacia; Quod Deus ruſticis, & paruulis dat ſcientiam, quam ethnica littera inflatis deneget.* Eia itaque vos, qui pleuritide tentamini, ad iumenti, & caballi

balli arcana properate, & iumenti quidem, ſi viri eſtis, arcanum ſeligite, caballi ſi fæminæ, ut ritè curatio veſtra inſtituatur, cum nemo illorum perierit, quibus *tuta, certa, & commoda ejuſmodi curatio adminiſtrata ſit!*

Occulta hæc remedia, quæ pandis, auctoritate confirmas *nervoſi*, ut inquis, Tachenij, cuius etiam contextum à te relatum adnotare placet. *Hoc in caſu* [inquit ille] *Veteres noſtri indagarunt pleuritidis ſpecifica remedia, ſtomaco familiariſſima, & quæ abundant alkali volatili, quo acidum errans confeſtim abſumere poſſunt; ex illorum claſſe ſunt ſanguis hirci, ſuccus cicorei ſylveſtris, priapus cerui, vel tauri, ſemina carduorum, & ſimilia;* ubdit que: *non omittendus ſpiritus vini ſaturatus camphora, & croci tinctura, cuius viginti plus minus guttis in uncijs duabus olei lini recentèr expreſſi datis, indubitatè ſanantur omnes pleuritici, imò, & quos vel animam iam iam expirare timebatur. Sunt qui etiam in ſyrupo papaveris eratici, vel oleo amigdalino proponunt; ſed oleum lini ſpem nunquam fefellit, etiam viz. ſanguine non evacuato. Camphora nimirùm eſt alkali volatile, quod ſtatim acidum putrefactiuum, & rodens abſorbet, ut ſuo loco de camphora dicturus ſum &c.* Hanc verò Tachenij mixturam, nec non magiſterium cornucerui, ſpiritumque ejuſdem, ſal armoniacum, ſpiritum dulcem, ſpiritum fuliginis, Hirci ſanguinem, ſalem prunellæ, Lucij mandibulas, Cancrorum oculos, flores papaveris rubri, ſuccum è ſoncho expreſſum, dentem apri, & ſimilia, ſale alkali prædita, ut inquis, fæliciſſimo cum ſucceſſu identidèm expertus es, nō tamèn aſſeris, ut præfati Auctores, neminem perijſſe, *& omnes indubitatè ſanatos fuiſſe, vel animam iam iam expiraturos*. De le B è Sylvij, nec non Iacobi Van Adden auctoritates addis, ut ſuadere coneris pleuritidem ejuſmodi remedijs abſque venæ ſectione curari poſſe. Nos verò hæc omnia opportunè adminiſtrata præſidia non improbamus, quinimò vel ipſa Helmontij arcana fælici ſucceſſu experti ſumus. Non propterea tamèn ipſis adeò confidimus, ut quod omnis ætas tutiſſimum experta eſt remedium, quodque recta, & inconcuſſa dictat ratio, venæ ſectionem ſcilicet, omittere minùs cautè audeamus; Neque enim adhùc, inter tot congeſtas eruditiones tuas, demonſtrationem ullàm legimus, ut in fronte capitis promiſeras. Pag. 247.

Sed fortè propoſitionis tuæ nimis generalis te pænituit: qui enim videbaris demonſtraturus *inflammationem per immanes venarum apertiones non curari*, modò inquis *errorem eſſe in quacumque pleuritide venam ſecare*, atque diffuſum Proſperi Pag. 248.

Martiani

Martiani contextum refers, quo ille quandoque in pleuritide non convenire ſanguinis miſſionem juxta mentem Hippocratis aſſerit; Hippocratis verò mentem Galenus rectè interpretatus eſt, quod ſcilicet venæ ſectio omittenda ſit in pleuritide miti, & omninò ſalutari, de qua etiam Hippocrates a Martiano relatus *pleuritides ſimul bilioſæ, & ſanguineæ, ut plurimùm nono; aut undecimo judicantur, & maximè ſalutares ſunt.* Quid autèm hæc doctrina officit quo minùs, ubi pleuritis non omninò ſalutaris futura eſt, venæ ſectionem in principio indicet? ſalutares equidèm pleuritides poſſunt præfatis arcanis curari abſque venæ ſectione, imò etiam abſque magniloquo apparatu arcanorum, & hæc eſt fallacis veſtræ experientiæ cauſa; ubi verò prudens Medicus, magnitudine morbi circûmſpecta, veretur ne in vitæ diſcrimen ducendus ſit æger, excuſari ab impietate non poteſt, ſi tutiſſimum venæ ſectionis remedium omittat.

Lib. coact. pronot.

Alios Hippocratis contextus affers, in quibus de ſanguinis miſſione in pleuritide non meminit. Pleuritidis tres Hippocratem feciſſe ſpecies commentaris; Quarum prima eſt, quæ ad infernas partes convertitur, dolorem ad veſicam diſtribuens, multùm, ac bilioſum ægro mingente, atque hæc per diuretica ex præcepto Hippocratis curatur. Secunda ſpecies illa eſt, in qua *pars a rigore contracta fuit, & in ipſa irruit ad alas, & claviculam, & humerum, & convellit, & dolorem inducit*; cujus curationem meritò Hippocratem abſolvere inquis per ea, quæ faciliorem reddunt ſputi excretionem, cum ſuperiora occupet pleuritis. Tertia tandèm, & ultima ſpecies a te adnotata, ea eſt, quæ poſteriores partes magis infeſtat *circà dorſum*, cujus curatio in refrigeratione videtur conſiſtere.

Pag. 250. & 251.

Quoniam verò in omnibus inflammationibus internis Hippocrates alibi venam ſecandam eſſe docet, atque generatìm in aphoriſmis monuit, ut in principiis, ſi quid videatur movendum, moveatur, id quod Galenus tùm de ſanguinis miſſione, tùm de purgatione, maximè verò de ſanguinis miſſione intelligendum eſſe commentatur: mirum non eſt ſi Hippocrates ubique generalia præcepta circà venæ ſectionem in inflammationibus non repetat. In prima ſpecie pleuritidis a te poſita, quæ urinam movent, utilia ſunt, quid autèm ad urinæ evacuationem ſicuti generatìm ad alias excretiones, magis conducere poteſt, quam ſanguinis miſſio, ut alibi adnotavimus? In ſecunda ſpecie ſputum promoventia laudantur, miſſione ve-

rò ſanguinis in principiis celebrata promovetur anacatarſis eadem de cauſa. Quocircà Hippocrates lib. 1. de morbis: in peripneumonia, & pleuritide ſine ſputo, venam ſecandam eſſe expreſſè docet. In tertia tandèm ſpecie pleuritidis, refrigerantibus inſiſtendum eſt, ut inquis; Quid autèm refrigerare magis poteſt, quam venæ ſectio?

Anaxionis exemplum venæ ſectionis ab Hippocrate præſcriptæ utilitatem in pleuritide confirmare videtur, tu autèm nova planè animadverſione, ignaro, ut ais, vulgo ignota Hippocrati errorem affingis, eo quod Anaxion in deteriùs ſe habuerit *ob celebratam venæ ſectionem*: afferamus Hippocratis contextum, & omiſſa vulgi medentum, quos *flocci* habes, opinione, commentaria tua nova expendamus. *Abdere Anaxion*, inquit Hippocrates, *in febrim acutam incidit; Dexteri lateris aſſiduus dolor eum cruciabat, tuſſim habebat aridam, neque primis diebus expuit, ſitibundus erat, & inſomnis, urinæ boni coloris, multæ, & tenues, ſexto die delirabat, & fotibus nihil remittebatur, ſeptimo magis laborabat, quippè febris magis intendebatur, nec imminuebantur dolores, ſimulque tuſſes infeſtabant; Difficultèr etiam reſpirabat. Octavo cubitum ſecui, multum, ut debebat, efluebat, leniores ibi evaſerunt dolores, ſed tuſſes aridæ permanebant. Undecimo febres fuerunt mitiores; aliquantùm circà caput ſudavit, etiam nùm tuſſes durabant, &, quæ a pulmonibus exibant, liquidiora erant. Decimo ſeptimo cæpit pauca concreta expuere, & levatus eſt. Vigeſimo ſudavit, febre liberatus eſt &c.* Hactenùs ille; tu autèm ſubdis. *Nil mirum ſi pro venæ ſectione leviores evaſerint dolores, ob ſenſum diminutum a ſpirituum jactura, ſeù ſanguinis effuſione cauſata, ſed cauſa morbi facta eſt contumacior, & crudior, quin tuſſes aridæ permanſere. Fuit Anaxion priſtinæ ſanitati reſtitutus ob febres (quibus ait Hippocrates plures curantur morbi), ſudores anacatarſim, per vias urinæ excretionis, nequaquam ſanguinis miſſionem.* Pag. 252

Perbellè profectò, ſed brevis nimium eſt animadverſio hæc tua; Deſiderarem etenim aliquid aliud, ut ultimam contextus tui propoſitionem probares. Abs re igitur, (ut opinaris), Hippocrates Anaxioni cubitum ſecuit, nàm curari poterat illius morbus febre ipſa. Ego tamèn vereor ne tuſſes aridæ, diutiùs perſeverante febre; permanſuræ fuiſſent; ſanguinis miſſione liberatus equidèm eſt a doloris vehementia æger, ſed hoc factum fuiſſe interpretaris à ſpirituum jactura ob evacuationem ſanguinis, an nè dolor, qui ſanguinis miſſione mitiga-

tus fuit, ſpirituum copiam præſtabat? ſed non ferendus videtur Hippocratis error, qui cum multos noverit morbos per febrem curari, ſanguinis miſſionem nihilominùs Anaxioni præcepit, qua *febres mitiores* factæ fuerunt; opportebat enim febrem, qua morbus anaxionis, te iudice, curandus erat, augere, non minuere, ut citiùs ægrum liberare poſſet. Hanc animadverſionem tuam memoriæ mandent ſectatores.

In doloribus lateris, qui, citrà notas veræ pleuritidis, contingunt, Hippocrates, à te relatus, & Galenus itidem, ſanguinis miſſionem non convenire docent, imò quandoque nocere, ut Duretus etiam adnotat, ſi à catharri, potiùs, copia, quam orgaſmo ſanguinis fiant. Vtcumque ſe res habeat; nàm huiuſmodi, & alia Dureti, ac Martiani commentaria ſuas quoque patiuntur difficultates, quamuis non ſempèr ſpuriæ pleuritide laborantibus, quæ præſertim ſponte, vel mitioribus, præſidijs adhibitis in ſanitatem eſt abitura, ſanguinis miſſio perſcribenda non ſit; Quid indè poſſis deducere contrà rectum phlebotomiæ uſum, profectò non vidèmus.

In illa verò ſpuria pleuritide, quam Hippocrates purgatione curandam proponit, tutiùs venæ ſectionem Galenus commendat, ipſumque Valleſius, & alij melioris notæ medentes iure meritò ſequuntur, non obſtante Martiani, atque Dureti opinione. De hiſce autèm hic fuſiùs differere, nec inſtituti ratio patitur, nec ullatenùs neceſſarium eſt, cum ex ſuperiùs dictis neceſſariò deduci poſſit praxeos Galenicæ ſecuritas, cumque præſertìm, admiſſa etiàm in hujuſmodi caſu eorum doctrina, qui purgationem laudant, non proindè ſequatur in pleuritide legitima, undè venæ ſectionis indicatio emergit, *damnandam fore phlebotomiam*.

Pag. 155. de ratione victus in acutis.

Regiones quaſdam prohibere venæ ſectionem, inquis, referentibus Cælio Aureliano, Martiano, atque Hollerio, pleuriticos quondàm, Romæ, & Athenis, venæ ſectione curatos, malè habuiſſe, quod utraque regio auſtris obverſa ſit. Contrà in Paro, & Helleſponto, ubi venti ſeptentrionales regnant; Pariſienſes itidem ventis aquilonaribus ſubiectos phlebotomiam ferre in pleuritide ob eandem rationem; contrà verò Narbonenſes, & Lugdunenſes, eo præſertim loco, qui auſtrum ſpectat.

Pag. 152.

An nè Romanum Clima mutatum eſt, cum noſtris temporibus ibidem pleuriticos venæ ſectiones tolleraſſe, maximamq; opem ab hoc remedio reportaſſe obſervaverimus. In tota ve-

rò propemodum Gallia, ut referunt, indiſcriminatim venæ ſe-ctio pleuriticos juvat. Fortaſsè in veſtris regionibus improbè nimis eflat auſter, & qui, juxtà Hippocratis obſervationem, Aphoriſ. ſect. 3. *auditum hebetare, caputque gravare caligine conſuevit*, hac de cauſa vanam in vobis excitat ſpeciem timoris in curanda pleuritide, aliiſque inflammationibus. Eſtote tamèn animo forti, & experimini hoc remedium, ut maturum de eodem judicium proferre valeatis.

Hactenùs demonſtrationes, quas in hujus capitis principio promiſeras, non legimus, quamvis ad finem ferè perveneri-mus, ne ulla quidèm omiſſa periodo. Videamus tandèm quid pro coronide habeas. *His actis*, inquis, *quid interim ego ſen-tiam referre nitor in arcenda pleuritidis curatione a phlebotomia. Non flocci habeo experientiam ſtultorum magiſtram, dùm ratio-nes palam facio; his quippe experientia non refragatur, veræ* Pag. 356. *igitur ſunt judicandæ. Comminiſcuntur Galeniſtæ, ſanguinis cir-cuitus ignari, illum ad læſam partem accurrentem, phlebotomia ſiſti poſſe, ac retrahi; Aiunt enim ſanguinem in venis immobi-lem eſſe tamquam in dolio vinum, & poſſe aliquando a partibus læſis trahi in auxilium, veluti cucurbitula, vel ſaltèm a natura, vel aggravata a copia, vel a qualitate irritata ad partem debi-lem trudi. Sed nugas effundunt, ut ſanguinis circuitus docet. Non ſum dubius ſanguinem egreſſum, ſi alicubi ſtagnaverit, & tumorem procreaverit, ſola vena ſecta educi non poſſe, verùm illa ejuſdem exolutionem, & per poros evaporationem impediri, ſanguis enim illùc tranſiens, ſuo impulſu, ſua atmoſphæra, quod-vis obvium impellit, exolvit, metheorizat; Quæ ſolæ operatio-nes in hiſce affectibus promoveri debent.*

Circuitum ſanguinis, quod ſuperiùs *poſtulati loco* aſſumpſe-ras, quis hodiè negat? Hoc autèm ſuppoſito: exinaniri phle-botomia exuberantem copiam ſanguinis, ejuſdemque compe-ſci efferveſcentiam, quâ vaſa nimium alicubi tument, inflam-mationemque concipiunt, quis dubitat? Hiſce autèm peractis, quis non videt nimium ſuper affluentis ſanguinis ad intentas, inflammataſque partes confluxum, congeſtionemque præpe-diri? Quis neget venæ ſectione, reſiſtentiam nimiam adimen-te, adiutas vaſorum diſtractorum tunicas faciliùs contrahen-das fore? Quis neget hoc de nomine, quod in minimis hære-bat vaſis, ipſaque diſtendebat nimis, dimotum iri faciliùs? Reliquum verò, quo morbus conſtituebatur, faciliùs itidem reſolutum iri? Si non alias rationes habebas, animoſè nimis te demonſtraturum promiſiſti venæ ſectione inflammationes

non fore curandas. Quod enim in fine denique affers: venæ ſectionem non eſſe ex iis remediis extremis, quæ Hippocrates morbis extremis optima eſſe docet, *ſed phlebotomiam non minùs quam catharſim eſſe morbum extremum*, tædet jam refellere, cùm hujuſmodi nugæ, præterquam quod jam ſuperiùs exploſæ ſunt, re ipſa falſitatem præſeferant manifeſtam.

Primo Aphoriſ. 6.

CAP. XV.

In quo Dominicus la Scala demonſtrare aggreditur ab eriſipelate phlebotomiam non indicari.

QUid ſit eriſipelas, quibuſvè cauſis excitetur, ex ordine explicare huius loci non eſt. Tu recentioribus dogmaticæ ſcholæ aſſeclis partim aſſentiris, partim ipſos

Pag. 258. illuminas; Aſſentiris equidèm dicentibus ex ſanguine potiùs, quam ex bile (quemadmodùm rebantur antiquiores), fieri eriſipelas, ut conſtare videtur ex colore rubro, ſanguinis proprio, ex temperamento illorum, qui huic morbo ſunt obnoxii, calido, & humido, habitu corporis ſanguineo, atque ætate conſiſtente, cui ſanguis, Galeno teſte, magis luxuriat, nec non ex natura partium, quæ tentari ſolent hujuſmodi affectione, ſuntque femora, crura, fauces, collum, aliæque carnoſæ partes, potiùs quam ſiccæ, & exangues; eriſipelatis notas, quibus a phlegmone diſcriminatur, refers: quod nimirum illud celeriùs rubrum fiat, & calidum, inflammatio verò magis tumeat, pulſet, renitatur, ac tendatur, quod compreſſum digito eriſipelas dealbeſcat, non verò phlegmon, niſi validè admodùm reprimatur; craſſior enim exiſtit in hoc ſanguis ſuffuſus, calidior autèm, ac tenuior in eriſipelate. Quodque tantus in hoc, aut acris adeò ſit calor, ut quandòque ulcera, & veſſiculæ, veluti in ambuſtis excitentur, non item in phlegmone, & quod tandem ſerpat eriſipelas, migretque in partes vicinas, inflammatio verò ſtet ſemper in eodem loco.

Pag. 259. *Vera tibi videntur*, quæ præfati recentiores aſſerunt, non *in phlethoram ſimplicitèr* huius mali cauſam referentes, *ſed in depravatam, & peculiarem ſanguinis qualitatem*, cuius malitia naturam ſollicitat, præcedente horrore, febre, ac tumore quandoque, nec non dolore in proximioribus alarum, inguinumvè glandulis; tùm ſuccedente expulſione ad extimas partes, citrà periculum quidèm, niſi fortè materia concluſa ſuppuretur, aùt ab exterioribus ad interiora convertatur, iuxtà monitiones Hippocratis.

Tandèm

Tandèm antiquitatis tenebris lucem effuſurus, inquis, *quæ hucuſque Neoterici Galeniſtæ de eriſipelate dixere, & ſi ab antiquorum Galeniſtarum opinione diſſentiant, non ideò eriſipelatis etiologiam detexere, ut palàm faciam: Recurrunt enìm ad ignorantiæ filiam, ad depravatam ſcilicet, & peculiarem, ſeù occultam ſanguinis qualitatem. De ejuſdem cauſa convenit apud recentiores, eam ab acido peregrino pendere; ſed undè derivetur, non conſtat. Quod eriſipelas pro cauſa agnoſcat acidum, patet, quia lixivialibus, fumo, ſiuè ſale volatili, creta, farina, furfure, felle, alijſque alkalicis curantur, quæ virtute pollent aciditatem reconcentrandi &c.* Hoc acidum, aut limphæ vitio deberi ſubdis, aut ſucco pancreatis, aut etiàm ſucco in neruis deliteſcente. Ruborem in eriſipelate aſſeris ortum debere ſanguini in vaſis capillaribus, vel carnium poris ſtagnante, *ob incipientem coagulationem ab acido peregrino provenientem*. Ceſſare febrem commentaris, quando illud acidum fermentum in cutim demigrat, libera tùnc temporis remanente maſſa ſanguinea. 7. aphor. 20. & 6. aphoriſ. 20. Pag. 260.

Ergò tàm paucis eget litteraria Reſpublica, ut antiquitatis tenebras illuminet? Acidum peregrinum ſufficit, duo hæc verba deſiderabantur ad eriſipelatis etiologiam detegendam! Imò ſubdere adhùc poteras vlceræ eriſipelati ſuperveniẽtia deberi acido, cui vim hujuſmodi attribuunt *occultæ iſtius* philoſophiæ profeſſores, ſcilicet dùm ignis exulcerat, veſſiculaſuè attollit in cute, acidum eſt in igne deliteſcens, quod hoc præſtat! Quo circà abs re tùm veteres, tùm recentiores Galeniſtæ [quorum lis de nomine tantùm eſt] fervidiori ſanguini, aut ignea propemodùm natura inſtructi affinxerunt vim producendi eriſipelas, nàm acidum peregrinum animadvertere debuerant!

Quod eriſipelas pro cauſa agnoſcat acidum, patet [inquis] *quia lixivialibus, fumo, ſiuè ſale volatili &c. curatur*: Vnum tamèn admonere te velim, quod dùm eriſipelas tentat faciem, aùt manus, ſi ejuſmodi medicamenta partibus inferioribus applices, eamdem planè curationem præſtabunt; Ego enìm ſæpè ſæpiùs expertus ſum eriſipelas evaneſcere abſque ullo remedio topico. Sed quomodò probas farinam, furfur, & cætera præfata in eriſipelate prodeſſe, quatenùs acidum infringunt? Non nè in cujuſque hypotheſi præſtò ſunt rationes, quibus id, quod præſtant, explicetur? ſatis eſt adnotare omnia planè topica, quæ applicari ſolent, aut fervorem compeſcere, ut farina, cæteraque huiuſmodi, aut reſolutionem pro-

movere.

movere. Sed videamus, an ne promiſſas demonſtrationes proferas hoc in capite, cætera omnia verba tua referentes.

Vt igitur tandem, inquis, *huic eriſipelatis diſquiſitioni finem imponam, dico, quod in eriſipelatis curatione Medici ſcopus eſt, ut talia adhibeat medicamenta, quæ eius cauſam infringant, & expugnent: Hanc fermentum acidum eſſe demonſtravimus: acidum igitur debellare debemus, non ſanguinem inſontem. Huius effuſionis examina malè computata gravi periculo obnoxium reddunt hoc auxilij genus. Sed firmitèr perſuaſus ſum cum Neotericis citrà venæ ſectionem (experiatur qui velit) cùm antacidis intrò, & foris adhibitis eriſipelas facillimè curari. Quæ methodus numquam me fefellit, cum innumera eriſipelata in Xenodochio Meſſanenſi, intrà breuè tempus curaverim: Audi Ioannem Muys obſervatione quinta de eriſipelate cruris. Morbum hunc* [inquit iſte] *intrà biduum in totum ſanavi unico lavamento acidum temperante, & conſtante ex ſpiritu vini, camphora, lythargirio, creta, ſale prunellæ, &c. Quapropter* (concludis) *ſtudendum eſſet, ut ex cauſis acidum peregrinum reconcentrantibus congrua pro curatione præſidia eligerentur, & non per immanes venæ ſectiones, more Andabatarum, miſeros patientes ad vitæ exitium ducere.*

Videmur ne facturi rem ridiculam hiſce tuis obiectis reſpondentes? in eriſipelate, quod foras erupit ceſſante febre, alijſque periculis, nec Galenus, nec alij ſanguinis miſſionem inſtituunt, imò fruſtranea ſunt, ut innuimus, etiam topica remedia. Si verò ſanguinis copia, orgaſmuſuè obſtent, quò minùs eriſipelas, ut par eſt, foras erumpat, aut indè aliquod immineat periculum, quomodò probas à venæ ſectione abſtinendum eſſe, quam in hiſce caſibus omnia propemodùm ſæcula maximè opportunam experta ſunt? Profectò ſi aliquid contrà hanc doctrinam attuliſſes, falſitatem obiectionis tuæ demonſtraremus. Cum verò nihil attuleris, ut apparet ex tuo contextu, cumque id ſatis conſtet ex ſuperioribus, brevitati ſtudendum eſt.

CAP. XVI.

In quo Vvilliſij rationes phlebotomiam confirmantes Dominicus la Scala iudicat.

TAmètſi ad phlebotomiæ neceſſitatem confirmandam doctiſſimæ Vvilliſij, aliorumque à te relatæ rationes conducant,

ducant, non ideò tamèn huius, vel illius Auctoris defenſioni adſtringimur. Satis eſt enim nova tua, & aliorum commentaria contrà magnum iſtud remedium falſa demonſtraſſe: Nihilominùs libet etiam Vvilliſium, alioſque à cenſura tua liberare.

Obſtupuiſti, & miratus vehementèr es Thomam Vvilliſium inter argumenta ſua illud etiam attuliſſe ex ſacris litteris depromptum, ſed nimis facilè imputas tanto viro, *quod ad ineptias extorquere voluerit*. Quid enim, quod ineptum judicari poſſit, Vvilliſius protulit, inquiens: *Legem Divinam circumciſionis quaſi venæ ſectionis ſimbolum præcipere*, atque innuere videri: *ingenitas naturæ humanæ impuritates per ſanguinis miſſionem aliquatenùs expurgari debere*? Mihi verò Clariſſimus Vir modeſtiſſime loqui videtur more ſuo, non ex Sacro Textu argumentum duſumens, quo neceſſitas venæ ſectionis convincatur, ſed cogitationem tantummodò, haud illepidam proferens, qua cætera majoris ponderis argumenta ſua confirmentur. Porrò quod inquit: præcipuos omnes cujuſque ſæculi Auctores phlebotomiæ mentionem feciſſe, atque apud cunctas nationes, utcumque barbaras, & incultas in uſu medico ſemper fuiſſe, adeò verum eſt; ut negari à te ipſo nō poſſit; cum reſpondeas *veritatem* non eſſe ſitam in opinantium numero. Et quamvis afferas nonnullos ex antiquis Medicis phlebotomiam in ſuis ægrotantibus omittentes, Criſippum, Anidium, Cnidium, Medium, Ariſtogenem, & Eriſiſtratum, atque ex recentioribus Paracelſum, Severinum, Artamannum, Scheunemannum, Quercetanum, Fabrum, Poterium, Petreum, Cruſium, Sala, Chergerum, Helmontium, ac denique Thomam Cornelium, Leonardum a Capua, Lucam Portium, quos tu ſequeris, *cæterique tecum maximæ expectationis*, ut inquis, *adoleſcentes*. Quid hi inter tantos? Non judico iſtorum, quos refers, nec aliorum qui contrariam opinionem ſequuti ſemper ſunt, auctoritatem; numerus autèm eorum, qui venæ ſectionem omiſerunt, ad aliorum numerum, qui ſemper hoc remedii genus excoluerunt, adeò exiguam rationem habet, ut ne comparatio quidèm ulla fieri poſſit; Ideòque falsò inquis, *nutare Vvilliſii obiectum*, nàm re ipſa conſtat (paucis illis, quos retuliſti, exceptis) omnes quocumque tempore medicinam facientes in uſu phlebotomiam habuiſſe.

Pag. 262.

Pag. 263.

Abs re obiicis viros præſtantiſſimos Galilæum, Gaſſendum, atque Vvilliſium phlebotomia extinctos eſſe; nàm alii quocumque

cumque tempore non defuerunt ægrotantes, qui non obſtante venæ ſectionis ope deceſſerunt; Non enim erant immortales: Tu verò recenſere non tantum debueras fatalem Clariſs. Virorum perniciem, ſed afferre levem aliquam ſaltèm ratiunculam, qua quis dubitare poſſet, an nè ſanguinis miſſiones mali aliquid in illis caſibus fecerint. Sed reliquas cenſuras tuas contrà meritiſſimum virum animadvertamus.

Vvilliſius de phlebotomia ex ordine agens, cauſas recenſet priùs evacuationum ſanguinis utilium, quæ ſpontè naturæ fiunt, vel in iis qui febre tentantur, & in ſingulis hiſce caſibus inquit ſanguinem erumpere, quatenùs *intrà vaſa turgens, & ſuprà modum rarefactus, ſpatium ampliùs deſiderat, quapropter ni portio quædam abſcedat, tota ſtatìm maſſa conſtipari, ejuſque tùm motus inhiberi, tùm accenſio ſuffocari, & craſis perverti periclitantur*, duaſque aſſignat cauſas, propter quas hujuſmodi ſanguinis oriuntur turgeſcentiæ; *In quantùm ſcilicet liquor ejus tùm inflammabilis, tùm fermentativus exiſtit*. Deindè ſubdit, quod tu ſecundo loco retuleras capite tertio, videlicèt, *ut ſanguis pro vita tuenda, ejuſque functionibus ritè exercendis debitè accendatur, particulas hujus ſulphureas inſitas nitroſis ab aere adventitiis proportionari oppertet. Quotieſcumque igitur cruor valdè efferveſcens, & rarefactus in compage ſua plurimùm aperitur, & laxatur, adeòut ſulphur ſolutum in majore copia accendatur, etiàm ad nitrum uberiùs hauriendum, reſpiratio creberrima, & laborioſa inſtituitur. Quod ſi hoc modo ſulphur exuberans eflagrando abſumi, flammaque vitalis regulari nequit, proxima ſtatim pabuli ſulphurei minuendi ratio eſt, ut ſanguinis rarefacti portio quædam foras erumpat, &c.*

Pag. 264. Reſponſio tua in hoc ſita eſt, ut neges, ad minuendum ſulphureum pabulum, ſanguinis eductionem conducere, minui enim, inquis, pabuli ſulphurei energiam non a ſanguine, *ipſum educendo, ſed particulis craſſioribus id aſſociando*. Sed remedium non affers, quo hujuſmodi aſſociatio fieri poſſit; Vvilliſius autèm, cæterique rem medicam attentè facientes, numquam temerè adeò confidunt præſidiis pharmaceuticis, vel chimicis, ut in occaſione præcipiti tutiſſimum, atque efficaciſſimum, inter omnia remedia, phlebotomiam omiſerint, qua cæteroquin craſis etiam ſanguinis reſtituitur, ſeù illa, quam affers, aſſociatio recta particularum componentium, citò, atque efficacitèr fit, ut jam ex dictis conſtat. Quod verò fusè magis, quam efficacitèr contrà Vvilliſium ſubdis: phlebotomiam non præſtare *id quod ipſa operatur natura* per ſpontaneas

taneas

taneas evacuationes ſanguinis, jàm ſuperiùs falſum eſſe oſtendimus, & re ipſa conſtat non minùs hæmorragias, quàm venæ ſectiones a prudenti Medico adminiſtratas, ſanguinem indiſcriminatim educere. Tu autèm, ut nudè, gratiſque aſſeris, ità probare aliqua ſaltèm ratiuncula debueras, naturam per hæmorragias non evacuare indiſcriminatim ſanguinem. *ſed peregrinum aliquod ſegregatum*. Hæ verò nugæ jam ſuperiùs exploſæ ſunt.

Atque hinc patet te abs re Vvilliſium carpere in reſponſione tua ad tertium argumentum. Totam Vvilliſii doctrinam fusè a te relatam hic afferre inutile eſt, cum notiſſima ſint omnibus meritiſſimi viri monumenta. Tu in primis obiicis, quod jàm non ſemèl dixeras, *hæmorragiam criticam naturæ opus eſſe, quæ arti nihil imitabile relinquit. Hanc operationem moliri naturam fermentationis interventu, illam comitante glandularum ſecretione*; Sed quæ glandulæ ſunt ſitæ ad orificia vaſorum ſpontè aperta in hæmorragiis, quæ ſegregent, aut quibus natura utatur ad delectum ejus, quod è vaſis educendum eſt? Quænàm fermentatio ſanguinis ſeparare poteſt in hæmorragiis ſpontè naturæ factis, quod tu fingis ſecretum a reliquo ſanguine? Non nè oſcula vaſorum aperta omnibus particulis ſanguinem componentibus, & æqualitèr fluentibus exitum præbent? verum quidèm eſt non minùs per ſpontaneas hæmorragias, quam per venæ ſectiones ritè celebratas confeſtìm ceſſare febrem. Id verò non ſolùm hujus ſanguinis effuſioni eſt imputandum, ſed etiam perſpirationi inſenſibili, quæ illicò motum ſanguinis velociorem conſequitur, quæ reliquias cauſæ febrilis penitùs foras eliminat; nec mirum ideò, ſi Vvilliſius aſſerat, in febribus circà morbi criſim, *Hæmorragiam ſpontaneam, ſiquidem in tempore factam, phlebotomiæ cuicumque, cujus tempus optimum neſcitur, longè præſtare*. Hoc enim tempore materia, quæ morbum conſtituerat, diſpoſita magis eſt ad hoc, ut foràs tota penitùs eliminetur per inſenſibilem tranſpirationem, ſtatìm ac ſanguinis motus opportuna hæmorragia factus eſt celerior. Quià verò ſanguinis miſſio per ſectam venam in febribus ad hoc etiam conducit, ut luculentèr jàm oſtendimus, manifeſtè falſum eſt, quod toties pronunciaſti *ſpontaneum illud naturæ opus hæmorragiam arti nihil imitabile relinquere*, & corruit facilè, ut vides, quod firmiſſimè contrà Vvilliſium concludere putaveras. Cæterùm de principiis phiſicis a Clariſſimo Viro aſſumptis, quæ ultrò increpas, non ſumus ſolliciti; quin imò ſi aliquam tu fortè hypotheſim attuliſſes, etiam minùs aptam, inſtituti

Pag. 285.
Pag. 286.

noſtri ratio eam reprobare non pateretur.

Primam, & communiſſimam phlebotomiæ indicationem ait Vvilliſius eſſe, ut plenitudo minuatur. Tu reſpondes plethoram eſſe, *ad libidinem confictam a Galeniſtis*, idque te demonſtraſſe ſuperiùs, more tuo confidis; cum verò commentaria contra plethoram ſuperiùs allata manifeſtè falſa oſtenderimus, inanem eſſe patet hanc reſponſionem, nec proptereà *depravata conſuetudo* dici poteſt phlebotomiæ uſus. *Nec prudentiùs agunt contrà hunc morem* obſtinati, tametſi reſpiciant rem medicam abſtruſiſſimam; generales enim cognitiones ſufficiunt ad humanos uſus in omni ſcientiæ genere, ubi omnia penitùs percipere datum non eſt. Nec ſuſpecta redduntur in re medica generoſa præſidia, *quia de viribus ægrotantis prædantur*, ut inquis, nàm ex dictis ſuperiùs patet, ubi res exigit, aut ubi periculum imminet, inſanum eſſe timorem hujuſmodi, ea propemodùm ratione, ac inſanus eſſet naufragus, ſi renueret ad proximum littus appellere, ne validè natans, manuſque tendens, detrimentum virium pateretur. Subdis, *artem medicam nullas in homine ideas morboſas cognoſcere, quia nulla hominis mens omnis eſt perfectionis capax*; *atque hoc eſt*, inquis, *quod praxis quotidiana, triginta annorum curriculo, in Noſocomio Meſſanenſi celebrata confirmat, in qua jugitèr tibi videre licuit, febres ardentes, malignas, deliras, comatoſas, peripneumonias, pleuritides fæliciter ſolis ſpecificis alterantibus, & copioſo aquæ potu, abſque phlebotomia curatas*.

Pag. 269. Pag. 268.

Et profectò, qui Medicæ arti parùm confidis, *nullaſque in homine ideas morboſas* cognoſci poſſe putas, ſoli naturæ [quæ re vera morborum medicatrix eſt, ut docuit Hippocrates] opus reliquiſti, triginta annorum curriculo in Meſſanenſi Noſocomio praxim exercens; expertus enim ego quoque ſum agricolas, quibus medica auxilia præſto non erant, ab acutis hujuſmodi morbis nihilominùs evaſiſſe liberos ſola dieta, quam natura per inappetentiam ſuggerebat, ac ſolo aquæ potu, quem ſitis intenſa exigebat; obſervavi tamen in longum protractas hujuſmodi miſerorum ægritudines, ac longè magis detritas ipſorum vires, quam ſi detracto ſanguine multò citiùs (ut contingit) evaſiſſent. Obſervavi etiam alios conſimiles agricolas inflammationibus internis correptos in longum protracto morbo miſerè per abſceſſus malos periiſſe, cum intereà, iiſdem vagantibus morbis correpti alii opportunis venæ ſectionibus paſſim liberarentur; Tu autem in Noſocomio Meſſanenſi numeraſti ne quot perierint? Sed fallacia experi-

perimenta tua in fine hujus libri ad examen revocabimus. Intereà reſponſiones tuas contrà Vvilliſium proſequamur. Abuſum phlebotomiæ citrà neceſſitatem Vvilliſius reſpuit, eo *quod ſanguis* [in ſua hypotheſi] *fiat magis ſulphureus, & minùs ſalſus; proindèque homines ad febricitandum, & pingueſcendum diſponat, quodque venæ ſectio magnum alioqui remedium, ſi ad leves quaſcumque cauſas proſtituatur, quando opus ſit, ad graves affectus minùs efficax evadat &c.*

Tu etiam in his, quæ contrà phlebotomiam Vvilliſius affert, eumdem increpas; ſupervacaneum autèm eſſe duxi cavillationibus hujuſmodi incumbere; nàm tametſi abuſum phlebotomiæ, in ſtatu naturæ integro, & citrà neceſſitatem, ego quoque reijciam, non propterea hypotheſim Clariſs. illius Auctoris ſequor, nec omnia, quæ nudè aſſerit, defendenda ſuſcepi.

Optimè inferiùs dixit Clariſs. Auctor phlebotomia ſanguinis *mixtionem, ac temperiem ſæpè emendari, idq; multiplici reſpectu. Primò enim,* inquit, *ſi quiddam ætherogeneum maſſæ eius confunditur, quod ſcilicèt, nec rectè ſubigi, nec facilè ſecerni, ac emendari poſſit, vena pertuſa, ſanguis effluens, materiæ iſtius portionem non rarò multam ſecum foras convehit, proindè, ut reliqua perdomari, aut expelli queat &c.*

Phlebotomia, inquis tu, *ſanguinis mixtionem, & temperiem ſæpè pervertere ſolet idquè multiplici reſpectu. Primò quia ſanguinis reſidui craſis fit deterior*, ut oſtendiſſe contrà Vvilliſium arbitraris; id autem primùm expendamus. Pag. 350.

Dixit Vvilliſius, ſed non probavit, imò nec rectè id deduxit, ut tu quoque admittis, ſanguinem (phlebotomia citrà neceſſitatem celebrata) fieri magis ſulphureum, & minùs ſalſum, proindeque homines ferè quoſvis ad febricitandum, & pingueſcendum diſponere. Tu verò id Vvilliſium *non rectè deducere*, inquis, *cum obſervaveris homines repetita ſanguinis miſſione ad hydropem diſponi, quem corporis habitum pinguem imaginatur Vvilliſius.* Neutrum tamen nobis obſervaſſe datum eſt. Dicis inſuper venæ ſectionibus repetitis enervari corporis viſcera; *motum ſcilicèt ventriculi periſtalticum, aliarumque partium langueſcere, vitiari digeſtiones, accumulari excrementa, quæ homines ad febricitandum diſponunt.* Nec, levi ſaltem ratiuncula, quod dicis, probare aggrederis. Atque id eſt, quod oſtendiſſe iactas, dùm primo inquis ſanguinis reſidui craſim fieri deteriorem. Pag. 368 Pag. 369.

Profectò iſta obſervatio tua ſpeciem aliquam facit, qui enim

rationibus non uteris ad probandum id, quod aſſeris, auctoritate ſaltèm, ſivè obſervationibus tuis rem ſuadere conaris; Cùm verò ubique paſsim celebrentur venæ ſectiones repetitæ, neque tamèn obſervent alij omnes, (præter te, qui hoc remedio non uteris) *ad hydropem illas diſponere* (ſicuti nec homines obnoxios reddere febribus); profectò ſi fidem ullam conciliare volueras obſervationibus tuis, operæ pretium erat caſus ſaltèm particulares protuliſſe, ubi hæc obſervaſſes; nàm alioquìn corrui auctoritas tua contrainnumeras, atq; innumeras equidèm obſervationes contrarias; Porrò cùm, prætèr auctoritatem tuam, nil aliud afferas, nec probes *exervari corporis viſcera*, languere motum ventriculi, aliarumque partium, vitiari digeſtiones, & accumulari excrementa per ſanguinis miſſiones repetitas, ſola verò auctoritas tua non ſufficiat, cùm præſertìm experimentis careas hujus remedij, quo non uteris, cumque cæteri omnes per Europam medentes id non obſervent, atque ex iam antedictis pateat evidentèr, miſſione ſanguinis, prout res exigit, celebrata, non accumulari, ſed purgari excrementa, & faciliores reddi quaſcumque ſecretiones; pace tua dicam nullius momenti eſſe, quod nudè aſſeruiſti primùm contrà Vvilliſium: phlebotomiam ſcilicèt *ſanguinis mixtionem, atque temperiem pervertere, eo quod ſanguinis reſidui craſis fiat deterior*.

Secundò, contrà præfatum Auctorem obijcis *illud ætherogeneum maſſæ ſanguineæ confuſum, quod neque rectè ſubigi, nec ſecerni facilè, ac emendari poſſit: vena pertuſa, ac ſanguine effluente non multùm exire, ſed tantum illius æthærogenei educi, quantum permixtum erat illi ſanguinis portioni, quæ, perforata vena, detrahitur; ac proindè non illud, quod in vaſis ſanguifluis minùs domabile remanſit, faciliùs ſubigi, aut foras eliminari poſſe*.

Quàmvis autèm verum ſit, quod exit ſecta vena impurum pro ratione totius liquidi exeuntis, eliminari, falsò putas id, quod remanet, non ſubigi faciliùs, ut Vvilliſius ait, aut foras excerni, nàm identidem oſtendimus opportuna ſanguinis miſſione augeri diapneuſtiam, cæteraſque naturales evacuationes faciliùs haberi: Nec opus eſt rem ſatis manifeſtam ſuperiùs factam iterùm hic repetere.

Tertiò inquis, *venæ inanitæ non ſufficientem cordi ſanguinem advehunt; Hinc eius ventriculi concidunt, quia non benè ſanguine dilatantur; Hinc etiam non ſufficienter ſe conſtringunt; cordis enìm conſtrictio pari paſſu cum dilatione ambulat, eadem namque*

que vi ſe cor reſtituit, qua tenſum fuit, & quæ vis fuit adhibita, ut cordis parietes tenderentur, ſeù dilatarentur, eadem eos in ſtatum naturalem reſtituit. Idque probas exemplo *globuli eburnei in incudem cadentis, ad eamdem altitudinem ex qua delapſus eſt, reflexi.*

Hic autèm mihi videris novam de motu cordis ſententiam ſupponere, tot celebrrimis hujuſce ſæculi viris contrariam; operæ pretium erat mentem tuam aperire; apud omnes enim propemodùm receptum eſt ijſdem machinamentis cor moveri, quibus cæteri moventur muſculi, videlicèt inflatione fibrarum celerrimè facta per admirabilem rareſcentiam ſucci nervei, ac ſpirituum animalium, & particularum, quas ſanguis ſubminiſtrat ſinulis earumdem fibrarum. Quo poſito, manifeſtum eſt ſanguinem ad motum cordis concurrentem illum eſſe, qui ab arteria coronaria ejuſque diſſeminatis propaginibus ſubſtantiam cordis irrigat; Quod ſi manifeſtè pateat etiam detracta ſanguinis copia, ubi res exigit, non defuturum neceſſarium fluxum ſanguinis per coronarias arterias, profectò vana erit ratiuncula tua. Manifeſtiſſimum verò id facit Doctiſſimus Bellini, ſed & manifeſtum etiam ex dictis ſuperius eſt, ut in corollario ad finem cap. XIII., nam vires, quantitati ſanguinis non ſunt neceſſariò proportionales. Conſidera nervos exiles, qui cor ſubeunt, conſidera venas coronarias amplitudinis maioris, quàm arteriarum, & percipies minimum eſſe, quod ab exilibus nervis derivatur in cordis muſculos, ad ipſorum contractionem neceſſarium; percipies etiam ex amplitudine illa venarum coronariarum ſanguinem revehentium, minimum quoque eſſe, quod ab arterijs influit, in actionibus præfatis conſumendum; percipies tu quoque, ſicuti omnibus notiſſimum eſt, portionem ſanguinis, quæ in contractionibus cordis impenditur, & ſi minima ſit, mirabili pollere vi rareſcendi una cum perexiguo ſucco ab exilibus nervulis irrorato, ideòque craſſam nimis eſſe opinionem, quæ in ſola mole ſanguinis conſervanda, & augenda verſatur. Quid amplius? Depone timorem, experire in morbis magnum remedium, quod omnes medicinam facientes invenerunt optimum, &, ſenſu tuo iudice, fies certus motum cordis, qui plerumque in morbis venæ ſectionem exigentibus, ob præfatum gravamen virium, languet, eductione ſanguinis reviviſcere validiorem, ac propterea, nedùm invictis rationibus allatis, ſed experientia quoque tua, certus fies falſa eſſe omnia, quæ contrà miſſionem ſanguinis, una cum alijs, obtrudis, & quæ contrà

De miſſ. ſang. pro. XLV. & XLVI. & ſeq.

Vvil-

Vvilliſium in paragrapho mox adnotato dicere pergis ad hanc rem pertinentia, nam reliquæ cavilllationes inutiles ne commemorandæ quidèm ſunt.

Quartò, [ut ordine incepto proſequamur] cum Vvilliſius optimè dixerit ſanguinis temperiem non raro per phlebotomiam reſtitui; tu *perperàm* hoc illud dixiſſe contendis, falsòque aſſeris, abſque ulla quidem ratione, ſed ſola tua conſueta auctoritate confiſus, ſanguinem à temperie ſua recedentem per phlebotomiam perverti: Vvilliſium *verborum tumidorum ſatellitio, rationis loco*, uti dicis; Tu verò intereà non niſi cavillationes inanes, circà verba ex hypotheſi Chimica Vvilliſij deſumpta, profers. Verum eſt equidèm, quod *ſanguis confuse detrahitur citra partium diſcrimen*, ſed ex dictis identidèm conſtat maniſeſtiſſimè ſanguinem phlebotomia ità diſponi, ut faciliùs ab impuritatibus, quæ craſim ſuam pervertebant, vel perſpirationis, vel aptæ glandularum ſecretionis ope, liberetur.

Quintò, cum Vvilliſius iuxtà hypotheſim ſuam diſtinxerit *ſanguinis ſtatum, materiæ morbificæ tendentiam, ipſiuſque naturæ vires in febribus præſertìm, ut indicationes mittendi ſan-*
Pag. 273. *guinis patefaceret*: tu reſpondes illum ſecundum ſu . p incipia ſupponi. t. a conceptus ſuos dirigere, nec cauſam f. bris, nec
Pag. 274. illius invenire remedium. Subdiſque: *multò prudentiùs egiſſet ſi reſpexiſſet an fermentum febrile in ſanguine teneret dominatum, an in ſucco nerveo; an calor febrilis ab æſtu ſanguinis dependeat, an idem æſtus à ſulphure ſanguinis exaltato; an à vehementiſſimo ſanguinis motu excitato ob mordicationem factam à ſucco nerveo acri, intrà cordis muſculum, undè pulſationes tàm irregulares fiant; An ſitis à calore dependeat, an ab oſtructione ductuum ſalivalium glandularum; an venæ ſectio ſit vicaria ſudoris copioſi, & exantematum. Hinc manifeſtum evadi Vvilliſium mare difficultatum ingredi in determinanda venæ ſectione.*

Quorsùm autèm hæc? aſſume quamlibet hyp th ſim, ex ijs, quas tuo hoc contextu attuliſti, certiſſimum eſt ſanguinis miſſionem ſemper prodeſſe: ſivè enim cauſa febris in ſanguine ſit, ſivè in ſucco nerveo, ſivè calor febrilis ab æſtu ſanguinis dependeat, ſivè à vehementiſſimo cordis motu per acrimoniam ſucci nervei concitato, phlebotomia æſtum ſanguinis compeſcit, ut iàm ultrò patet ex dictis, phlebotomia ſucci nervei acrimoniam corrigit eadem de cauſa, emendando ſcilicèt ſanguinis vitia, undè pendebat ſucci nervei, ut & aliorum laticum

cum acrimonia; ſiti verò medetur ſanguinis miſſio, tàm à calore pendenti, quam ab obſtructione ſalivalium glandularum, illi quidèm dictas ob cauſas, huic verò, quia infarctus glandularum tollit, ſanguinis circuitum liberiorem promovendo per vaſorum anguſtias. Quamobrèm vanæ ſunt hujuſmodi contentiones tuæ, harumque omnium vanitas iàm luculentèr patet ex dictis.

Sextò, Vvilliſius dixerat motus ſanguinis inordinatos per phlebotomiam optimè cohiberi, aut reduci, *quapropter ad cephalalgias immanes, inſultus quoque ſoporoſos, aut convulſivos, aut catharros, ophthalmiam, ac tuſſim, paroxiſmos arthriticos, & nephriticos, aut phlegmones, aut ereſipelata; quinimò ad complures alios affectus ob ſanguinis, aut ſeri fluxiones excitatos, venæ ſectionem communiſſimè præſcribi; Et quidèm, ut bono plerumque cum ſucceſſu, ità cum recta ratione, quippè vaſis inanitis, ſanguis, ſpatium liberius nactus, placidè, ac imperturbatè circulatur: Porrò quidquid huius, aut ſeri extravaſatur, reſorberi, inque curſum ſuum reduci.*

Tu, Vvilliſium, inquis: *ſcire debuiſſe ſanguinis motum inordinatum eſſe tantum effectum, & pro cauſa fermentum febrile in eo nidulans agnoſcere, quod dùm per cor circulatur, eius fibrillas nervoſas citatiore ſolito tremore concutit*; Hinc ſanguinis motum *irregularem fieri, quo cor inſurgens potentiori conatu pellit, & expellit.*

At nudè nimis hoc pronuncias: Iſtud fermentum tuum adſtruis quidem, ſed non probas: deſunt ne fortaſſe cauſæ, ob quas motus inordinati ſanguinis fiant, niſi fermentum interpellemus? Sed ut liberalitèr, more meo, tecum agam; adhùc admiſſa hac tua cauſa, non nè per ſanguinis miſſionem, faciliùs iſtud fermentum poſteà eliminatur vel perſpiratione, vel ſecretionibus aptis? Hoc iàm ſuperiùs evicimus, iàm ſatis ſuperque patet miſſionem ſanguinis hunc effectum magìs præſtare, quam remedia imaginaria, quæ corrigere ſanguinis maſſam, & fermentis reſiſtere arbitraris. Quapropter falsò inquis, *triſtiſſimi beneficij ream ſe exhibere phlebotomiam* cephalalgijs immanibus, &c.; cùm nihil aliud afferas, ſed velut ex tripode more tuo loquaris. Quod verò ſubdis de inanitione vaſorum, mihi certè ridendum videtur; non enim tanta fit miſſione ſanguinis vacuatio, ut non relinquatur in venis, & arterijs tanta copia, quæ vitæ uſibus quibuſcumque ſufficiat. Pag. 275.

Unum lego, inter inania, quæ profers in hoc paragrapho, veriſſimum, ſed quod tuæ ſuperiùs exaratæ opinioni contrà

plenitu-

plenitudinem vitioſam adverſatur. Inquis enim: *Perperàm ſanè innumeris calamitatibus premitur corpus, ſi ſanguis vel deficit, vel abundat, cujus mediocritatem natura ſolam deſiderat; quarè cavendum*, ſubdis, *nè nimia ſit vaſorum inanitio*, & per conſequens cavendum eſt etiam, inquam ego, ne nimia ſit vaſorum repletio; nàm ſi mediocritate naturam gaudere fateris, abs re profectò dixiſti ſuperiùs vitioſum plenitudinis exceſſum non dari.

Jam verò, his contrà Vvilliſium fruſtrà prolatis alias ratiunculas, vel reſponſiones obtrudere pergis contrà effectus univerſales, & particulares ab eodem Clariſs. Viro ſanguinis miſſioni adſcriptos. Dixerat ille vulgo notum eſſe ſanguinis miſſionem ab intemperie calida, & ſicca indicari, & ab humida, & frigida prohiberi, ideòque in omni febre proponi ſolere, numquam verò in hydrope.

Afferamus integram reſponſionem tuam, ut, ea ſola inſpecta, quiſque videat, an nè prorsùs inanis cenſenda ſit. *Reſpondeo*, inquis, *vulgus cogi mentis ſuæ tenebras diſſipare, & prajudicia, quibus obcæcatum eſt, tollere; Noſcit vulgus eventum morbi per phlebotomiam curari, neſcit tamen modum eventus; hic conſpicuus eſt cordatis viris, ignorantia, ac præjudiciis liberis*. Quid ad rem facit hæc magniloquentia tua? profectò aliquam reſponſionem afferre debueras, ut te etiam *cordatum virum ignorantia, ac præjudiciis liberum* manifeſtares, quemadmodum te eſſe credimus. Patet autem neceſſitas hujus remedii in febribus curandis ex iis, quæ jam diximus.

Quod attinet ad effectus particulares, Vvilliſius dixerat: nullam corporis regionem, aut partem eſſe, quæ ſanguinis avocationem, & extrà miſſionem ejus non poſtulet, quoties iſte alicubi tumultuetur; caput dolens, cerebrum ſanguine, aut ſero oppreſſum, oculorum phlogoſim, faciei, oris, ac gutturis inflammationem, pectoris, ac præcordiorum morbos omnes, [utpotè quibus ſingulis vitium ſanguinis originem, aut fomitem præbet], paritèr jecoris, lienis, aliorumque viſcerum obſtructiones, aut affectus inflammatorios, cujuſcumque membri tumores, & pathemata dolorifica, aut convulſiva ſanguinem veluti mali hominis auctorem accuſare, ejuſque miſſionem, quaſi vindictæ genus quoddam, exigere.

Tu eamdem ſemper cantilenam profers, inquiens, in hujuſmodi caſibus non indicari miſſionem ſanguinis, ſed correctionem; quaſi ſanguinis miſſio non corrigat maſſam ſanguineam, ut pluriès falsò dixiſti. Nos verò identidèm jam oſtendimus,

ne

ne dùm phlebotomia corrigi ſanguinem, ſed efficaciſſimè, tutiſſimò, ac longè citiùs hunc effectum præſtari, quam illis, plerumque inanibus, remedijs, quæ jactas acidum temperare. Oſtendimus inſuper longè citiùs ſtagnantem, aut lenteſcentem ſanguinem, & lympham phlebotomia reſtitui, qua, & nimia reſiſtentia minuitur, & velocitas ejuſdem ſanguinis augetur; quin immò *tumores*, *ac tubercula*, quæ cæteroquin facilè partibus affectis adnaſcerentur, opportuna ſanguinis miſſione præpediri manifeſtum eſt ex ijs, quæ pluries diximus. Nec tamèn Vvilliſius phlebotomiam commendans in capitis dolore, alijſque partium corporis affectionibus, adeò iniquè traducendus eſt, ut voluerit hoc remedium etiam in raris caſibus illis convenire, ubi ſanguis nullo modo peccat; ſatis eſt enim ad oſtendendam falſitatem opinionis tuæ, ſi hoc remedium convenire pateat, ut iàm evicimus, ubi ſanguinis vitio (quod plerumque contingit) morbi fiunt.

Abs re inſuper Vvilliſij mentem traducis, non enim ille ſanguinem, aut ſerum omninò foras è vaſis ablegatum denuò per ſanguinis miſſionem reſorberi intellexit, ſed illum tantummodò humorem, qui vaſa minima diſtendens, opprimit affectam partem, *ſeù circa locum affectum*, ut inquit ille, aggregatur. Hunc verò humorem in vaſis minimis loci affecti ſtagnantem, illinc avocari facilè per venæ ſectionem, iàm pluriès oſtendimus. Pag. 358.

Quod verò aſſeris contrà Vvilliſium inflammationes partium non exigere venæ ſectionem, quodque te ſuperioribus capitibus probaſſe putas, falſum omninò eſſe ibidem palam fecimus.

Mirum tibi videtur, quod *Vvilliſius non damnet in iecoris, lienis, aliorumque viſcerum obſtructionibus phlebotomiæ vſum, cum ab humore viſcido, & ægrè amovibili ab illis meandris originem habeat.* Gummi Ammoniacum, in hiſce caſibus laudas, & iure quidem meritò, ſed profectò nullam admirationis tuæ cauſam habes; neque enim ſanguinis miſſio exhaurit ſpiritus, ut iàm oſtendimus, ſed ſanguinem indiſcriminatim evacuans, hoc de nomine velociorem promovet circuitum reſidui ſanguinis, qui hærentes illas particulas maiore impetu protrudit in ſuccedentes venas, opem quoque ferente validiore vaſorum contractione, ob imminutam reſiſtentiam. Profectò ſi obſtructiones viſcerum, vel glandularum opportuna ſanguinis miſſione circà initia tractarentur, non abirent in duros, atque incurabiles tumores, ut contigiſſe vidi, ubi neglecto magno

iſto remedio, purgantia improba longo tempore alij adhibuerunt: *fuſiva*, & acidum concentrantia faciliùs obſtructionibus viſcerum medentur, quando ſanguinis miſſio congrua præceſſit.

Pag. 279.

Fruſtrà repetis affectus inflammatorios non curari venæ ſectione, ut ſuperiùs dixiſti, neque plethoram, neque habitum athleticum, *ob rationes à te iàm dictas*, palam quippè fecimus inanes omninò, & nullius momenti ratiunculas ejuſmodi eſſe.

Meritò Vvilliſius etiam laudat venæ ſectiones in affectionibus convulſiuis; ſiuè enim convulſivi motus cauſa extrinſecùs nervoſas partes impetat [quod plerumq; ſaltèm in hujuſmodi affectionibus contingere arbitror] ſiuè ſucco nerveo intrinſecùs admiſceatur, ut Vvilliſio placuit, verum ſemper eſt è penu ſanguinis hujuſmodi cauſas derivari, & verum eſt inſuper miſſione ſanguinis faciliùs in perſpirationem urgeri poſſe, ut iàm ſuperiùs evicimus. Quandò autèm motus convulſivi ſuccedunt malignis febribus, aut benignis malè iudicatis, in quibus iàm tempus venæ ſectionis præterijt, aùt quandò peculiarem alicuius veneni etiam propinati naturam ſequuntur, ſpecificis remedijs utendum eſſe, nec Vvilliſius, nec alij negant. Spiritum cornucervi, quem *tu Meſſanæ in Noſocomio, fæliciſſimo cum ſucceſſu, adhibes*, à Vvilliſio præſcriptum eſſe fateris; In ijs verò convulſiuis motibus, qui *à lumbricis, calculis*, alijſque huius generis cauſis dependent, ſanguinis miſſionem [niſi fortè alio de nomine indicetur] nec Vvilliſius, nec alij, ut proprium remedium, præſcribunt.

Pag. 281.

Intereà obſtupeſco te adeò ægrè ferre, quod Vvilliſius Helmontium, ejuſque ſectatores phlebotomiam damnantes paulò acriùs increpet. Obſtupeſco, inquam, te de hoc celeberrimum virum accuſare, cum eodem contextu ipſum convicijs oneres, inquiens: *Palam feci hoc meum opuſculum illis philiatris, qui experimentalem philoſophiam profitentur, floci habentes principia chimica ſuppoſititia, quibus inductus Vvilliſius perperàm philoſophatur &c.* obſtupeſco iterum te, qui cæteros omnes propemodum *floci facis* ægrè ferre Vvilliſium, qui zelo percitus *phanaticos* medicinam evertentes increpet.

Pag. 281. 282.

Sed tandèm (ut oculos noſtros liberemus à lectione immanis cenſuræ tuæ, qua immeritò clariſs. virum carpis) id unum ſupereſt adnotandum, quod ille obſervavit, in valdè plethoricis *febre correptis, nec non pleuritide, peripneumonia, angina, apopleſia, alijſque magnis morbis, à ſanguinis turgeſcentia, aut incurſu phlegmonode oriundis, phlebotomiam diminutam plùs officere,*

Vvilliſ. de phlebot. propè finem.

oficere, quam prodeſſe, præterquamquòd enim plethoram non tollit, alia de cauſa nocet, quia in magna plethora [inquit] *plures, & ſanguinis, & ſeri portiones in receſſus, & anguſtias protruſæ, illic reſidere coguntur, quæ poſt vaſa perpaululùm inanita in maſſam ſanguineam impetuosè regurgitant, ipſamque valdè exagitant, & hùc illùc impetuoſiùs adigunt; quapropter, hoc etiam reſpectu, vaſa permultùm depleri opus eſt, videlicèt, ut præter laticem priorem ab anguſtijs liberandum, etiam ſucco, ab exilio reduci, ſpatium concedatur, qui ſecùs cruori minùs congruè adveniens tumultuatur, &c.*

Reſpondes primò quaſi ex tripode, more conſueto, plùs officere uberiorem ſanguinis miſſionem, minùs verò diminutam, quià *fit maior ſanguinis, ſeù virium iactura, & febris intenditur ob fermentorum intemperantiam, diminuto videlicèt ſpirituum penu, à quibus temperies dependet, particularum ſalinarum cuſpides obtundendo.* Sed hujuſmodi ſermonem tuum, iàm pluriès, & pluriès repetitum, omninò falſum non ſemel oſtendimus, atque fucatum lædendarum virium timorem ſolidis rationibus, & experimentis excuſſimus, evicimuſquè prætereà miſſionem ſanguinis refrigerare, atque humectare ſalubritèr, quo de nomine *particularum ſalinarum cuſpides obtundantur.* Reſpondes etiam *ad fucatam*, ut inquis, *obſervationem: experientia conſtare, ob diminutam ſanguinis* effuſionem, *totam eius maſſam minùs iuxtò fermenteſcere*, neque ulla tamen experimenta, ut æquum eſſet, aut rationes affers. Sed huiuſmodi toties repetita commenta tua ſuperiùs jam falſa eſſe demonſtravimus. Pag. 281.

Abs re inquis Vvilliſium ſupponere magnam plethoram, *quam probare potiùs debebat*: excuſandus tamèn mihi videtur meritiſſimus ille auctor, ſi rem notiſſimam, plethoram ſcilicet, ſuppoſuerit potiùs, quam probarit; neque enim illi datum eſt ſcire opinionem tuam, qua plethoram negaſti; nos, qui falſa huiuſmodi commenta tua evicimus, omiſſam à Vvilliſio probationem ſupplevimus. Quod verò in magna plethora plures ſanguinis, & ſeri portiones in corporis anguſtijs ſtagnare facilè poſſint, quæ, ut inquit Vvilliſius, poſt diminutam ſanguinis miſſionem impetuosè regurgitent, ex dictis ſuperiùs de plenitudine facilè percipitur; nec ulla neceſſitas eſt, ut agnoſcas quomodò id fieri poſſit, ſatis eſt enim alios omnes id noſſe; quamobrèm abs re inquis, non percipere Vvilliſium, *à qua vi motiva inſinuetur ſanguis intrà capillares venas*: & ſi enim loquamur in hyppotheſi Claris. Ioannis Alphonſi Borelli, Pag. 282.

(quam tu hic aſſumis, cùm tamèn inferiùs mechanicas diſcipli- nas à re medica, verbis potiùs inanibus, quam ratione ulla proſcribas), adhùc tamèn propoſitionis Vvilliſij veritas conſtat, quià in magna plethora lentor ſanguinis facillimè produci ſolet, qui ſatis eſt, ut aliquid ſtagnet in anguſtijs corporis; & quoniàm parca ſanguinis miſſio aliquem pro ratione detractæ reſiſtentiæ impetum reliquo ſanguini conciliat, ut ex pluriès dictis conſtat, manifeſtum eſt poſſe hòc de nomine particulas, quæ ſtagnabant, regurgitare, ut Vvilliſius aſſeruerat.

Pro coronide, obſervationem Vvilliſij reijcis pulcra ſanè ratione! Cum enim ille dixerit à diminuta phlebotomia homines incaleſcere, tu id negans ſubdis. *Conſulat Vvilliſius Chirurgum, à quo planè diſcet quamplurimos vix vulnere inflicto lypotimia corripi, ac frigere, cum pulſus languore.* Pulcra ſanè ratio! Sed conſule tu quoque Chirurgum, à quo planè diſces id ſæpè ſæpiùs eveniſse antequam vulnus inflictum fuerit, adeò verum eſt alia de cauſa id fieri, quàm ſanguinis evacuatione.

Cætera, quæ in fine capitis habes, pura ſunt convicia, intèr quæ, ſi aliqua ſaltem eſſet ratiuncula, nos patientèr, more
Pag. 285. ſolito, reſponderemus. Sed quià nihil prætereà ſupereſt, *brevitas rationibus tuis* commentitijs *colophonem* imponere iubet.

CAP. XVII.

In quo Sylvii de le Boë rationes pro phlebotomia Dominicus la Scala perpendit.

SYlvius de le Boë raro ſanguinis miſſionem in methodo ſua commendat, quando ſcilicet ſanguis ſuperabundat nimis, vel nimis rareſcit. Tu verò contrà eundem perpauca ex iis, quæ pluries dixiſti, repetis: Et primò *neſcire illum plethoram ſanguinis morboſam non dari, commentumque vulgare eſſe, ut in capitibus ſuperioribus oſtendiſſe credis.*

Quoniam verò falſa omninò eſſe palàm fecimus, quæ contrà plethoram attuliſti, nil hic dicendum ſupereſt.

Secundò rareſcentiam nimiam ſanguinis impugnaturus, jubes *illum naturæ volumina perſcrutari*, *illìc enìm inveniet*, (ut ais) *vaſa animalis à ſanguinis rareſcentia nunquam ad poſtremum diſtendi cum diſruptionis periculo, quià vivum corpus undique eſt perſpirabile &c.*

Tu verò in libro naturæ perſcrutatus es numquam dari poſ-

ſe,

